CONCI INCHINI



ONC: BOSKIE



GAR
CANO

DE QVA
NVNC
Latinum
F. ANT



C
Apud I

ORBIS

TERROR,

SEV CONCIONVM

DE FINIBVS BONORVM ET MALORVM,

Libri Duo.

AVCTORE

V. P. F. PHILIPPO BOSKIERO HANNONIO CÆSARImontano, Ord. Minor. de Obseruantia.

AD S. P. Q. MONTANVM.

D. Hier. in Matth. *Quoties diem illum cogito, totò corpore contremisco.*



COLONIÆ AGRIP.

Sumptibus Francisci Jacobi Mertzenich.

ANNO M. DC. X.

Hic Liber, cui Titulus, ORBIS TERROR, compositus à R. P. PHILIPPO BOSKHIERO, sanam ac salutarem continet doctrinam populo frequenter inculcandam, ideoque vtiliter excudetur. Actum Duaci 18. Feb. 1603.

Georgius Coluenerius S. Theol. Licent. & Professor, & librarum in Academia Duacena Visitator.



AMPLISSIMIS PRVDENTISSIMISQVE DOMINIS SVIS S. P. Q. Montano Beatam æternitatem, D.



VNQVAM *apud me antiquius (Senatores prudētissimi, cæteriq; Montenses mei) quidquam fuit, quam vel de benè meritis, benè vicissim mereri, vel gratum animum, qua profiteri. Testor aut editos à me iam ab annis hinc circiter 14. libellos, aut innumeras tot in locis habitas cōciones,* quas qui audierunt, *aut legerunt*, ecce hi sciunt, quæ dixerim ego, *& quam plenis buccis, ad inuidiam sæpe vsque, vrbes hominesq; de me vel Repub. benè meritos celebrârim, etiam nonnunquam neque mihi auditos neq; visos coram, ne ex tabella quidem, sed sola nominis eorum Virtutisq;, aures oculosq; meos perstringentis, fama cognitos; vti Laburlotū illum magnū, Legionum nostrarum heu! quondam fortissimum Ducem, quem & vi-*

Autoris in bene meritos gratitudo mirabilis.

Probata ex crebris ignoti Laburloti viui mortuique celebrationibus.

uum, & vita functum sæpe fulmen belli, sæpe Batauorum quamlibet trucium terrorem: Principis dexteram; Cæsarem alterum; patriæ labentis scipionem; denique illustre, familiare, celeberrimumque beatæ fortitudinis exemplum dixi; nunc verò & deploro, & deplorandum Poetis, vnaque Oratoribus vniuersis propino, vt qui gloriæ quidem forte satis, sed Patriæ parum vixit: adeò (quod inquit familiare illud eloquentium numen Cicero) de me est verum : Nihil esse amabilius Virtute, nihil quod magis alliciat homines ad diligendum: quippe cùm propter virtutem & probitatem, eos etiam, quos nunquam vidimus, quodammodo diligamus. Cuius ea vis est vt eam, quod maius est, in hoste etiam diligamus.

Cicero in Lælio

Qui si talis sum in ignotissimos; qualis fore putandus sum in orbem, vrbemque illam, quæ sibi partem primam ortûs mei vendicat? Tam calens, tam vehemens, tamque (vt dicam) torridus est meus in Patriam amor, vt mihi illum dissimulare tam sit difficile, quam Petro olim inter milites Galilæismum, aut Æthiopi nigrorem suum. Ecquis enim, aut è suggestu dicentem me vel semel audiit, aut scribentem in libris legit, qui non mox Burgũdionem me (id est Burgundicis patriisque rebus beneuolẽtissimum) potius quam Gallum, imò speciatim Hannonium

In Patriam verò maxima.

nium atque adeò Montensem esse audacter adfirmârit, non tam ex phrasi (quæ qualis sit, Iudices Galli Oratores sunto) quam ex sentẽtiis, animiq; declaratione. Manifestissime scilicet sum gratus meis, Principi, Patriæ, Ciuitati, vt in hostes admodùm Philippicosus, id est, inuectiuis (fateor) acerbissimus. Nã vestram fidem! quid Patria cuiq; & Vrbe Originis suæ principe ex bene natis hominibus, carius, aut dulcius esse potest? Cuius vim vel hinc videas, quòd etsi Popello etiam Patria est, vbicunq; est bene; Sapienti ac forti viro omne solum, vt piscibus æquor, vel certe vbicunq; virtus sedem elegerit (vnde & Diogenes ille, vir, si in ea tempora incidisset, Christianismo Franciscanismoq; aptissimus, de quo sit fas dicere, aut Diogenes Franciscizat, aut D. Franciscus Diogenizat, interrogatus, cuias esset, mundanum se agebat:) tamen ita omnibus natale solum est dulce, vt ipsos etiam belli Duces aut Philosophos, aut Philosophis proximos (qualis ille Vlysses fuit, vir toties victor, & Troiæ, Astutiis, & Aiacis, Eloquẽtiâ; & Circes, Sapiẽtiâ) cogat optare, vel fumi virgulas ex patriis focis serpentes intueri: quosdã quoq; post debellata bella, ab ingrata Patria quâlibet offensos inoffenso tamẽ in eandem animo semper deinceps viuere, imò verò vita quoq; breues reliquias in exilio, ingratæ

Cic. 5. Tusc. & Senec. in prou. Ouid.

Quæ etiam philosophis, & fortibus viris desideratissima.

 Patriæ

Patriæ deuouere. Quis Camillos nesciat exules, è Brenni victoris manu Romam suam seminecem iam ac semisepultam, ferro non auro redẽtam, extorsisse? Quis Themistocles priscos ignoret, hausto taurini sanguinis ferali poculo, vitã sibi mox abrumpere maluisse, quã Xerxi humanissimo erronis hospiti, aduersus Patriã exili autorẽ, etiam cũ Imperio, militare? Quo maior in patriã caritas illorũ debet esse, quos illa, in sui amorẽ, beneficij inflãmârit. Cæteris, hîc quid accidat, ignoro; quid verò mihi in Haginoiam meũ meosq́; verè carissimos Montes, scio quidẽ,

Horat.

sed eloqui haud possum satis. Vno verbo dixero: Non me lentus *(vt ille ait)* Glicerǽ *i. patriæ* torret amor meæ. *Splendor. n. me- illius, & beneficia vehementer inflammant.*

Maximè si ea splẽdida & beneficia

Splendor (inquam) qui à Conditore, à Rectoribus, à Religione ac Fide, ab ingeniis, ab Vrbanitate, à magna in principem Fide, à (dictorum factorumq́; constãtia vt taceam Situm. Opes, commercia, Artes & id genus plurima) illi est maximus.

Qualis, ciuitas Autoris à Cæsare ctndit.

Conditorẽ. n. vrbis nostræ Cæsarẽ illum eius nominis primum ferũt, qui aut illîc hybernaturis, aut se tuto recepturis legionibus Romanis, vallum arcemq́; illam, qui Castrilocus priscè vocatur, condiderit, quo conditore vix Sol ipse meridianus aut notior aut clarior, à quo si quis Montes Cæsaream Hannoniæ, ciues Cæsarimon-

rimontanos vocet; censura mea, non valde erret. Rectores verò Deus bone! Cæsareæ huius quales! quam æqui boniq; studiosi! quam Religionis! quam Fidei, & quæ in Deum, & quæ in Principem obseruantes! Fas mihi sit, cæterarum Hannoniæ vrbium pace, dicere; Si montibus Gallico dolo captis, Albani temporibus, etiam captiuorum ciuium animi (vt corpora opesq;) capi, aut Gallico hamo inescari: Si rursus Duce Alenconio, velut auxiliario, in vrbem nostram immisso, ciuium etiam Cæsarimontanorum animi ad illum conuerti, ab opt. Rege Philippo diuerti, vel leuissimè potuissent; nulla forte nunc signa optimi Hispaniarum Regis, regione tota; Fidem verò ac Religionem valde exiguam, aut nullam, Belgio toto, videremus. Nam quia tunc capti capi non potuêre, *& capti exarmatiq; iam ferro, fide illa inconcussa in Deum Regemq; suum exarmari non potuêre; imò potius ab antiperistasi quadam fidei firmioris effecti sunt: victor Gallus, victos iam reformidans; Albano dedere vrbem seq; coactus est. Deinde, quòd alter Andinus ille hospes dubius (per quem* non hospes ab hospite tutus *fuit) quum in vrbem quidem aliquando & muros, sed nunquam in animos ciuium irrepere aut irrumpere potuisset, tandem etiam circiter Domini Natalia, partim iussu Senatus, partim tam fide*

(A quo se autor vocat facie prima huius operis Cæsarimontanum.)

Et Religione ac fide clarissima.

Virg. 7. Æneid. Vt temporis huius acta probant.

Ouid. lib 1. Meta.

plebis formidine excessit, euasit, erupit, vrbemq; magna trepidatione liberauit; Fidem Religionemq; integram adhuc retinuimus, & prætereà fecimus, vt vicini non perderẽt suam. Certe enim (vti ex Artesii cuiusdam non contemnendi ore accepi) ad pacis cũ Regestudium, Artesiam mox prouocauimus (in quo conatu peregre rediens piæ memoriæ frater meus tùm Senator, & cohortis ciuicæ dux, interiit:) & quum, in Comitiis deinde centuriatis, in diuersa sententiæ scinderentur, ægreq; ad Pacem coirent; tum vrbis nostræ ciues (quæ illorum in Deum, ac Regem fides fuit) armati in foro pro Curia stantes, negantesq; Ordinibus è Curia exitum se, (nisi pace pacta cum Rege) permissuros; Pacem Prouinciis, Prouincias Regi, Deo Religionem, aut soli aut primi reddiderũt; vt propemodum sit fas dicere, Pontificem Romanũ adhuc in animos Prouinciarum istarum, Regem in mœnia & corpora Belgarum dominari, quòd fidibus multis vnam Fidem Montenses ludere noluerunt. Accepi profectò aliquando, Romanum illius temporis turbulenti Pontificem, audita Montensium religione, inclamasse: O Vrbem benedictam! & ex alma Vrbe Vrbi huic, tàm Romanæ Religionis æmulæ, optima precãtem benedixisse. De ingeniorum illîc nascentium tàm fœlicitate, quàm multitudine, quòd aut om-

Andreas Boskhierus Autoris frater vt mortuus.

Montes vrbs bonorũ ingeniorũ feracissima.

nia

nia, sine fastidio quorundam, quorundam inuidia, aut pauca è multis, sine innominatorum indignatione; aut aliquem omni inuidia superiorem (quem instar omnium commemorari omnes patiēter ferant) percensere non possim, silere institueram. Sed ecce potenti carmine, uti saxa Orpheus arboresq́ olim loco: ita de sententia me Orlandus ille di Lassus nostras mouet, abripitq́ in sui laudes vel nolentem, & cogit ille me de se dicere; quàm Virgilio Mantuanos, tam Orlando suo Mōtanos posse gloriari, qua ab arte, qua à suauitate, qua à multitudine carminum tam huius, quàm illius, grauissimorum, cui si ponendæ æreæ in foro statuæ autor esse possim, velim. Nam quidni tam coronarium theatrum in eodem foro sit Bonis, quam est crux patibulumq́ Improbis? Vt enim hoc ab audacia auocat improbos: ita in Probis illud mirabiles amores excitaret Sapientiæ & Virtutis. Quæ obiter dixi de Orlando nostro ac nostrate illo solo, tacitis illis (bona venia) aliis infinitis ingenij etiam fama clarissimis viris. Non enim, si in montibus cæteris nati ferè duri atq; agrestes; In quib. Orland⁹ Musicorum princeps.

Panaq; montanis habitantem semper in antris Ouid. lib 11. Meta.

prisci Cæsarimontium incolæ (uti & Arcades olim, qui ab ingenij stupore tam malè audierunt) coluere; etiam nostri Arcades, aut

Arca-

Patria in Autore munifica

Arcadium pecus omnes: neq; si olim Arcadicæ superstitionis, etiam nunc socij stuporis sunt censendi. An frustra vulgo iactatur, Sensum Montibus esse, *id est Latine, Montes esse domicilium Sapientiæ? Ergò si Patria, quo illustrior (qualis olim Athenæ, & Romæ illæ geminæ, vetus illa Romuli & noua illa Constantini heu! quondam oculus alter Christiani orbis!) hoc debet ciuibus suis esse carior, qui meam non impensissime amem in tot illius splendoribus, vt amare illam possit vel maxime peregrinus, prouocatus? Beneficia verò ciuitatis in me mea priua, quàm faciunt, vt pæne illam deperea m! colam! ac tantum non adorem! Date grati ciuis vestri hoc candori, (Senatores prudentiss.) repetere vetera beneficia vt possit. Ea enim dantium accipientiumq; æquissima lex est, illos vt obliuisci, istos reminisci oporteat. Primùm ergò, de Houdana vrbis vestræ nobilissima Academia, ex qua, velut equo Troiano, tot viri doctissimi bono Sacræ, Ciuilisq; Reipublicæ maximo, tot Episcopi, Senatores, ac Duces prodiere (quam idcircò à vobis amari, foueri, amplificariq; indies vobis gratulor, mihiq; gaudeo, vosq; per decora vrbis vestræ omnia, deprecor, nunquam pati, occasione nouæ aut veteris cuiuscunque alterius quamuis non malæ, fœcundissimam illam doctorum virorum parentem, merum maio-*

rum

rum vestrorum delicium non dico deleui, sed haec vel leuicule deflorescere.

Expedit enim modo aliquo ciuitati cuilibet, literarios ludos vno plures, ad æmulationem, sustentari, vt alteram alterius diligentia, scientia & Gloria, laudabiliter feriat, excitet, acuatque, sic vt hæc paria aut superiora præstans, præceptum iam alteri brauium ac palmam eripere contendat: illa alterius contentione incitata, fortiùs currat, ne remissiùs agendo, vt accidit æmulo carentibus, porrecta herbâ, amittat suam: (*Memini inquam cùm aliquando Senatui, in scholam illam vel animi, vel (quod magis arbitror) officij causa diuertenti Magister tùnc meus, de elegis nouem in mortem à me forte fortuna nuper compositis, velut de ingeniolo meo ac quantulacunq; venæ poeticæ beatitate gratulaturus, aliquid cõmemorâsset, illiq; allatos legissent; Primatem Senatûs, nobilem Dominum Dom. Frasneau, regium Hannoniæ Quæstorem, honorarium mihi vixdùm adolescenti sericum pileum obtulisse, renuentiq; tantum capitis ornamentũ, libros ære publico emi iussisse, calcar sane nõ obtusum, ad Musas deinceps deuotiùs adorandas. Et hoc deinde memini, oblitisq; (vt debetis) ac tacentibus vobis, ego (pro officio) liberalitatis vestræ præco iam proclamo;*

iam ab eius ineunte ætate, Cùm illud. Mors omnibus instar, scripsisset.

Quoties

Nec minus ætate virili.

Quoties ingenioli mei non magni (scio) momenti monimenta, obseruantiæ ergò, vobis in vestra Concordiæ domo obtuli; toties liberalissime habitum me, donatumq; recessisse. Quid? etiam vt ineptulus ego, audientibus in Curia vestra vniuersis vobis, de vniuersæ Reipub. Christianæ vulneribus, nouaq; curandæ illius arte dicerem (rogante hoc vos quidem per litteras, Curiæ Romanæ viro primate) permisistis, dicentem attentissime audistis, finientem probastis, honorastis, & deinceps, quam perficiundo tantæ molis operi, opem, opibus publicis, vt vobis gloriosam, ita mihi omninò necessariam adferri, per litteras supplicauit Pontifex ille, allaturos vos esse confido.

Virg. 1. Æneid.

Scilicet tantæ molis erit Romanam condere gentem.

Cogitanti igitur mihi sæpè, quibus argumentis, illius meæ, in Patriam tam beneuolentem seu caritatis, seu gratitudinis fidẽ, Patriæ ipsi, Vobis P P. C C. Exterisq; facerem; obcurrit, (quandoquidem conciones in vestra vrbe, statiuis tẽporibus, alius Prouinciæ Franciscanus habere non possem) saltem alibi habitas, Ciuitati nostræ ac vobis Prudentissimis Patriæ Patribus dedicarem. Ergò ego nunc S. P. Q. Montano Terrorem *hunc* Orbis *libens voueo ac sacro, serò quidẽ fortassis, (vt qui varia variis Sacræ*

Vnde & librum illi è multis vnum dicare voluit.

Profa-

Prophanæq; Reipub. Principib. viris, Gal-
lica Latinaq; iam pridem consecrârim) sed
(ni fallor) sat benè. Opportunè enim Christi
instar, dulcissimæ Patriæ meæ bonum vinũ Ioan. 2.
seruaui vsque adhùc; deque industria ex- 1.Reg.
teris primùm quod deterius est propinaui.
Nam si argumentum libri huius adspe- Et hunc
ctas. quid melius aut salutarius, vrbeque Terrore
nostra dignius (si tamen sic illam volo sal- Orbis
uam, vt illa me ac suos vniuersos?) Nam congruē-
à Terrore isto, timor ille salutaris Iudicii vl- tissimè.
timi iam dudum vbiq; lentescens excitabi-
tur, quo qui caret non poterit iustificari. Si
titulum Terrorem Orbis, & deinde vrbis
nostræ situm, ac Iulium Cæsarem condito-
rem; plane liber sic vocatus Vrbi in ipso
Hannoniæ totius vertice constitutæ debeba-
tur. vt cuius cõditor primus, verè terror or-
bis. vrbisq; tandẽ suæ, fuit, quiq; solo nominis
vel lecti vel auditi sono nunc etiam terret:
vrbi (inquam) Cæsarimontensium debeba-
tur, vt quæ aduenarum è longinquo adtẽ-
tius illam (maxime qua Binchium versus
patet) intuentium animos aut terrore, aut
stupore, implet, aut veneratione. Adeò nulla
toto orbe ciuitas (vt gyrouagi referunt) tàm
speciosum foris adspectum præfert. Mon-
tibus (inquam) Montibus Orbis terror
iste debebatur, si prophetico huic dicto fa-
cturus eram congruenter: Super montem

excel-

excelsum adscende tu, qui euangelizas Siō; & si plane volebam, vt commode alicunde, velut ex lapide, aut specula altissima, terribile meum Mortis Iudiciiq; taratantara totus orbis exaudiret. Sin stilum qua potui, Lipsianum, id est breuem, neruosum, & Politicorum Lipsii mei instar, nō tam meis, quam veterum verbis contextum; etiam Cæsarimontes terrorem meum suo sibi iure vendicabant, vt ciuitas iustæ amplitudinis, omniumq; (vt ex belliperitis aliquando audiui) quæ mari non adluuntur, munitissima, & quæ olim Pani, vel Toti. vel Omni, id est, omnium gētium in vno Pane seruiebat erroribus (Nam sic Pana veteres pinxere, vt Cornibus, radios Solis, Lunæque cornua: Rubore faciei, æthera; Nebride stellâ pectorali, stellas; Parte inferiori hispidâ, arbores, virgulta ac feras; Caprinis pedibus, terræ soliditatem id est, vniuersa idola illud vnum referret) sic nunc omnigenam colit pietatem; & velut celeberrimum totius vrbanitatis emporium omnium Orbis vrbiū habet elegantias, haberet etiam sibi ex me sacrum libellum breuiorem, neruosiorem, elegantioremq; cæteris meis vniuersis: Ergò ego sat cito ad patriæ aram, id est vobis (Senatores amplissimi) munusculum hoc meum defero, adpendo, & sacro, æternum vobis Patriæq; ciuis inopis illius quidem, sed gra-

D. Leo ser. 1. in Natiu. Apost. Petri & Pauli.

tissimi

tissimi monimentum. Tu, carissima mea patrens Patria, vosq; Patriæ communis parentes amplissimi, vnaq; ciues vniuersi, quo candore ego vobis sacro, excipite, & è collo

Gestando hocce mei monimentum & pignus amoris, *valete, & æternum regnate.*

Datum Duaci 8. Idus Februarij ipso Dorotheæ 1603.

Quę memoriam complectentes benè valebunt. Virgil. 5. Æneid.

F. PHILIPPVS BOSKHIERVS Cæsarimontanus Oratorum Christi minimus.

APOGRAPHVM LICENTIAE Prælati.

FRATER Andreas à Soto Ord. Minorum Reg. Obs. super Prouincias Coloniæ, Argentinæ, Hiberniæ, Flādriæ, S. Andreæ, atq; inf. Germaniæ Reuerendiss. Patris Generalis F. Francisci à Sosa, cum plenitudine potestatis Commiss. Generalis V.P.F. Phil. Boskhiero Conuentus nostri Luxemburgensis Guardiano salutem in Domino Iesu. Quandoquidem hactenus non infeliciter ingenii tui fœtus in lucem edidisti, & adhuc *totus in hoc es* (vt ait ille) *Condis & componis* multa alia, posteritati, vti speramus, profutura, cupisq; vehementer, vt, quæ edis, etiam à nobis, ad Obedientiæ salutaris meritum, autorentur; nos piis tuis conatibus impensiùs fauentes, tibi literis istis licentiam facimus prelo tradendi, edendiq; vniuersa tua, dùm tamen etiam Censuræ legitimi librorum Censoris subieceris. Atque vt cum Obedientiæ merito id præstes, ita fieri hortor & vrgeo. Vale in Domino Iesu, quem mihi exora esse propitium. Datum in Conuentu nostro Gandensi 21. Iunij 1602. sub sigillo meo familiari.

F. Andreas à Soto Commiss. Generalis.

Ex I. Lipsii literis ad Autorem datis Louanii, 18. Kal. Sept. L. IↃcII.

ANIMIS *adesse, atq; hærere possumus, & testor te meo carum esse. Scripta tua faciunt, in quib. non imitatio, sed imago mei, & penè ego. Affectus in me tuus elucet: sed & ingenium, qui tam fœliciter, quod vis, potes. Adolescentem à te commendatum vidi, &c.*



CONCIO I.

Exordium.



CHRISTIANI Ecclesiastæ (Auctores Catholici) hæc ferè argumenta; *Concionatoris argumenta quæ.*

Sacra: Fides: Virtus: Vitium: Laus: Præmia: Pœnæ.

Sacra, j. de Sacramentis, & iis, quæ Religionis ac diuini cultus: *Fides*, j. de Credendis, Erroribusque contrariis, illa statuendo, istos destruendo: *Virtus*, j. de Virtutibus: *Vitium*, j. de Vitiis: *Laus*, j. de diuorum præclarè gestis: *Præmia*, j. de Beatitudine viæ, ac patriæ; *Pœnæ*, j. de Inferno, & malorum calamitatibus.

Aliis ita numerantur; *Credenda: Amanda: Agenda: Speranda: Timenda:*

D. Franciscus noster, ita ad Fratres: *Sint examinata & casta eorum eloquia, &c. annunciando eis vitia & virtutes, pœnam & gloriam, cum breuitate sermonis.* *Reg. c. 9. de præd.*

Ergò, cum Aduentu iam toto, partim de Fide, partim de Vitiis, sit dictum mihi, nunc hac Quadrag. de Pœnis, ac Præmiis, id est, de Morte, Iudicio, Infernoque peccati pœnis, & de Beatitudine, Virtutis præmio, dicendum restat. *Cur nunc Autor tractet de Finibus Bonorum & Malorum.*

Memoria mortis profectò refricanda homini, hic tam obliuioso, alibi tam memori, vt hic Lethen e-

 potasse

potasse;illic sub Simonide, memoriæ artem perdidicisse videri possit.

Quam is iniuriarũ memor! quam auri sui! Cui Senum,quamlibet obliuioso, excidit, vbi thesaurũ infodisset?Iuuenibus tamen ac Senibus;ah! dolor! pæne omnibus excidit illud.*Necesse mori.*

D. Hier. ad Heliod. *Quotidie morimur,quotidie commutamur,& tamen æternos nos esse credimus.*

Nos strages æqualium quotidianæ vix ad momentum mouent.

Daniel. 2. Adsimilandi planè nos Nabuchodonosori illi obliuioso, qui ait: *Vidi somnium,& mente confusus, ignoro quid viderim. Somnium igitur, & interpretationem eius indicate mihi.*

Obliuiosi sua Mortis, quibus similes. Pullis etiam gallinaceis, quorum quenquam si Miluus rapit,pipiunt, diffugiunt omnes, alter huc, alter illuc, aliquis sub matris alas; at pauxillo post, terrore deposito,palàm rursus coeunt,pascuntur & ipsi Miluo vicissim præda.

Porcos potius dicas altum grunnientes,sed quãtisper socii sub cultris:deinceps alta quies & securitas.Mors enim rapuit Patrem? Vxorem?aut è notis aliquem? miramur, dolemus, meliora pollicemur; at mox vt parentatum,& Campani æris sonitus conticuere, metum deponimus, & vt sues ad lutum,aut vt canes, ad vomitum recurrimus.

Psal. 9. Dicas: *Periit memoria eorum cum sonitu.*

Ah!Prognosticon pessimum! Nam vt memoriæ defectus,iam iã morituri hominis nota:ita & mortis obliuio, index in peccatum ruituri.

Capistrum contra, insolentiæ potentissimum, Mortis memoria, & eorum,quæ post Mortem. quà fini hanc telam nunc ordior.

Propositio primæ Concionis.

Dicendũ autẽ hodie.
1. *De Mortis Etymologia.*
2. *De specieb. Mortis;earũq; finitionib.*
3. *Mortis naturalis memoriam suaderi à magnis,idq; vtiliter.* AVE.

I. PARS

I PARS.

De mortis Etymol ac Finitione.

Mortis nomen, aliis è Græcia, aliis è Latio oriundum. *Mortis Etymon duplex: Græcum.*

* j. *E GRAECIA* dicitur, quod Græcis ea dicta μόρος παρὰ τὸ μείρω, i. distribuo: ea enim omnibus æquè distributa, Regibus Sacrorum, Regibus murorum, Satrapis & colonis. *Erasm. de præparat. ad mortem.*

Statutum est hominibus semel mori. *Heb. 9 Pub*

Lex vniuersi est, quæ iubet nasci, & mori. *Mimus.*

Pallida mors, æquo pulsat pede pauperum tabernas, *Horat 1. Carm. 4.*

Regumq; turres. Vectigales enim illi etiam & Reges.

Eadem *Sceptra ligonibus æquat.*

Hæc æqua omnium portio, tam præliantium, quam remanentium ad sarcinas.

In Adam omnes moriuntur, in quo omnes peccauerunt. *Rom. 5.*

Pœnarum, quæ homini à peccato, hac nulla æquior; nam *esurit* quidem *vnus, alius autem ebrius est infirmatur quis in vobis, & ego non infirmor,* febrit vnus, alius non, &c. *Ad omnes eadem conditio deuinxit, cui nasci contigit, mori restat.* *1. Cor. 15.* *2. Cor. 11.* *Senec. ep. 4. lib. 16.*

Pœnarum quædam quasdam personas insectantur, ista Naturam omnem.

Mors æquissima *naturæ lex, tributum, officiumq; mortalium.* *Senec lib. 6. natur q.*

Omne hominum genus quodcunque est, quodcunque erit, morte damnatum est. *idē ep. 72.*

* ij. *E LATIO* nonnullis, vel à
- *Mereo seu mereor, Grammatico Perotto*
- *Mordeo, seu morsu D. Aug & Richardo.*
- *Amaritudine, obscuris scriptoribus.*

Latinum, & hoc triplex.

* 1. *A MEREO*, seu mereor, id est, lucri causa operor, vnde ista: meretrix, puer meritorius, & emeritus miles, nomina hominum lucro inhiantiũ. Itaque *mortem à vita emerita*, j. absoluta nominatam volunt, & *mortuos, quasi emeritos*, quod militia vitæ huius illi absoluti & exautorati.

Ioh. 7. *Militia est vita hominis super terram.* Homo, miles mercenarius.

Apoc 14. *Amodò iam dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis*, huc spectat.

D. Aug ser. 101. de tẽp. Cur Mors à morsu. * 2. *A MORDEO.* D. Augustinus. *Mors à morsu nomen accepit.*

Nam & illa à morsu est;

Idem lib. 1. hypognost. contra Pelag. *Opinor* (ait Aug.) *quod ideò mors vocabulum hoc accepit, eò quod morsu quodam venenosi serpentis, j. Diaboli, in paradiso Adam fuerit interemtus. Tunc enim serpens morsu decepit Adam, quando per concupiscentiam mordere, hoc est, edere suasit illicita, & propterea mors à morsu nomen accepit, sicut & Dominus morti minitans dicit, Ero mors tua o mors,*

Osee 13. *morsus tuus ero, ô Inferne: Mors & Infernus Diaboli persona intelliguntur, Christus enim mortem, & Infernum destruxit.*

Et Mors à morsu, cui illa bis similis.

Vt enim morsu, pars aufertur, pars relinquitur; sic Morte, corpus tantum, non etiam animus necatur, qui natura immortalis.

Cic. 6. de Repub. *Vt mundum ex quadam parte mortalem ipse Deus æternus, sic fragile corpus animus sempiternus mouet.*

Deinde, vt morsus; ita & mors, cum doloris sensu.

Arist. 3. eth. Vulgatum hoc: *Omnium terribilium terribilissimum est mors.*

* 3. *AB AMARITVDINE*, quam habet, multa, nonnullis etiam Mors dicta.

Eccls. 41. *O mors, quam amara est memoria tua, homini*

pacem

pacem habenti in substantiis suis!
Sed longius hoc petitum Etymon.

II. PARS.

De speciebus Mortis earumque Finitionibus.

Species mortis quinque

Mors vnica vulgo: Philosophis duæ: Christianorum nonnullis tres, nonnullis quatuor, mihi quinque. Vulgo, ea quæ Naturæ: Philosophis etiam ea quæ Virtutis: Nobis eædem illę, & præter eas etiam Culpæ, Gehennæ, & Raptus.

Mortis naturæ Finitiones.

* 1. *NATVRAE* Mortem aliter vulgus, aliter Philosophi gentium finiunt.

Vulgi.

Vulgus; DEAM TELO ARMATAM, CVNCTA VT VT ANIMATA INTERIMENTEM;

Eidem quasi Deæ litatum olim, vt defunctorum Manibus propitia esset, teste illo: *Æneid. 11.*

Multa boum circa mactantur corpora Morti.

Philosophorum.

Philosophi: PRIVATIONEM VITÆ. Lactantius *Mors est naturæ animantium dissolutio. vel ita: Mors est corporis animæque seductio.* *Lactant. inst. lib. 2. ca. 13.*

Merc. Trismeg. *Corporis dissolutionem, & corporei sensus abolitionem.* *Mercur. Trism. apud Stob. ser. 117.*

Themistius. *Mors nihil est aliud, quam dissolutio dissipatioque compositi, per quam partes in generalitatem, i. in naturam suam recurrentes reciprocantesque feruntur vniuersitati.* *Apud Io. Picum lib. 2. de morte, & c. c. 2.*

Plato: ὁ θάνατος ἐστι ψυχῆς καὶ σώματος διάλυσις, *mors est animæ, & corporis dissolutio.* *In Phædone.*

Cicero: *Sunt qui discessum animi à corpore putent esse mortem.* *Cic. 1. Tuscul.*

Anima non aliter, quam Sol lucem diei, vitam tribuit carni, cum venerit: mortem efficit, cum recedit.

Philip. 1.
Huc adspectant ista: *Cupio dissolui, & esse cum Christo.*

2. Tim. 4.
Tempus resolutionis meæ instat.

Mors diuortium quoddam est coniunctorum, Naturæ Sacris, & separatio animantis ab animato.

Sæpiusculè etiam metaphoricos cuiuscunque rei etiam animatæ interitus:

Plin. lib. 24. c. 22.
Hoc sensu Plinius: *Hinc rerum omnium obliuio, morsq; memoriæ.*

Plato in Phædone ex Hieron. ad Heliod. & Cicero 2. Tusc.
Mors Virtutis, quid
* 2. *VIRTVTIS* Mors illa est, de qua Plato cum Socrate loquuti, cum dixere: ὅλ@ φιλοσοφεῖν ἐστι τον θάνατον μελετᾶν. j. *tota Philosophorum vita, est iugis commentatio mortis* (vt vertit Cicero) id est, conari quàm longissime animum auellere, à corporei sensus vsu, seu (vt loquuntur) sensualitate.

Apud Stob. Ser. 115. in fine.
Porphyrius mihi sensi huius autor. *Altera* (inquit) *mors vulgo cognita, cum corpus ab anima soluitur: altera Philosophorum cum anima soluitur à corpore: & non necessario altera sequitur alteram.*

Macrob. lib. 1. in Somnium. Scip. c. 13.
Et Macrobius: *Ipsius animalis, hoc est hominis, duas asserit mortes Plato, quarum vnam natura, virtutes alteram præstant. Homo enim moritur, cũ anima corpus relinquit solutum lege naturæ. Mori etiam dicitur, cum anima adhuc in corpore constituta, corporeas illecebras, Philosophia docente, contẽnit, & cupiditatum dulces insidias, reliquasq; omnes exuitur passiones.*

Psal. 113.
Hanc subeunt, qui *Aures habent, & non audient*
Nares habent, & non odorabunt
Os habent, & non loquentur
Manus habent, & non palpabunt
Pedes habent, & non ambulabunt
} Malum. a ut malè

Iob. 31. Ps. 38.
Et qui dicunt: *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine,*
Posui ori meo custodiam, instar Anacharsidis.

Stimuli ad illam: *Sæpi aures tuas spinis, ne audiant malum.* Eccli.28.

Auerte oculos, ne videant vanitatem. Psal.118.

Pollutum nolite tangere. Isai.52.

Peccatis mortui, iustitiæ viuamus.

Ergo, Mors naturæ, separationem ait animæ à corpore; Mors virtutis, à corporearum rerum affectibus, atque vsibus immoderatis.

Mors Virtutis notissima Christianis, sed sub Mortificationis, aut Mortis Spiritualis, nominibus; Erasmo, sub Transformatoriæ: D. Ambrosio, sub nomine mortis Gratiæ. *Qui vocetur à Christianis.* *Erasm. de præp. ad mortem.* *D. Amb. l. 5. in Luc.*

Hinc ista: *Si spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* Rom.8.

Mortificate mēbra vestra, quæ sunt super terrā. Coloss.3.

Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerūt cum vitiis, & concupiscentiis. Galat.5.

Quasi morientes, & ecce viuimus. 2.Cor.6.

Semper mortificationem Iesu Christi, in corpore nostro circumferentes, vt & vita Iesu manifestetur in corporibus nostris. 2.Cor.4.

Existimate vos quidem mortuos esse peccato, viuentes autem Deo. Rom.6.

Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorū eius. Psal.115.

Si granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, multum fructum adfert. Ioan.12.

Moriatur anima mea morte iustorum, huc referri possint. Num 23.

Tales iure voces *mortuos sæculi*, viuos Dei.

Vnde contingat.

Mortis huius fons triceps.
- *1. Philosophiæ conatus, qui fons limosior.*
- *2. Dei mera gratia in baptismo, quo fomes submoritur, qui fons superiore limpidior.*
- *3. Conatus lib. arbitrii, & gratia Dei adiutans adultos renatos, qui fons illimis argenteus vndis.*

 Fon-

Rom. 6. Fontem secundum ac tertium spectant ista:

Consepulti sumus, cum Christo, per baptismum in mortẽ, vt quo modo Christus resurrexit a mortuis, per gloriã Patris: ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.

ibid. *Qui mortuus est, iustificatus est à peccato.*

Coloss. 2. *Si mortui estis cum Christo, ab elementis huius mundi, quid adhuc tanquam viuentes in mundo decernitis?*

D. Amb lib. 5 in Luc. *3. CVLPAE, seu animæ Mortem etiam ponit D. Ambros. illi enim mors triplex: NATVRÆ, CVLPÆ, GRATIÆ.

3. Mors, Culpæ seu Animæ. * 3. CVLPAE mors est, cum, ob culpam, animam deserit Deus, quo illa viuit, vt animo corpus.

Iac 1. *Peccatum, cum consummatum fuerit, generat mortem.*

Probata scripturis.

Rom 8. *Si secundum carnem vixeritis, moriemini.*

Ezech 18. *Anima quæ peccauerit, ipsa morietur.*

Sap. 16. *Homo per malitiam occidit animam suam.*

Sap. 1. *Os, quod mentitur, occidit animam.*

D. Aug ciuit. lib. 13. c. 2. *Quæuis enim humana anima veraciter immortalis habeatur, habet tamen quandam etiam ipsa mortem suam.*

1 Reg. 13. Act. 13. Matt. 8. Sacra Regum historia, sæpe ea tantum tempora Regum numerans, quibus iustè vixere, ea silens, quibus nequiter regnauere, pro mortuis iam tum illos habens, Mortem Culpæ adspectauit.

Chrys. hom. 11. in c. 6. Rom. Hoc adspectu, Saulem duos tantum annos regnasse legimus, cum circiter 40. ei Paulus in Actis attribuat.

Aug. 13 ciu. c. 2. Et illud Christi, ad iuuenem: *Sine, vt mortui sepeliant mortuos suos*, de morte animæ interpretatus Chrysost.

Gregor. li. 9. moral. in 10. c. Iob c. 46. D. Augustino, *Mors animæ fit, cum eam deserit Deus: sicut corporis, cum id deserit anima.*

Sap. 1. Isa. 59. D. Gregor. *Sicut mors exterior, ab anima diuidit carnem; ita mors interior, à Deo separat animam.*

Peruer-

Peruersæ cogitationes separant à Deo.

Iniquitates vestræ diuiserũt inter vos, & Deum vestrum.

Hæc naturali tanto peior, quanto anima melior Deus: quanto tristius, Deum ab anima, quam animam à corpore emigrasse. Si Mors à morsu, aut ab amaritudine dicta, ista certè & mordacissima, & amarissima. *Peior Naturali.*

Omnium terribilium terribilissimum est mors i-sta interior. *Arist. 3. eth.*

Mors peccatorum pessima. *Psal. 33.*

Naturali certè inest aliquid boni, huic nihil. Naturalis enim timoriam habet, & instaurat ordinem, quem culpa peruertit. Naturalis, malorum horum finis, ista principium. Decreta illa, hæc vetita. *Cur.*

Naturalem subimus semel, hanc perfrequenter.

Quis scit, an non fortè hac morte mortui hic stent, plures quam in cœmiteriis iaceant illa naturali?

Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus Gentibus, & tribubus, & populis, & linguis. *Apoc. 7.*

Vidi mortuos magnos, & pusillos, huc detorquere possis. *Apoc. 20.*

Multi (teste Aug.) *in corporibus viuis, animas mortuas portare noscuntur.* Stellis cœli numerosius hoc hominum genus, Sepulchra nulla hos capiant. *D. Aug. in Apoc.*

Vidua, quæ in deliciis est, viuens mortua est. Quã multis iure dixeris, *Nomen habes quod viuas & mortuus es?* Viuunt enim mundo, mortui Deo: *interficiunt animas, quæ non moriuntur.* *1. Tim 5.*

Tam multos, totiesq; morientes vix tamen est qui deploret. *Ezech. 13.*

* 4. *MORS GEHENNAE* sequitur, quæ in *4. Mors Gehennæ.*

Apoc.2.& 21. in Apoc. dicitur mors secunda, Ecclesiæ, mors perpetua, mihi etiam Mors ciuilis.

Lact. inst. l. 2. c 13. Lactantius ita finit. *Mors est æterni doloris perpessio, vel ita: Mors est animarum pro meritis ad æterna supplicia damnatio.*

Aug. lib. 13. ciu c. 2. *Hanc* (ait Aug.) *Saluator significauit* vbi ait: *Eum timete, qui habet potestatem, & corpus & animam perdere in gehennam.*

Ioan. 8. Et hic: *Si quis sermonem meum seruauerit, non gustabit mortem in æternum.*

Apoc. 20. Aug. sup. Est mors prima, & mors secunda: vti & Resurrectio prima, & Resurrectio secunda.

Resurrectio prima eorum est, qui nunc sine corpore beati: secunda erit, corporibus etiam reuectis ad gloriam.

Dicta autem est mors secunda, respectu primæ alicuius, nempe mortis naturæ in peccato.

Dici quoque ea possit mors ciuilis, quod excludat è Rep. beatorum.

Mortis huius capax:
- *1. Angelus.*
- *2. Anima separata.*
- *3. Corpus animæ restitutum,* quod tum viuere non est dicendum, cum illi anima non viuendi causa est, sed dolendi.

5. Mors Exstasis. * 5. *RAPTVS* Mortem ego pono, j. Exstasin, animi contemplantis, qnam finio ELEVATIONEM MENTIS IN DEVM, SIVE IN CORPORE, SIVE EXTRA CORPVS HOMINEM CORPOREO SENSV TANTISPER EXVENTEM.

Nam qui subiere. 2. Cor. 12. Huiusmodi mors fuit, raptus ille Pauli, triduanus, ad tertium cœlum, *siue in corpore, siue extra corpus, nescio Deus scit.*

Act. 9. ibid. Exutus enim ille tum sensu, *erat tribus diebus non videns, & non manducauit, neque bibit. Apertisq; oculis nihil videbat.*

Hanc

Hanc obibat mortem(credo) Moyses 40. diebus fruens consortio sermonis Dei in monte Sina.

Et Adamus,dum costa mutilabatur (teste Mose Bar-Cepha) vnde & in græco pro quiete ἔκστασις est. Et Prophetæ omnes, dum reuelationibus implebantur. *Moses Bar-Cepha de paradiso p.1.c.28.*

Et D. Franciscus,aliquando orans.

Vocasses enim tum ex nomine, Francisce, Francisce, &c. traxisses, depulisses, non tamen sensisset homo par mortuo,& Toronæo (vt aiunt) lit oc tunc surdior.

Vox talium : *Ego dormio,& cor meum vigilat.* *Cant.5.*

Et: *Nostra conuersatio in cælis est* *Philip 3.*

Lectus sepulchrumque illis, sinus ac vultus Dei. *Psal 30.*

Abscondes eos in abscondito vultus tui, à conturbatione hominum, hoc mortis genus notat.

Audi Papam Ethicum: *Sicut sepulchrum locus est, quo absconditur corpus, ita diuina contemplatio quoddam sepulchrum est mētis, quo absconditur anima. Quasi.n huic adhuc mundo viuimus,cum mēte in eum foris vagamur : sed mortui in sepulchro abscondimur,cum mortificati exterius,in secreto internæ contemplationis cælamur.* *Gregor l.5. moral. in c.3. Iob c.3.*

Mahometus veterator ita quondam se extaticū iactabat,morbo suo comitiali dissimulando, in quē nimia vinositate, ac reliqua vitæ intemperantia inciderat.

Quinque igitur Mortes.
- *1 Naturæ*
- *2 Virtutis*
- *3 Culpæ*
- *4 Gehēnæ*
- *5 Raptus.*

Nam & vitæ totidem
- *1. Naturæ.*
- *2. Sensus.*
- *3. Gratiæ.*
- *4 Gloriæ.*
- *5. Protectionis ad terrena nimia.*

Quot

Quot enim modis dicitur vnum oppositorum, tot modis & reliquum.

Differunt autem singulæ hæ mortes inter se toto Cœlo.

Differunt enim
- 1. *Autoribus & causis,*
- 2. *Subiectis,*
- 3 *Ordine,*
- 4. *Latitudine,*
- 5. *Diuturnitate,*
- 6. *Numero,*
- 7. *Qualitate.*

Mortes hæ inter se differre variè.

Autoribus. * j. *AVTORIBVS.* Mors enim Animæ seu Culpæ à suasu Diaboli est, nostraque ipsorum libertate.

Mors Naturæ & Gehennæ ab iisdem, ac præterea à Deo, vt peccati vltore.

Sap. 2. *Inuidia Diaboli mors introiuit in orbem terrarum.*

Sap. 1. *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum.*

Rom. 5. *Per peccatum mors.*

ibid. *In Adam omnes moriuntur, in quo omnes peccauerunt.*

Eccli. 11. *Iudicium mortis à Domino omni carni.*

Hebr. 9. *Statutum est* (à Deo vltore) *hominibus semel mori,* remoto scilicet obice mortalitatis, & permissis elementis tam sui inuicem, quam ex se compositorum destructoribus, naturaliter operari.

Bern. ad milites templi. *Mors operata est mortem, spiritualis corporalem, culpabilis pœnalem, voluntaria necessariam.*

At Mors Virtutis, & mors Raptus, à gratia sunt liberoque arbitrio.

----- *Reuocare gradum, superasque euadere ad auras,*

Virgil 6. Æneid. *Hoc opus, hic labor est: pauci, quos æquus amauit*
Iupiter, aut ardens euexit ad æthera virtus.

* ji. SVB-

* ij. *SVBIECTIS.* Mortis enim Culpæ, ac Gehennæ, æquè Angeli hominesque capaces: At Mortis Virtutis, seu philosophicæ, seu gratiæ, seu mortificatoriæ, seu transformatoriæ: Item mortis Raptus (vti nobis ea definita) Item Mortis naturæ, solus homo: Incorporeis enim Angelis, quis sensus corporis per Philosophiam, moriatur? aut per raptum sopiatur? aut ex quo illis corpore emigret animus? *Subiectis.*

Notum illud dæmonis cuiusdam, solam Macarii humilitatem, non etiam ieiunia, vigilias, &c. demirantis: *vigilat* (inquit) *Macarius? Ego omnino non dormio: Ieiunat? ego omnino non edo. Vna duntaxat ab illo vincor, Humilitate.* Sed quæ iactabat, naturæ fuere, non Virtutis reluctantis corpor[is], quod ipsi nullum fuit. *in Vitisp.*

* iij. *ORDINE.* *Mors enim* (ait Bernardus) *operata est mortem, spiritualis corporalem; culpabilis pœnalem; voluntaria necessariam.* *Bern ser. ad milites templi c. 11.* *Ordine.*

Deinde Mors Culpæ prima in Cœlo. *In Angelis suis reperit prauitatem,* itaque mox illos quasi peste infectos, Cœlo, quasi Vrbe eiecit, & morte secunda, quæ est Gehennæ, adfecit. *Ioan. 4.*

Eadem Mors Culpæ, etiam prima in Terris, quã mortes pœnæ, Naturæ scilicet ac gehennæ, insequutæ, effractis suis ab illa repagulis.

Mors Virtutis, Mors Raptus mediæ.

Nam & ante peccatum raptus Adam, dum soporatus, (vt nunc aiebam:) & Morte Virtutis, j. mortificationis, idem & ante, & post peccatum, sæpè est mortuus, & à corporeis illecebris abstractus, Boni, pœnitendique studio, instar aliorum. *Genes. 2.*

* iiij. *LATITVDINE.* Nam vt Culpa illa originalis est omnium: ita omnium, Mors naturæ. *Latitudine.*

Rom. 5. *In Adam omnes moriuntur, in quo omnes peccauerunt.*

Quis est homo, qui viuet, & non videbit mortem?

Psal 88. *Omnes morimur, & quasi aqua dilabimur in terram, quæ non reuertuntur.*

2. Reg. 14. Mors Virtutis, paucorum: Mors Raptus, pauciorum: Culpæ ac Gehennæ plurimorum.

Matth 7. *Quam angusta porta, & arcta via est quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inueniunt eam!*

Lata porta, & spatiosa via est quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam.

Apud Virg de lit. Y. *Molle ostentat iter via lata.*

Facilis enim descensus Auerni,

Virg 6. Æn. *Sed reuocare gradum, superasque euadere ad auras*

Hoc opus, hic labor est. pauci quos æquus amauit

Iuppiter, autem ardens euexit ad æthera virtus.

Ausonius. Virum ita mortuum *vix repperit vnum*

Millib. è multis hominum consultus Apollo.

Duratione. * v. *DIVTVRNITATE.* Mors enim Naturæ, ad resurrectionem vsque: Culpæ, vsque ad pœnitentiam & gratiam: Virtutis, & gratiæ, vsque ad culpam: Gehennæ, totam durat æternitatem. Raptus, ad paucos dies, aut momenta.

Numero. * vj. *NVMERO.* Mors enim Culpæ. Mors Virtutis, Mors Gratiæ, Mors Raptus frequenter obeuntur.

Prou. 24. *Septies in die cadet iustus, & resurget.*

At Mors Naturæ, ac Gehennæ, semel duntaxat.

Heb. 9. *Statutum hominibus semel mori,* tantum.

Sap. 2. *Non est qui agnitus sit reuersus ab Inferis. irremeabilis vnda*

Labyrinthi illius inextricabilis error.

Semel

Semel inquam, contra
- *Pythagoreos*, palingenesi, j. renascentiam crebram somniantes.
- *Platonicos*, aiētes post 36. milia annorum renascituros oēs denuo, denuoque morituros, atq; ita iterumque iterumque.
- *Originem*, ponentem quidem omnium resurrectionē, sed multis post illam resurrectionem seculis, corporum in nihilum reditum, vt illi impingit Theophilus Alex. Episc. *Theoph. l 3. sui Paschalis.*

* vij. *QVALITATE.* Naturæ n. ac Gehennæ, crucians: Culpæ, & Virtutis, mixta tristitia ac voluptate: Raptus, mellitissima. *Qualitate.*

Mors
- *Culpæ*, vitanda, quia decet, atque in manu est.
- *Naturæ*, ferenda, quia oportet. *Feras non culpes quod vitari non potest.* *Publius Mimus.*
- *Gratiæ ac virtutis*, prosequenda quia, si libet, licet.
- *Gehennæ*, horrenda.
- *Raptus*, optanda, quia *non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* *Rom. 9.*

Mors Culpæ, omnium terribilissima. *Mors peccatorum pessima*: Cæterarū quædam merè Bonæ, vt Mors Virtutis, & Mors Raptus: quædam Bono respersæ, qua reordinatiuæ Culpæ; vt Mors Naturæ, & Gehennæ. *Psal. 33.*

Ex illis aliquas subiit etiam ipse immortalis Deus. *Virtutis* n. illam ac Philosophiæ Mortem tota vita Christus obiit, nunc secedendo, nunc ieiunando, nunc tacendo ad iniurias, &c. *Christus sæpe mortuus.*

Alteram illam Raptus, sæpissimè, pernoctando in oratione, & ferali nocte factus in agonia, &c.

Naturæ

Naturæ, quis alius ab illo subiit duriorem, ignominiosiorem, iniustiorem? &c.

Mortem Gehennæ, etsi non in Gehenna ipsa, tamen tulit acerbiorem mille gehennis, mihi tibiqu mortem in cruce perferens, postquam etiam descendit ad Inferos. *Culpæ* autem, nunquam.

Morte Culpæ nunquā.
Ioan 8.

Quis ex vobis arguet me de peccato?

In gehenna Deum esse, fas dicere; in Culpa, nefas.

Thronum sibi malit in Inferno Deus, quam in anima peccatoris.

Psal 138.

Si descendero in Infernum, ades.

Fas dicere, Inferni autorem Deum; Culpæ, nequaquam.

Possit aliquis beari in gehenna, nemo in Culpa.

Infernum posse esse in paradiso; fas dicere; nefas, Paradisum in peccato.

Sicut vbi Papa, ibi Roma: ita vbi virtus, ibi paradisus: vbi peccatum, ibi Infernus. Igitur Mortes istæ multifariam differentes. De morte autem cum me dicturum dico, de Morte Naturæ intelligo, de cæteris non item, nisi qua conor, mortis Naturæ admonitu, aut ad mortes alias adducere, aut ab ii abducere, vt Mors vna, Mors sit Mortium quarundam, quarundam vita.

Propositio tractatus de Morte. eiusq́ue scopus.

Conor sanè
- *Abducere á morte*
  - *Culpæ,*
  - *Gehennæ.*
- *Adducere ad mortem.*
  - *Virtutis, seu Gratiæ, seu Mortificationis.*
  - *Raptus, seu Cōtemplationis.*

Alioqui, frustrà declamem de morte Naturæ, quæ vitari non potest.

Mor-

III. PARS.

Mortis Naturæ memoriam suaderi à magnis, idq; vtiliter.

Meditandæ Mortis Autores magni
- 1. *Dij*
  - *1. Verus, ac verax idem.*
  - *2. Falsi, ac fallaces.*
- *2. Interpres Diuûm Ecclesia.*
- *3. Homines.*
  - *1. Ethnici*
    - *1. Philosophi,*
    - *2. Reges.*
  - *2. Christiani*
    - *1. Diui,*
    - *2. Monachi,*
    - *3. Imperatores.*

Meditandæ mortis consultores multi ac magni.

Quin & *omnis dies, omnis hora, quam nihil simus, ostendit: & aliquo argumento recenti admonet fragilitatis oblitos, cum æterna meditantes, respicere cogit ad Mortem.* *Senec. epi. 1. lib. 17.*

* j. DII; *Verus ille vnicus, idemq; verax.*

Hominem Deus Mortis multis admonuit.

Variè
- *1. Materia ex qua,*
- *2. Nuncupatione,*
- *3. Vestitione,*
- *4. Opificio,*
- *5. Admonitu,*
- *6. Mysterio.*

Ipse iubet mortis te meminisse Deus. *Mart. 2.*

* 1. *MATERIA EX QVA,* E puluere enim ac limo hominem finxit, vt quauis testa se sciret fragiliorem. Materia ex qua.

* 2. *NVNCVPATIONE,* Vocauit enim Adam, j. terrenum, quasi dicat terrigenam, vt audito nomine duntaxat suo, factum ex materia tam fragili, facillimè dissoluendum, cogitaret. Nuncupatione.

Vides enim vt statuam illam Nabuchodonosoris vtlibet excelsam, cui pars quædam pedum fictilis, vel lapis spontè è monte lapsus euertit. *Daniel. 2.*

Et nunc quòd Homo, ab humo Latinis eſt dictus,non eſt ſine numine Diuum,vt nec quòd omni lingua aiunt homines vocari terrenos.

Eraſm.de præp. *Quoties nominatur homo,mortis admonetur.Idē enim nobis declarant mortales & homines.*

Hier.22. *Terra,terra,terra.*

Veſtitione. * 3. *VESTIMENTO.* *Fecit* enim *eis tunicas pelliceas & induit eos,* mortuorum animantium, Vrſi fortè aut Getuli ac hirſuti alicuius Leonis exuuias, vt veſtem intuiti,de morte cogitarent. *Geneſ.3.*

Opificio. * 4. *OPIFICIO.* Fodere enim eos iuſſit, & agrū colere,tam ante culpam,quàm mox à culpa, vt quoties ligone terram effoderent, toties cogitarent de ſepulcro, quod ſibi forte iam tum pararent, dicerentque, *Mori reſtat:*

Iob. 17. Et, *Solum mihi супереſt ſepulcrum.*

Admonitu. * 5. *ADMONITV,* ante ac poſt culpam. Ante culpam : *In quacunq; hora comederis ex eo : morte morieris:* poſt culpam : *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo , &c. donec reuertaris in terram , de qua ſumptus es.* *Gen.2. & 3.*

Myſterio * 6. *MYSTERIO.* *Memorare nouiſſima tua Eucharistico. Quotieſcunq; enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis,* ac veſtram facilè *donec veniat* Mors vitam auſa aggredi,non auſit Mortales?inquies. *Eccli 7.* *1.Cor.11.*

Dij falſi quoque. * ij. *DII FALSI :* Nam Apollo Delphicus,oraculo illo celeberrimo, γνῶθι σεαυτὸν, j. *noſce teipſum,* quod portæ templi,quaſi primum,ac quidem literis aureis , quaſi illuſtriſſimum inſcriptum fuit, & quod(nonnullorum ſenſo)è cœlo cecidit, Mortis admonuit.

Noſce teipſum quā celebre, & quid velit.

Iuuen. 11.

Iſtud dictum nobis inſinuat(ait Picus:) *Partes, ex quibus compagineris,aduerte: vnde veneris , curato ſapere: quid acturus ſis , penſicula : quis ſis futurus: quoq; tandem iturus,ſæpiſſime cogitato.*

Ioan. Picus li.2. de morte Christi. & c.c.5.

q. d. *Tu quis es?*
q. d. *Quem teipsum facis?*
q. d. *Sciant gentes, quoniam homines sunt,* non Dij, ne insolescant: non bestiæ, ne degant more feræ, sed medij, vt humaniter viuant. *Psal. 9.*

Dij estis, & filij Excelsi omnes quidem, vos autem sicut homines, moriemini. *Psal. 81.*

* iij. *INTERPRES* { *Signo,*
Diuûm Ecclesia { *Verbo.* Et Ecclesia.

Signo. Cinere enim capita spargit. Et verbo, cum ait: *Memento homo,* &c. annuo illo, ac minimè contemnendo ritu.

* iiij. *ETHNICI Philosophi,* etsi solo cereo illi, ac lucernula rationis illustrati, & inter nos, qui facibus ac Solibus mille illustramur, cœci licet illi ac talpæ. Ethnici philosophi.

Socrates. *Philosophari nihil aliud esse, quàm mortem meditari,* æstimauit. *Cic. 1. Tusc.*

Plato clamat: Sapientis animum totum in mortem prominere, hoc velle, hoc meditari. Lectum mihi, Platonem, Athenis relictis, in Academiam, villam ruinæ minacem, frequenti quoque terræ motu ac tempestatibus pæne euersam, & (si Porphyrio credimus) insalubrem, vnde ipse oriũdus (vt est in Policratico) secessisse, vt tot mortis terroribus, quà à solitudine quà à ruinis, quà ab hiatibus, quà ab insalubritate, mortis recordaretur ipse ac discipuli, serioque omnes vnà philosopharentur, j. bene viuerent. Plato mirabilis mortis meditator. *Senec. li. de consolat. ad Martian. D. Hier. li. 2 in Iouin. & D. Aug.*

Democritus sæpe inter sepulchra versatus hac fini; vti & Diogenes ipse. *Porphyr. de abstinentia animal.*

Phænicum Sapientes, specie serpentis caudam admordentis, hominem pingere soliti, admonebãt, decere hominem, sedulò ortum sui; occasumque intueri. *Polycrat. l. 7. c. 3.*

Zaleucus Locrensium Legislator in hac parte: *Singulos oportet semper* (inquit) *in singulis actionibus illud tempus* (Mortis sc.) *adeo cogitationibus fami-* *Proœmio legum suarũ.*

liare facere, ac si præsens eßet. Ita enim maxime honesti iustiq; cura vigebit.

Reges, *Ælian. li. 8. var. hist. cap. 15.*

* v. REGES. Philippum Macedonem ferunt, victorem Atheniensium in Cheroneâ factum, delegâsse hoc officij seruo, sibi vt pronũciaret ter quotidie, antequam aut ipse prodiret, aut quisquam eũ, conueniret: *Homo es Philippe*, vt, mortis humanæ, inconstantiæque rerum admonitu, insolentiam Victoriæ Filiam cohiberet.

Herodot. li. 3. Plutarch.

Apud Ægyptios olim in Optimatum ac Diuitũ, genialibus conuiuiis, cadauer ligneum in orbem intuendum singulis ostendebatur, cum his verbis. *In huncintuẽs pota, & oblecta te, talis post mortem futurus.*

Christiani Sanctiores. *In Vitam eius. Et apud Isidorum, Et Marul. lib. 5. inst. c. 9. Pallad. hist. 113.*

* vj. *CHRISTIANI Sanctiores* Ioannes n. cognomento Eleemosynarius, Patriarcha Alex. sepulcrum suum inchoari quidem, non autem perfici voluit; sed festis solennioribus, quibus prodibat honoratior, imò quotidie (ex aliorum mente) sibi ab aliquopiam ex suis, dici iussit: *Domine, sepulchrum tuum cœptum quidem iampridem, sed hactenus imperfectum atq; interruptum: tu ergo perfici illud iube, nescis n. quâ horâ fur venturus.*

Philoromus quoque presbyter Galata annos sex totos vixit incola sepulcrorum, ne excideret illi, mortuum se mundo, viuere Christo oportere.

Monachi. *Damasc. in lib. de Vita Barlaam & Iosaphat*

* vij *MONACHI.* Nam sanctos aurei illius Ecclesiæ seculi Martyres, atque Eremitas, gestasse semper ossa mortuorum ferũt, causamque rogatos à Rege, respondisse: ne Mortis vnquàm eos caperet obliuio.

Audio etiam, semper apud Claræuallenses Monachos, prostare foueam paratam monacho cuilibet primo deinceps morituro, eamque à Monachis quotidie tim visi, mortis perenne monimentum.

Et plerique iam passim monachorum, caluarias in cellulis adseruant hac fini.

In Vitisp.

Arsenium aut sæpe aut semper de morte cogitasse

tasse putem, vel ex sola hac Theophili Episcopi morientis voce: *Ah! tu beate, Abba Arseni, cuius oculis hæc hora semper obuersata atque obseruata!*

* viij. *IMPERATORES.* Olim positum in more (Imperatorum ipsorū decerto veteri, quis dubitet?) vt quo die Imperator Constantinopolitanus crearetur, eodem Latomi aliquot eum accederent, offerrentque marmora diuersi generis, & rogarent, eligeret, quo ex marmore sibi poni vellet Mausolæum. — Imperatores. *In Vita Ioh. Eleemos.*

Saladinus Babyloniorum Rex, Asiæque dominator Cælestini 3. & Imperatoris Barborossæ tempore florentissimus, moriturus iussit, subuculam suam longe lateque ex hasta, circumferri, atque ab armigero proclamari: — *Monstrelet. Paradinus pag. 31.*

Hæ reliquiæ victoris totius orientis, mortis ità omnes oblique admonens.

Iosephus ille Patriarcha, Imperatore nihilo minor, dum ait posteris: *Asportate ossa mea vobiscum de loco isto.* i. ex Ægypto, ossibus suis, memoriam Mortis nepotibus voluit refricari. — *Genes. 50.*

Vtilitas vero, ac pretium operæ huius, Deus bone! quantum! — Vtilissima Mortis cōmentatio.

Audi Patres, ac Rei Christianæ Magistros. Augustinus: *Timor de futura morte, mentem necessariò concutit, & quasi clauis carnis omnes motus superbiæ, ligno crucis adfigit.* — *D. Aug. lib 2. de doctr.*

Gregorius: *Qui considerat qualiter erit in Morte, semper pauidus erit in operatione, atque inde in oculis sui Conditoris viuit.*

Medicamentorum istud vnum potentissimum, & naturæ ab aliis alius.

Medicamentorum quædam valent ad vnctiones liuorum, tumorum, &c. quædā ad vlcera, quædam ad tubera, quædā ad vulnera, quædam ad potionem, quædam ad clysterem, &c.

Neque vno collyrio omnium oculi inunguntur:

Et actionum atque exercitiorum quædam valent vni vitio; quædam alteri edomando.

Superbiã ac fastum crebra humiliatio iugulabit. Libidinem, ieiunium & oratio, & sic de cæteris

Matth. 17. *Hoc genus dæmoniorum non eiicitur nisi per orationem & ieiunium.*

Rarissimè medicamentum vnum aliquod multis morbis, pœneque omnibus conueniat, æquet aut vincat licet Theriacam Venetã, Mithridaticũ, aut herbam Moly Homero cantatissimam, &c.

At Mortis sola mediatio, vtilis animi morbis pænè omnibus euincendis.

1. Reg. 21. Quod de gladio Goliathi, dixit Dauid: *Non est ei alter similis, da mihi eum:* huc quadret; Non est meditationi mortis altera similis, da mihi eam, & victor vitiorum fiam.

Ioan. Climaci senso: *Sicut panis necessarius est homini præ cæteris alimentis: ita intenta meditatio Mortis necessaria est homini, præ aliis donis & exercitiis bonis.*

Et mirè necessaria. Me Iudice, quam Auibus alæ ad volãdum: Nautis vela, gubernacula, Cynosura, ac Pharus, ad rite nauigandum: Piscibus caudæ ac pinnæ, ad natandũ: Quadrigis rotæ ad vehendum: Equis vngulæ ferratæ, ad currẽdum: tàm necessaria homini meditatio mortis, ad bene beateque viuendum.

CONCIO II.

Heb. 9. Them. *Statutum est hominibus semel mori, & post hoc iudicium.*

FActa repetitione hesternæ concionis, ita propositum.

Partitio. Dicendum hodie
- *1. Memoria Mortis, peccata qualibet iugulari,*
- *2. Superbiam inprimis,*

3. Et

3. *Et Carnis deinde voluptates.* A.V E.

I.

Memoria Mortis peccata quælibet iugulari.

Esto,sit verum: *Omnium terribilium terribilißimum est mors*, imò vel sola eius memoria. *Ethic.3.* *Eccli.41.*

O mors,quā amara est memoria tua homini pacem habenti in subst. suis

Sit *Mors in olla:* sit aole:sint aquæ Marath, cōciones quæ de Morte: *De Morte cogitare, loqui,audire,triste quidem.*

Fremat ac tremat licet Saul, audito mortis suæ nuntio: pallescat quisque, vel audito solo nomine Mortis, dicatque: *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* *Ioan. 6.*

Sit hoc *lapides loqui* iuxta Prou.

Sit vel Cupressus priscis inuisa, quod funeribus adhibita:& apium, quòd eo sepulcra coronarentur: & nunc thus,quòd in funere suffitum faciat:

Tamen,vt pharmaca amara,sępe sunt mellitis salubriora, nostris corporibus: ità animis durus sermo,molliore salutarior. *Sed vtile*

Nunquid & vos vultis abire? Verba vitæ æternæ habet, qui de Morte habet. *Ioan. 6.*

Cor sapientum vbi tristitia est, & cor stultorum vbi lætitia. *Eccles.7.*

Melius est ire ad domum luctus quàm ad domū conuiuii,in illa enim finis cunctorum admonetur, & viuens cogitat quid futurum sit. *ibidem*

Iustus,aut iustitiæ auidus,*ab auditione* hac *mala non timebit.* *Psal. 111.*

Vere dictum:*Memorare nouiss.tua, & in æternū non peccabis* j. aut nunquam peccabis, aut si interdū peccabis,non tamen in æterrum , j. non obfirmabis animum,resipisces aut citò,aut tandem. *Eccles.7.*

Aug lib. 1. cõt. Manic. Aug. *Nihil sic reuocat hominem à peccato, quam frequens mortis meditatio.*

Senec. li. 20. ep. 2. ad Lucil. Seneca: *Nihil tam æque tibi profuerit ad temperantiam omnium rerum, quam frequens cogitatio breuis æui, & huius incerti.*

D. Chrysost. Pulcre, sciteque Græcus Antistes. *A culpa natæ sunt duæ filiæ, Tristitia & Mors, quæ duæ filiæ hanc pessimam matrem destruant.*

Nam Mors, peccati mors. Tristitia ac pœnitudine commissa delentur; futura cauentur Mortis metu.

2. Cor. 7. *Quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.*

Vt vermis è ligno pannoue nascens, eadem sensim corrodit:

Vipera nascendo matrem necat, vti & Mater maritum, concipiendo:

Probatur congeries similium. Physicorum opinione, viperæ morsus curat viperæ cinis:

Lactant. de ira Dei. Scorpionum ictus oleum scorpionum: Canum morsus eorundem pili:

Pelias Achillis hasta, Telephum, quem antea pridem vulnerârat, curauit (vt est in Fab.) iniecta in vulnus ferri eius rubigine

Itâ Peccatum quod Viperâ, Scorpione, Cane, atque hastâ quauis nocētius, Mortem genuit, nos momordit, ac læsit, id est, mortales ex immortalibus effecit, mortis meditatio enecabit.

Huius Viperæ, Scorpionis, Canis, Hastæque vulnus, id est propensionem in peccatū) curabit Viperæ cinis, Scorpionis oleū, Canis pili, Hastæ quæ læsit rubigo, ǐ mortis memoria, qua videlicet ea à peccato autore est, ac quasi parente.

Amet quisquam scilicet peccatum totius generis sui, suique tandem ipsius parricidam?

Virg. 4. Æneid. Dicet potius: *Exoriare aliquis nostris ex ossibus Vltor.*

Apollo huc fortè spectauit, cum Zenoni sciscitanti,

tanti. *Qui optime viuere posset?* respōdit: *Si mortuis colore concors esset,* j. si mortis casto metu pallesceret: aut exangue, & emortuum corpus suum ieiuniis efficeret: aut maiorum mores ac vitam proxime æmularetur. Et oraculū cuius sensus varij.

Medici in alieno solo elanguidos in suū remittunt, quo postquam rediere, videas sensim corpore toto conualescere: Nos Terrigenas, terræ nostræ oblitos, peregrinantes animo ac parum sanos, non sanet etiam in terram nostram reditus, id est cogitatio seria, de Morte ac Sepulchro?

Aquæ Maris, Fluminibus procul à mari, dulcescunt; eędem illæ, si in mare refluæ, salescunt rursus, ad ingenium redeūtes: Nos, si obliti Mortis ac Terræ, humanitatē exuimus; ad ortum, j. Terram, cogitatione redeuntes, ad humanitatem etiam non redeamus?

Vt ne dubites, operæ huius precium, effectumque, nunc ex aliis disce.

Sanctissimi illi Philosophorum quicunque mortem meditari. Exempla.

Socrates, eiusque auditor Plato cum suis, qui toti in hoc studio, quam moraliter sancti! quàm pœnè Christiani!

Diogenes, quàm voluptatum abstemius. Vnde quæris? à frequenti intuitu sepulcrorum!

Democritus quā perpetuus communis stultitiæ irrisor! quæris cur? sæpe inter sepulcra deābulabat.

Quòd Locrenses, sanctitate non vltimi populorū, à Zaleuco Legislatore hoc illis suo ita leges scire prooemiante: *Morituros omnes, iniuriarum, quas commiserunt, memores pœnitētia inuadit, & vehemens cupiditas, quā vellent, exactam sibi vitam omnem, fuisse iustam. Quamobrem, singulos oportet semper in sigulis actionibus illud tempus adeo cogitationibus familiare facere ac si præsens esset. Ita enim maximé honesti iustiq; cura vrgebit.* *Stob. ser. 42.*

Fama est, ab Alexandro quodam Papa, hoc sacro astu flagitiosum militem quempiam ad veram pœnitudinem adductum. Cum .n. miles omnē peccati multam sibi Catholico ritu ab illo indictam auersaretur: is annulum ei suum digito gestandum dedit multæ loco, ea lege, vt quoties eum ille intueretur, toties de sua morte cogitaret. Datum, legemque accepit miles durus. Cumque is iam plusculis diebus imperata fecisset, reuersus ad Alexandrum paratū se dixit, quiduis perferre & pati.

Ferunt hac cogitatione, Patrem natumque Nobiles, Religionem ingressos. Cum .n. Vnigeniti sui in monasteriū ingressum ferret ægrius seculi adhuc mancipiū pater, & auellendi illinc studio illum inuisisset, minitans etiam Abbati ferrum flamamque, j. euersionem; Filius reditum promisit, liberaret modo Pater consuetudine vnâ ditionē suam, ea sc. qua æquè cito mori adsolerent iuuenes & senes; alioqui nunquam se indeegressurum. Rem ergo illam viribus suis superiorem intelligens Pater, adiunctus Ordini, pariter cum filio vixit Cœlo, Soloque est mortuus.

Philosophum quēdam magnum illum quidem, sed tamen initiò Mundi mācipium, tandem & Mūdi proculcatorem, Dominicanum, & Theologum illustrem, & Sanctissimum effecit, audisse fortuitò in matutinis precibus, post Macrobiorum, j. patrum primi seculi longam vitam enarratam. Epilogi vice semper addi. *Et mortuus est. Et mortuus est*

Gen. 5. Cogitabat n. Mihi eadem lege nato, etiam mori restat. Itaque discendum, quo semel dumtaxat vtendum.

Capitis damnatos mihi vide: flagitiosissimi fuerint illi, plerique tamen omnes emendantur, iam certi moriendi.

Psal. 77. *Cum occideret eos, quærebant eum, & reuertebātur, & diluculo veniebant ad eum.*

Damna-

Damnati à medicis; Quique in mari turbato aut periculis quibuscunq; versantur, vnde tam sanctuli? Mihi à Mortis sola imagine.

Ezechias audito mortis nuntio, versus ad parietem ait: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ, &c.* *Isai. 39.*

Minæ mortis solæ, quam corrigunt! quam continent!

Achabum mortis minæ ab Elia, ad scissionem vestium, ad cilicium, ad ieiunium, ad saccum, ad capitis demissionem, traxere. *3. Reg. 21.*

Regem, populumque Niniues ad cinerem &c. minax illud: *Adhuc 40. dies & Niniue subuertetur,* proiecit. *Ionæ 3.*

Baptistæ illud: *Securis ad radicem posita est,* quam multos correxit! *Multi* (ait Lucas) *veniebant confitentes actus suos.* *Luc. 3.*

Pestis grassetur, imò eam Prognostica fabulosa tantum minentur; immineat prælium; instet vel ab hoste vel in hostem irruptio, plerique omnes milites, vsque ad caculas ipsos *Veniunt confitentes actus suos.* Igitur scite Monachus ille montis Oreb, (quem antea, dissolutum, graui, postea infirmitate decubãtem, emigrasse è corpore, vnius circiter horæ spatio, refert Climacus) qui post 12. annos à raptu illo suo rogatus aliquid dicere, dixit: *Indulgete mihi, nemo memoriam mortis habens poterit peccare.* *ibidem* *Ioan Climacus Scala parad grad seu c. 6*

Experto crede: *Ipse certé vere erat transformatus in nouum hominem,* inquit Sanctus. *Climac. ib.*

II.

Iugulari Superbiam inprimis.

Superbiam abiici, Mortis commẽtatione.

Conuoluta hæc euoluamus, & secemus in partes vastem istam ostentati corporis molem.

Omne quod in mundo est Concupiscentia carnis est & Concupiscentia oculorum, & Superbia vitæ *1. Ioan. 2.*

Tria sunt omnia: tria hæc qui vicit, omnia vicit. A Superbia, vt à capite, ordiar? Placet. Hanc enim maximè Mors obtruncat.

Dupliciter. Omnes enim bis pares Mors facit.
- 1. *Moriendi æquali necessitate.*
- 2. *Putrescendi similitudine.*

D. Aug. de Verb. Dom. * 1. *MORIENDI æquali necessitate. Agnoscat se homo mortalem, & franget elationem*, ait August.

Idem lib. 2. de doctrina Christ. Et. *Timor de futura morte, quasi clauis carnis omnes motus superbiæ, ligno crucis adfigit.*

D. Bern. ad Eugen. Et Bernard. *Consideranti duo hæc, Rationale, Mortale, tibi exinde obcurrit fructus, vt Mortale quod est in te, Rationale humiliet: Rursu Rationale, Mortale confortet, quorum neutrum neglectum est homini circumspecto scientia. Nam, etsi superbierit ex Rationali, quod ei commune est cum Angelis, ex Mortali sit humilis, quod participat cum iumentis.*

Ouid. Pauonem quantum effert iris sua, & rota è plumis stellatis versicolor, visa, ac maximè *Laudatas extollit auis Iunonia pennas*; tantùm dejicit eius & rotam & animos, pedum, quos habet turpissimos, solus adspectus.

Esto, sit aliquis *laudato pauone superbior*: demissior fiet, mortis meditatione.

Psal. 81. *Dij estis* (senso vestro sc.) *& filij Excelsi omnes*, Auis, Imaginibus, Ceris, Triumphis aut vestris, aut maiorum, superbitis: Ego autem oppono: *Vos au-*

Ibidem. *tem sicut homines moriemini, & sicut vnus de Principibus* cadetis.

Insinuat Psalmista primò vulnus ipsum: secundò medelam eius, scilicet mortis sarum.

Superbiæ acies quæ à
- 1. *Robore corporis,*
- 2. *Prosperis, Victorijs, Diuitiis, &c.*
- 3. *Fama,*
- 4. *Scientia, &c.*

Hac Mortis cote ac lima deteritur.

* j. SV-

* j. *SVPERBIAM, quæ à robore corporis*, retundit cogitata vis Mortis etiam ipsis Samsonibus insuperabilis: cogitatæ velitationes, ac fœdi insultus, quos ferre coguntur mortui à vermibus, à muscis, & (si fortè libeat sæuire in mortuum) à puerulis, à fœminis, cultello linguam illis aut vultum barbarè scarificantibus. Superbiam à viribus corporis.

An non vel Leoni mortuo insultet catellus?

Mors sola fatetur. *Iuuen. sat. 10.*

Quantula sint hominum corpuscula?

Eneruat Mors & euirat, imo & prænuntia mortis febricula.

Situs quoque, qui à morte fastum, si attenditur, elidit. Supinus enim omnes sternit, quos nemo curuauit.

Et calcabiles illos omnibus, ac sub terram locat, qui calcauêre omnes, nullis subfuêre.

Qui dicebas in corde tuo, in cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. Ascēdam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. *Isai. 14.*

Veruntamen ad Infernum detrahêris, in profundum laci. Qui te viderint, ad te inclinabuntur, teq; prospicient. Nunquid iste est vir, qui conturbauit terram, qui concussit regna. Qui posuit orbem desertū, & vrbes eius destruxit?

Si ascenderit vsq; ad cœlum superbia eius, & caput eius nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur, & qui eum viderint dicent, vbi est? Velut somnium euolans non inuenietur, transijt sicut visio nocturna. *Iob. 20.*

Eccui tùm non licet, insultare iacenti?
En tellus, & quam bello, Troiane, petisti,
Italiam metire iacens. *Virg. AEn.*

Dices ergò: Egone febricula ac Morte vincendus, ac tùm vinciendus, sternendus, sub terra, calcandus omnibus, de robore corporis glorier?

Et eam quę à fortunæ bonis.

* ij. *A PROSPERIS. Victorijs.* Diuitiisque Superbia, etiam vincitur Mortis meditatione, quam & Polycrate fœliciores, & Alexandro victoriosiores, & Crœso ditiores necesse est pati.

Necesse est dicas: Omnes vici? at morte vincar, quam nec Repulsa, nec Fuga, nec Artes domant.

Occidi alios? mihi aut occidi, aut quà qua moriar vinci restat.

Orbis totius spoliis quōdam onustus, fiam Mortis præda, nusquam efferar.

Hoc vidit, qui suasit: *Nosce teipsum*, j. hominem, ideoque Mortalem.

Ælianus Var hist lib. 8. c. 15

Et Rex ille, qui dixit: *Sciant gentes, quoniam homines sunt*, ideoque Mortales.

Vidit studii huius fructum, Philipus Macedo, qui prælio victor iussit sibi cotidie à seruolo manè pronuntiari *Homo es Philippe*, vt mox naturæ mortalis admonitus, minus, de victis in Cheronæa Atheniensibus, insolesceret.

Viderunt, qui Triumphantibus Romæ adiunxerunt, qui in fastu, pompaque triumphali diceret: *Hominem te esse memento*.

D. Hier. ep. Monstreletus. & paradinus Pag. 3. Brusonius lib. 4. facet. c. 10

Vidit Saladinus Babyloniorum, Asiæque dominator, quum moriens iussit subuculam suam longè lateque ex hasta circumferri, atque armigeri voce clamari: *Hæ reliquiæ victoris totius Orientis.*

Et M. Æmilius Lepidus princeps Senatus, qui expiraturus præcepit filiis, vt mortuum lecto strato, sine linteis, sine purpura efferrent.

Victorem, quantisper viuit, Arabes, & Seres adorent; mortuum tamen nemo in tumulum comitatur, paucas excipe stultas quasdam gentes, quæ carissimum quēque in mortuorum rogos, tumulosq; coniiciunt: & illam Cariæ Reginam Artemisiam, quæ dum cineres mariti hausit, facta est Mausolo suo celebre Mausolæum. In tumulis potentissimorum, tota pompa, vermes ac serpentes.

Herodotus Scythis id impingit.

Cum

Cum morietur homo, hæreditabit serpentes, bestias, & vermes: Eccli. 10.

Putredini dixi, pater meus es; mater mea, & soror mea, vermibus. Comitatus ille vnus communis omninum Irorum, Crœsorumque. Viceris regna, quot Sol videt, & subterraneos illos, quos audito Anaxarcho Democriti auditore, quærebat mundos, mundorum ille helluo gulosissimus Alexander, victorem tamen mortuum scrobs parua suscipiet, ni malit (vt ille) frustratim secari, atque in tot regna dispergi. Iob. 17. Valer. Max lib. 8. c. 14.

Omnia Cæsar habet, sed gloria Cæsaris esse Incert.
Desinit, & tumulus vix erit octo pedum.

Esto: Nunc *Vnus Pellæo iuueni non sufficit orbis?* Iuuen. sat. 10.
Æstuat infœlix, angusto limite mundi,
Vt Gyaræ clausus scopulis, paruaq; Seripho?
Cum tamen à figulis munitam intrauerit vrbem,
Sarcophago contentus erit.

Audi Regē ac Prophetā de se: De tot arcibus, opibusq;. *Solum mihi super est sepulcrum,* inquit. Iob. 17.

Quamlibet nunc grauem exuuiis Regum, vile tunc linteum Victorem teget, Regnis, Coronis, Purpurisque hic relictis.

Subuculam dūtaxat extulit totius victor Orientis Saladinus.

Spoliauit me gloria mea, & abstulit coronam de capite meo. Iob. 1.

Ergo, si tu ita Mortem meditere, mox te ita adloquere: Ego si *nudus egressus de vētre matris meæ & nudus reuertar:* si

Nudus in terram veni, sic nudus abibo?
Quid frustra sudo, funera nuda videns?

Frustra congeritur quoquam, quod illinc efferri non potest.

Quo duplicib. triplicibusq; indui nudo abituro.

* iij *FAMA* verò si animos facit, retuderis illos ad cotem istam. Nec non etiam, quæ à Non Fama.

Psal.6. *Non est in morte qui memor sit tui.*

Famam sane tuam mortui non cantant; à viuẽtibus illa, aut victuris posteris expectatur: Mortales verò illi omnes, à quibus hanc speras; & mortalia, & casura, per quæ speras: Vrbes, Arces. Arcus triumphales, pontes, statuæ, &c. quæ a Regibus: libri, qui à doctis, & quicquid à quocunque struitur operis, quod ad famam.

Ouid.15. Meta. —— *Nihil est toto quod prestet in orbe.*
Tempus edax rerũ, tuq; inuidiosa vetustas
Omnia destruitis, vitiataq; dentibus æui,
Paulatim lenta consumitis omnia morte.

Da centum annos, neminem tuorum laudatorum Sol videbit, superent numero vel Xerxis exercitum, ideo etiam in Hellespontica specula lachrymantis.

Ouid. in fine Metam. Vt mirer ab Ouidio Dijs nimium insultanter dictum; *opus exegi, quod nec Iouis ira, nec ignes,*
Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetustas.

Eccles.2. *Non est priorum memoria, sed nec eorum, quæ postea futura sunt in nouissimo.*

Dant.11. Statuam illam proceram, Nabuchodonosori per somniũ visam, cui, caput ex auro, pectus & brachia ex argento, venter ex ære, crura ex ferro, pedes ex luto, lapis excisus è monte sine manibus subruit vertitque in fauillam.

Statua procera, Magnates: Caput aureum, Nobilitas sanguinis: Pectus & brachia argentea, pecunia, cui cumulandæ pectore toto, manibus, brachiisque adlaborant; & brachium potens pecunia: Venter ex ære (ex quo tubæ fiunt) fama: Crura ferrea, potentia: Pes ex luto, mortalitas: Lapillus, Mors à mõte Iustitiæ Dei, omnia redigens in fauillam.

* iiij *SCIENTIA* etiam inflat: esto. Sed cum Socrate *vnum omnes sciunt, quod nihil sciunt*, Doctrice Morte; & Sapientiam esse stultitiam: artem nullam.

Et quæ à scientia.

Gram-

Grammaticus Morte magiſtra, tandẽ indeclinabilem fatetur Mortem, quã docebat declinabilem & cætera quæque declinabilia, ſolum indeclinabile Mortis factum.

Logicus non inſolens ſubtiliter, captioſeque docere eſſe quod nõ eſt non eſſe quod eſt, ſtatuensque *candida de nigris, & de candentibus atra,* hic videt fruſtra ſe argutari, ac ſuadere Morti, ſibi vni non moriendum.

Orator magico carmine alias potentior, fatetur imperitiam, qui à Morte, non mori, non exoret.

Arithmeticus, vel arenas maris propè enumerãs, hic vanus, qui neſciat *numerũ dierum ſuorum quis eſt, vt ſciat quid deſit ſibi.* *Pſal. 38.*

Medicus, vel ab inferis alios reuocans, verè inexpertus, qui, cum maximè velit, ipſum ſe à Morte tueri non poſſit.

Luctatores, gladiatores, tela alioqui arcu miſſa alio detorquentes, imperiti planè qui vnicum Mortis telum (etſi ſeſe in omnia vertant) à ſe non queant amoliri.

De Fabris armorum quid dicam? qui inſtar Vulcani, Cyclopumque, impenetrabiles ſuas loricas venditant? An non & eos falſi arguit, qui ne vnam ſibi in ſuis armamentariis habeant, Mortis iaculis, à temperaturæ dexteritate, imperuiam? Dædalos Architectos illos, quos Ingeniarios vulgus vocat, arces, muralia, antemuralia inexpugnabilia commentantes (etiam futiles hæc docet Magiſtra, qui ne turrim vllam aheneam ſibi, materia formaque adeo munitam, cuiuſque culmen pertingat ad cœlum (qualis Babellicorum illa fuit quondam) è qua velut propugnaculo, tuti Mortis irruptionem frangant. Metrodorus enim (aut vt aliis placet, Epicurus) vere: *Aduerſus alia quidem munimenta parari poſſunt, quod verò mortem attinet, omnes homines ciuitatẽ immunitam habemus.* *Gen. 11.* *Stob. ſer. 113* *Max. Tyr. ſer. 36.*

Virg. Æn. 2. *ineluctabile fatum.*

Achillem suum Thetis mater adhuc infantem totum vndis Stygiis immerserit, totoque ita corpore sit factus inuulnerabilis, tamen ea pedis parte, qua comprehensus à matre, dum ablueretur, Mors sibi aditum inuenit, Paride illum sagitta illîc feriente, vel in templo.

Iudic. 16. Cælet Samson capillos fatales licet, Mors tamen per Dalilam secat.

Ouid. 8. Meta. Et Nisus Megarensium Rex, purpureum crinem regni sui fatum, adseruet cura maxima; per Scyllam filiam euellet.

Psal. 88. *Quis est homo qui viuet, & non videbit mortem?*

Heb. 9. *Statutum hominibus semel mori.*

Mors μερος, j. portio æqua omnium.

Eccli. 1. *Moritur doctus pariter & indoctus.*

Isai. 43. *Vbi est legis verba ponderans, vbi est doctor paruulorum?*

Sap. 7. *Vnus est omnibus introitus ad vitam, & similis exitus.*

Ergò paritas illa omnium, quæ in Morte, & à Morte, ponere pariter omnes fastum iubet.

* 2. PVTRESCENDI SIMILITVDINE. Mox enim à Morte, noster omnium cinis in cinerem reuertitur, & exteri hominis nostri nihil, præter cinerem ostenditur, qui antè nesciebatur.

Post Mortē paria omnium omnia. Par cinis, mitratorum, mirrhatorum, atque illos demirantium, Pōtificum, Regum, inopum: par carnium tabes: pares cadauerum quorumlibet corrosores vermes: par ossium & caluariarum horror, paria omnia.

Ditiorum tamen fœditas ferè maior. *Nulla distinctio inter cadauera mortuorum, nisi forte quia grauius fœtent diuitum corpora distenta luxuria,* tam moribunda, quàm mortua.

D. Amb. li. Hexam.

D. Bona. ser. 1. de morte. Pet. Damia. Certè, Ducis cuiuspiam Venetiarum vxorem delicatam, adeò vt communes aquas dedignata, balneis ex collecto cœli rore vteretur; cibosque ab Eunu-

chis præcisos, non manu, sed fuscinulis aureis, ori admoueret, & aromatum odoribus gynecæum imbueret, accepimus, toto tandem corpore putruisse, capite ac carne marcuisse, nullique fœtore tolerabilem, præterquam ancillarum vni, quæ, aromaticis præmunita, raptim Dominæ ancillabatur, mox fugitans. *num, & plerique Neotericorum.*

Et Isabellam quandam è regia stirpe, pomparum seculi studiosissimam, etiam ferunt, vicinam morti, cancro errabundè membra singula depascente, exclamasse, atque ostentasse hoc illustre fastus sui secularis præmium.

Antiochum ipsis castris suis intolerabilem quis nesciat, vermibus è corpore impij scaturientibus, & tabo è carnibus viuentis vndequaq; effluente? *2. Mach. 9.*

Herodes quoque ipse consumtus à vermibus exspirauit. *Act. 12.*

Vt pingues diuitum coquinæ fœdius nescio quid exhalant, quàm pauperum parcè obsonantium: ita & eorundem cadauera.

Impares alibi in vita diuitibus pauperes; in Morte sunt pares, ac, vt vides meliores.

Alfonsus Aragonum Rex vidit, qui rogatus. *quæ res Reges, ac priuatos, diuites ac pauperes claros, obscurosq;, denique omnes prorsus exæquaret, respondit: cinis.* *Lib. 4. de reb. gestis Alfonsi.*

Vti arbores ab arboribus internoscis, & ligna à lignis quantisper stant illa ac vigent: combusta verò, & in cinerem versa non item: (Cedri enim & Myricæ, Buxi, & Sambuci. Cinamomi, & Rhamni cinis idem) ita homines ab hominibus, Crœsos ab Iris, dũ stant ac viuunt: mortuos nullo modo.

Hac Diogenes Cynicus, aut (vt alij) Rex quispiam Brachmanorum, retudit Alexandri Fastum. Interroganti enim quid ita intueretur ossa mortuorum: *caluariam, inquit, & ossa Philippi, patris quõdam tui quæro, sed inter plebeiorum non discerno.*

Luc. 16.

Ne dicam Lazaris sæpè mitius esse tum, quàm epulonibus.

Eccli. 10.
Et calamitas animorum.

Hæc tu animo versans, nonne mox animos illos sublimes deponas, ac dicas ipsi tibi: *Quid superbis terra, & cinis?*

Expedit cineri, iacere, non efferri, ne auolet. Et cinere quid vilius? prima ferè materia est, corruptis iam rerum essentiis. Denique, si in Morte paria tam multa, cur tanta imparitate viuis, & tam æqualibus tam inæqualis?

Senec. lib. 3. nat. quæst.
D. Aug. lib. de nat. & gratia.

Quid clientulo tuo irasceris? sustine paululum, venit mors, quæ vos pares efficiet.

Respice sepulcra, & discerne, si potes, victum à Rege: fortem à debili, pulcrum à deformi, memorare vtiq; natura ne extollaris.

Ni facias; næ tu Octauiano Augusto deterior, qui mortalitatis suæ conscius, se Deum vetuit à Romanis appellari.

III.

Et carnis deinde cupiditates debilitari.

Carnis etiam aculeos frangit ars ista.

Quod Ioanni Concupiscētia carnis mihi hîc { *1. Comessationes,* *2. Vestes, quæ ex Amoribus, & ad Amores.* *3. Risus,* *4. Amores vetiti.* }

Hæc eneruium hominum deliramenta subneruat Mors sic cogitata.

Comessationibus aduersatur.

* j. *COMESSATIONES.* Tun' quæras scilicet epulas corpori, si moriturum hoc, atque escæ vermibus futurum & cogitas, & credis?

Dum in Mari piscaris, in aëre aucuparis, in syluis venaris, ecquid cui paras? Lautitias vermibus scil.

Adde (vt nunc dixi) fœtorem exhalare fœdiorem cadauer his mensis adsuetum, ne dicam cuncta epulonum fœdiora nunc etiam excrementa.

Aut

Aut Mephitim, aut Asphaltum, vel ipsa illorum ora homo quiuis siccus putet: ventres, fœda sepulcra tot promiscuè cadauerum, aprorum, perdicum, luporum, piscium, & id genus ingestorum.

Sepulchrum patens est guttur eorum, huc iure torqueas. *Psal. 5.*

Egyptiorum Magnates vim pharmaci huius peruidere, qui in conuiuiis suis cum iam aliquantum processissent, effigiem Mortis in orbem singulis detulere cum his verbis: *Hoc intuens epulare.* Exmpla probant. *Herodot. li. 3. & Pluta.*

Dionysius quoque Tyrannus satis odoratus qui suum Democlem insignem parasitum, iactantem vitam Regis beatissimam, adpenso ei filo tenui, gladio supra caput eius, ex regio conopæo, sedere iussit solio, habitu, mensaque Regiis: nam miser parasitus, tanquam si *furiarum maxima iuxta.* *Cic. Tus. quæst.* *Valer. Max.* *Virg. 6. Æneid.*

Adcubuisset, ne ausus quidem manibus contingere mensas. Te vero à superflua esitatione, potitationeque, &c. non coërceat, Mortis velut præsentis, vel instantis, & Iudicis ex alto minātis, & gladii supra caput stricti cogitatus?

Ferunt è Principibus quempiam alta mortis cogitatione defixum, atque inde modestiorem, à Mimo aliquando incitatum hilarescere, epulari &c. imperasse dari Mimo illi sedem è lignis putridis factam, supponi ignes, gladiumque ab alto, supra sedem adpendi, quin &c.

epulas ante ora parari, *Virg. 6. Æneid.*

Regifico luxu, hortatumque tunc illum vesci, genio indulgere, &c. at Mimum tamen nihil ne summo quidem ore, ex tot regiis ferculis delibasse.

Tu verò putridi huius corporis sessor, quod flāma caloris naturalis continuò intus vorat; quod elementarium qualitatum coniuratio vndequaque turbat; quod infra Ætnā Inferni habet supra Dei gladiū minacē; pergræcati scilicet vsquā aut vnquā possis, cogitato isto rerum tuarum instabili statu haud reor.

Mihi vide capitis damnatos: & da Nectar, da Ambrosiam: da deniq; Manna panem Angelorum, quid illi gustant? maximè, si illi damnati ad coruos.

Neque esse, neque bibere, neque ludere, neque ridere, neque dormire aut libet aut licet.

Tibi tam pridem damnato capitis, & mortis reo, ac fortè hoc momento plectendo, qui libeat comessari, hac cogitatione defixo?

Et luxui vestium. * ij. *VESTES* quoque, quæ ex amoribus, & ad amores, & quæ id genus.

Ornes sc. aut comas valdè, aut cerusses, aut purpureo pigmento genas, purpuraque corpus tegas, conscius corpus hoc & iam olim desponsatum & mox nupturum vermibus?

Atrari potiùs, ac sordidari iuuabit, damnatorum instar.

Denique cui, aut cur tot amictus quotidie noui cras morituro?

* iij. *RISVS* etiam vanæ lætitiæ.

Et futuli gaudio. *Iul. Solinus lib. de Orbis memorabilib. c. 10.* Vt *Sardonia* herba, quæ in defluuiis fontaneis in Sardinia nascitur, si edulio fuerit, vescentibus neruos contrahit, rictu ora diducit, vt qui mortem oppetunt, velut ridentium facie intereant (teste Solino) vnde Sardonius risus prouerbio: ita planè otiosos & inertes facit, & letiferū risum excitat, Mortis obliuio.

Vide Erasmum in chiliad. Sardon. risus. Tales *lachrymarū causas tripudiantes peragunt, & Mortis suæ negotium ridentes exequuntur*, vt Greg. loquitur.

Greg. Mor. Risus verò is lætifer, Mortis meditatione curatur.

Quis incarceratorum ad fatum, fabamque mortis risit?

Saluianus lib. 7. Paucis quadrat hoc Saluiani: *Sardonicis quodammodo herbis omnem Romanorum populum putes saturatum: moritur, & ridet.*

Rarus, qui ridendo aut toleret, aut cogitet Mortis suæ fatum. Sapi-

Sapientes, agelasti tunc & Heracliti omnes fiunt.

Tunc illis hoc placet: *Risum reputaui errorem, & gaudio dixi, Quid frustra deciperis?* *Eccles. 2.*

Cum recordor, quod sum cinis, *D. Bernar.*
Et quàm citò venit finis;
Sine fine pertimesco,
Et, vt cinis, refrigesco

Sit licet Socrates, aut Socrati quisquam similis, apud Critonem suum, hausto iam ferali poculo, ac pene iam moriens, iocatus, non ruit tamen quod dicimus: nam fortitudinis magnæ ioci ac risus illi, quos probamus, non leuitatis, quos vetamus.

* iiij. *ET AMORES VETITI.* Quemadmodum sanguisugæ, carni adhærescentes, admoto cinere decuti dicuntur: ita meras sanguisugas illas atque hirudines, voluptates inquam, & meretrices, &c. excuties, cineris ac Mortis admota recordatione. Et fœdis Amoribus.

Nam animo vide, vt afficiat Mors { *Morientem,* *Mortuum.* } Mors enim mirabilis hominum transformatrix.

Morientis {
Oculi, blanda illa astra, vt ad horrorem vsq; in morte rotantur!
Genæ, vultusque ille purpureus vt pallet!
Labia illa corallina vt liuescũt! vt nigrescunt!
Os olim cinnamum spirans vt fœdum! Sepulcrum putes.
Papillæ olim duriusculę, vt mollescunt, ac flaccescunt! & quæ olim molliuscula, vt rigescunt! quæ tepebant, lento ac molli æstu, vt tunc frigent!
}

Quantum mutatus ab illo Hectore! *Virg. AEn. 2.*

{ *Oculi*, à vermibus effodiuntur, exsuguntur, expunguntur.

Mortui { *Cuticula, & caruncula illa tota,* sponte tabescit, fœtet, inficitq; aërem, & naribus oculisque hominis, est omni aut cloacâ, aut strumâ ciuitatis, aut nauis sentinâ molestior.
Crines singulos & serpentes Medusæos horres.

Hinc citò maritus, vxoris, & mariti funus, mox vxor effert, amarint licet ardentissimè.

Caput Medusæ serpentigerum malis forsitan intueri, quàm cadauer vel Helenæ cuiuscunque.

D. Bern. in serm. *Cuius erat gratissimus amplexus, erit horribilis aspectus.*

Grauis tum illius oris anhelitus, quod rosas olim ac cinnamum spirare iactabatur.

Halitum meum exhorruit vxor mea.

Iob. 19. Vt mirer A. Vitellium Imp. interfecto Othone adeuntem campos, in quibus pugnatum erat, visa cadauerum tabe dixisse: *Optime olere occisum hostem & melius ciuem.*

4. Reg. 9. De formosissima post mortem dicas: *Haccine est illa Iesabel?*

Mortuum ex amicis quempiam, vel leuiter obiterque osculari, amoris fastigium: nam mortuæ misceri, monstrum, & Imperatoris cuiusdam insanientis: & Mezentij sæuientis, qui *Mortua quinetiam iungebat corpora viuis.* Virg. 8. AEneid.

Oscula olim viuentis tanti emta, mortuæ etiam gratuita auersaris.

Decrepitam enim ætatem, quod ea emortuæ similis, adolescentia ægrè osculatur.

In vitiss. Libidinem sic vicit è priscis Patribus quispiam.

Nam cum fœdo amore is esset saucius, vt primum mortē adamatæ mulieris resciit, furtim adiit eius sepulcrum, & pannū in saniem tabumq; cadaueris muliebris intinxit, cumq; eum deinde in casa,

recon-

recordatio fœda mulieris adflictabat, is graueolentem & putidum illum pannum naribus adgerebat, dicens: *Ecce quod optabas, delectare, illo satiare,* atque ità acrius instabat, dum tempestas, desæuiret. Quid, quòd Philistæi posticis pudendis infirmi, insessione tamen in sedibus pelliceis sanati? An forte hoc notet eis, quos in partibus illis naturæ morbus nimium adflictat, insidendum sepulchris, insidendum sedibus mortalitatis humanæ, j. mortis contemplatione, vt conualescant? *1. Reg. 5. & 6.*

Certè, Damasceno teste, Iosaphato autor adeūdæ Eremi fuit, responsum de Morte vniuersorum.

Is .n. natus Indorum Rege potētissimo, sed maximè infenso Christiano nomini, (ne forte Christianorum adloquiis eruditus Christo nomen daret) mox à natiuitate, in arcem iusso Patris intrusus, ibi delicatissimè est enutritus. Cumque adolescens iā excessisset ex ephebis, eductus inde est, atque equis, canibus, choreis, conuiuijs, symphoniis egregiè mūdo est inescatus. cauēte studiosissime Patre, ne quid videre permitteretur Filius, vnde posset oculus eius aut animus offendi. Sed obcurrit tamen equitāti decrepitus senex, luna propè ipsa senior, canus, caluus, rugosus, baculoque innixus, &c. *Damasc. li. de Vita Barlaam.*

Quæsiit ergo adolescens primum, vnde tanta viro illi deformitas? cumque responsū esset à Senectute, rursus quæsiit, ecquis senis eius finis? cūque responsum esset, Mors: quæsiit demùm, an è multis pauci aliqui tantum morerentur, an vero omnes? responsumque est, omnes vniuersim manere hoc Mortis fatum. Itaque is ingenti tristitia ab hoc responso perculsus, & nullum omninò consolatorem admittens, tandem, prouidente Deo, à S. Barlaamo, fide Christi imbutus, Regno ac Patre dimissis, eremum adiit, vixit Deo, mortuus mundo, vrentemque iam late libidinē, & adflatam, qua ab ætate, quà ab opibus, qua à Patris cœca indulgentia, extinxit.

Gregor. lib. moral. Moriendi necessitate proposita. Verè ergo Antistes illc Antistitum Greg.

Nihil sic valere, ad edomandum adpetitum carnalium rerum quam si cogitet homo, quale erit mortuum, quod viuum vsq; adeò diligit.

D. Hier. in epi. ad Paulinum de omnib. diu. hist. lib. Et trilinguis Pater: *Facilè contemnit omnia, qui se semper cogitat esse moriturum.*

Bapt. Mãtuan. in Margarite

Talibus omne solet Sanctorum industria curis
Declinare nefas, sensusq; inhibere vagantes.
Mens abijt ad pœnas Erebi sine fine manentes:
Morte laborantem Christum videt, adspicit ora
Adflictata siti, & crudelem horrentia potum:
Cogitat incumbens, & ineuitabile fatum.

CONCIO III.

Propositio.

Them. *Statutum est hominibus semel mori, & post hoc Iudicium.* *Heb. 9.*

FActa repetitione, ita propositum.

Dicendum hodie
- 1. *Mortem aliter atq; aliter cogitandum, vt aliter atque aliter prosit.*
- 2. *Vti prosit aduersus Cōcupiscentiam oculorum.*
- 3. *Vti prosit*
  - *Ad perseuerātiam in bono,*
  - *Ad patientiam in malis,*
  - *Ad vitæ omnis emendationem.*

AVE.

I.

Mortem aliter atq; aliter cogitandam, vt aliter atq; aliter prosit.

Medicina etiam arte sumenda. Etsi sponte salubris medicina, tamen salubrior, si ex arte sumpta,

Cata-

Catapotia globatim sumta plus iuuant, quam liquata.

Pilulas sub lingua (quas vocant) mandi vetant, sed sensim liquari, si ad tussim raucedinemue sedandam.

Et ex venenis illa proniora ad necandum, quæ à frigentibus sumuntur. Supplicij hoc quondam genus, quod tulère Socrates, ac Philopœmen, &c. *Plato in Phædo.*

Quin etiam iuuat ipsa coquendi cibi ratio, piscis enim assus elixo sanior, ac ferè caro omnis

Siliquæ si recentes fuerint, stomachum lædunt, aluum soluunt, aliud aliæ operantur. *P. Platina lib. 3. de tuenda valetud.*

Et Raphael Angelus Tobiam suum monet, exenteret piscem, alioqui oculis non profuturum. *Tob. 6.*

Et Platonicus ille Gygis annulus aliter conuersus, aliter operatus. *Nam cum palàm eius anuli ad palmam conuerterat à nullo videbatur, ipse autem videbat omnia: idem rursus videbatur, cum in locū annulum inuerterat*, inquit Cicero. *Cic. off. li. 3.*

Vultus idem quasi bifrons nunc quà serenus, delectat, nunc terret quà tristis aut minax.

Mortis igitur meditatione sponte salubri, vt aliter atq; aliter sapias, etiam variè vtendum. Mortem vt patienter feras attēdēda variè.

Frons morti centuplex, & pro frontium numero, numerus etiam medelarum; quæ ferè hîc inclusæ *Statutum est hominibus semel mori.* *Heb. 9.*

Vis fortiter mori? Mortem attende, vt
1. *A teipso, ac peccato.*
2. *A Deo iusto Iudice.*
3. *Omnium tecum communem.*
4. *Ineluctabilem.*

j. *A TEIPSO.* Nam tuo tu tibi iumento illam. Vt à te autore.
Tu tuæ huius fortunæ tibi Faber.

Iniustitia mortis est acquisitio. Impij autem manibus & Verbis accersierunt illam. *Sap. 1.*

Hospes quem aut vocasti, aut admisisti, molestus licet, ferendus.

Leniter

Leniter ex merito quicquid patiare, ferendum est.

Ouid. in epist.

Quæ venit ex merito pœna ferenda venit.

Quis damnatorum gladios ignes, cruces meritas haud æquè tulit?

Imò quis ægrè ignes, vndas, enses, in quos se iniecit, tulit?

Vt à vindice Deo.

* ij. *A DEO*, sed iusto, sed imperturbato vltore peccati Adæ.

Aug. ciu. li. 12. c. 2.

August. *Si primus parens noster Creatori suo, tanquam vero Domino subditus, præceptum eius pia obedientiá custodisset, in consortium transisset Angelicum sine morte media, beatam immortalitatem sine vllo termino consecutus. Sed quoniam audiuit uxoris suæ vocem magis, quàm Dei, &c*

Pub. Mim.

* iij. *OMNIVM TECVM. Lex vniuersi est, quæ iubet nasci & mori.* Est commune malum.

Vt communis omniū.

AEquum ius est, non quo omnes vsi sunt, sed quod omnibus latum est.

Senec. epist. 107.

Ferre, quam sortem patiuntur omnes,
Nemo recusat.

Idem in Troade.

Est hoc ipsum solatij loco, inter multos dolorem suum diuidere.

Idem lib. de breu. vitæ.

Semper ah! semper dolor ipse magnus
Gaudet in multos sua fata mitti,
Seq; non solum patuisse pœnæ.
Dulce in immensis posito ruinis,
Neminem lætos habuisse vultus.
AEquior casum tulit, & procellas,
Mille qui Ponto pariter carinas
Obrui vidit.

Idem in Troade.

Idem lib. 4. controu.

Solatium est cum multis pati.

Cruciariorum quisq; cum socio perit libentiùs.

Idem ep. 24

Pauper fiam? inter plures ero.

Quis nolit cum Cæsaribus, cum Regibus, *cum Phocione mori?* aut velit solus omnibus pereuntibus superesse?

Cala-

Calanus Indus ad mortem proficiscens, quum ascenderet in rogum ardentem, O præclarum discessum, inquit, *è vita: quum, vt Herculi contigit, mortali corpore cremato, in lucem animus excesserit!* Consortio ipsum se solabatur, scilicet. Cic. 1. de Diuin.

Quin &, *Nullius boni, sine socio, iucunda est possessio.* Senec. epist.

Dices ergò cum Neronis Magistro: *Moriar nec primus, nec vltimus. Omnes me antecesserunt, omnes sequentur, hac conditione intraui, vt exirem.* Idem ep.

* iiij. *VT INELVCTABILIS. Feras non culpes quod vitari non poßit.* Vt ineuitabilis. Pub. Mim.

Libenter feras, quod necesse est. Senec. in prou.

Durum tibi contra stimulum calcitrare. Act. 9

Optimum est pati, quod emendare non poßis: & Deum quo autore cuncta proueniunt, sine murmuratione comitari. Malus miles est, qui imperatorem gemens sequitur. Idem epist. 107.

Statutum nunc est ac fatum, mori omnes, non mina, quales olim ante Adæ lapsum.

Mortis Lex fixa nunc, nunquam refigenda: neque vlli priuilegio locus.

Non est Deus vt homo, vt mentiatur, aut vt filius hominis, vt mutetur. Num. 23.

Legum humanarum atque diuinarum, quædam

1 *Antiquantur*, vt Lex Diuortiorum,
2. *Mutantur*, vt Circumcisionis, &c.
3. *Redimuntur*, Primogenitum asini redimes oue, sin autem nec pretium pro eo dederis, occidetur. *Exod. 34.*
4. *Restringuntur, aut ampliantur*, vt: Omnes pendent hoc vectigal, exceptis Equitibus auratis, &c.
5. *Dispensantur*, vt Sabbatha, ac festa

ac festi dies.
6. *Supplentur ab aliis, pro aliis, vt*
Satisfactiones pro peccatis.
Ouis Isaaco succedanea.
7. *Obsolescunt vetustate.*

Lex moriendi vt ab aliis diuersa.

At statutum hoc, stat omni ære perennius: Fatum hoc ineluctabile nec antiquatur, nec mutatur, nec redimitur, nec restringitur, nec dispensatur, &c.

D. Aug. lib. 13. c. 11. Ciuit.

Huc adludens pulcrè Augustinus; *Non importunè*, inquit, *neque incongruè arbitror accidisse, etsi non humana industria iudicio fortasse diuino, vt hoc Verbum quod est, moritur, in Latina lingua nec Grammatici declinare potuerint, ea regula, qua cætera talia declinantur. Namque ab eo quod est oritur, fit verbum præteriti temporis, ortus est: & si qua similia sunt, quæ per temporis præteriti participia declinantur. Ab eo vero quod est moritur, si quæramus præteriti temporis verbum, responderi solet, mortuus est, V litera geminata. sic .n. dicitur mortuus, quomodo fatuus, arduus, conspicuus; & si qua similia, quæ non sunt præteriti temporis, sed quoniam nomina sunt, sine tempore declinantur. Illud autem quasi declinaretur, quod declinari non potest, pro participio præteriti temporis ponitur nomen. Conuenienter itaq; factum est, vt quemadmodum id, quod significat, non potest agendo, ita ipsum Verbum declinari loquendo non possit.*

Ergo tu tecum inquies: Si *fatum* hoc *volentem ducit, inuitum trahit:* potiùs spontè sequendum, si commune omnibus, ferendum mollius, &c. Hic fructus ita cogitatæ mortis.

Ad pœnitudinem verò maturandam, mors paulò aliter adspectanda.

Eccli. 14.

1. *Semper promouens.*
Memor esto, quoniam mors non tardat. Vita nostra, cursus ad mortem.

2. *Vt*

Heb. 9.

Conſideranda enim vt { 2. *Vt incerta.*
3. *Vt initerabilis. Statutum ſemel mori.*
Nam ſi renaſceremur ad vitam mortémque ſecundam, differri poſſit in vitam ſecũdam pœnitentia.

Soles occidere, & redire poſſunt: Catull. ep. 5.
Nobis, cum ſemel occidit breuis lux,
Nox eſt perpetua vna dormienda. Quã de re mox latius.

Ad Concupiſcentiã verò carnis euincendam, cõſidetanda, vt omnia fœdans, qua de re dictum heri.

Ad ſolatium denique adſpectanda vt calamitatum meta.

II.

Vti proſit aduerſus concupiſcentiam oculorum.

Hîc mors adſpectanda, vt prædatrix infeſtiſſima. Suadeant alii contemtum inferiorum horum, ditatio, A- quà à vilitate, quòd aurum ſcilicet atque argentũ nil ſint aliud, quàm terra ſic cocta: qua à Fortunæ inconſtantia, quæ Incendio, Naufragio, Bello eripit, cui libet, vniuerſa: qua à Solicitudinum ſpinis, ſeu quæras adhuc, ſeu iam habeas parta aut relicta: qua à Principibus, aut fiſco, calumniis, Callitropas & Nabothos ſæpè agro, & vinea ſpoliantibus, quaquà libet: Diſerta illa ſanè, ac fortia, ſed infirmiora tamẽ cogitatione mortis, qua nos nunc vtimur. Ea enim & ſuadet, & iubet, relinquere, priuſquàm mox, ſi nolis, oporteat relinqui ea à te, aut te ab illis. Diſce quàm res potens iſta: Deſperatæ valetudinis ægri, aliena refundunt, ſua largiuntur, cum efferre non poſſint.

Mortis meditatio, Auaritiæ medicina ſumma.

Quod ea prædatrix omnium.

Nemo ſeruat, aut anxiè quærit, quod mox neceſſe eſt relinqui.

Mihi

Mihi te finge Peregrinum, aut versari in Palatio, ipsaque Regis aula velut inquilinum, videre tapetes exoticos, pateras ex auro solido, cœlatas vel à Praxitele; torques aureos, corbes annulis refertos, vt victa olim Carthagine, sceptra diademata, &c. crastino tamen abiturum, ac primulo quidem diluculo, nihilque elaturum: tun' ea valde amaturus?

Aut finge, in ciuitate, aut castris, esse te, atque illic ex præda hostili, posse te oues etiam Phrixeas, boues etiam Frisiis meliores, & id genus alia, quæ ad commeatum castrorũ, drachmis paucis emere: sed egressurum te castris sistat miles, & abigere hæc te, vetet, solumque (vt fit) iubeat abire relictis omnibus; an tu emas ista vel obolo?

Quid nisi hospicium Orbis iste? qui vita, nisi peregrinatio? quid homo, nisi hospes, ac viator? Hospitium, inquam, optimæ & Notæ, & rei, est Mundus iste, ab ornatu ita dictus, quem & iure adpelles Ciuitatem publicam omnium, & Castra Dei (Nam

Iob.7 & *Militia est Vita hominis super terram.*) Ciuitatem inquam & Castra munitissima, opulentissima &c.

Custos vero Mors ipsa est, quæ res hominis omnes seu labore partas, seu relictas, ibi sistit, ibi relinquere quemuis iubet, & cogit, vbi & comporatæ,

Quantum intulisti, tantum efferre te sinet. Nudum aduenam, exulem nudum emittet?

Iob 1. Audin' *Nudus egressus sum de ventre matris mea, & nudus reuertar illuc.*

Gen.2. Principio etiam *erat vterque nudus Adam scilicet & vxor eius.*

Psal 48. *Homo cum interierit non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria eius.*

Psal.75. *Dormierunt somnum suum; & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.*

1.Tim.6. *Nihil intulimus in hunc mundum: haud dubium quod nec auferre quid possimus.*

Mors

Mors hic *plena oculis ante & retro.* Argo oculatior, Lynceo perspicacior, Dracone horti Hesperidum custode vigilantior, Cerbero insoporabilior. Vaccas suas, poma sua aurea, exitus cuiuscunque obseruat vigilantissimè.

Linteum tantum aut *saccum consui super cutem tuam*, quisquis sis finit. *Iob.16.*

Ex tot regnis, Sarcophago, exiguaque Scrobe, de tot agris, contentos esse cogit vel Alexandros.

Sciuit (quanquam serò valde) & alios id scire voluit, Magnus ille regnator Asiæ Saladinus, qui in vrbe Ascalone moriturus, sanxit, mox à morte subuculam suam ab armigero primate plateatim ex hasta ostentari, ac proclamari. *Mortuus est Rex Orientis, hocque vnum ex opibus tantis effert.* Vtinam miser maturius id vidisset! Non tot regnorum helluonem egisset miser: Nec Esau omnino cœcus, primogenita despectans mox moriturus: *Si morior*, inquit, *quid mihi proderunt primogenita?* *Monstrelet. & G. Paradinus in heroicis.* *Gen.25.*

Ibi tunc prædæ omnibus est, qui alios prædatus.

Mors, tunc illud diuitum auarorum gazophylacium testeum, semper ad recipiendum patulum, ad dandum nunquam, ad lisum terræ ac fractum, omnibus præbet spoliandum natis, notis, sæpè & ignotis hæredibus, sæpè facturis vno die proteruiam.

Et relinquent alienis diuitias suas. *Psal.48.*

Et porcus merus, qui nulli in vita vtilis, quam sibi, in morte vice versa inutilis sibi, vtilis omnibus, omnes saginat, & omnia.

Thesaurizat, & ignorat cui congregabit ea. *Ps.38.*

An non Alexandri, cui orbis vnus fuerat parum, Monarchia frustatim concisa ab eius morte?

Adde, quòd prædatrix ista quosdam spoliat immaturè nimium ac citò.

Scin' quid dictum diuiti annos plurimos sibi pro mittenti?

Luc. 12. *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te: quæ autem parasti, cuius erunt?*

Leuit. 25. Non certa vtendi meta, vt olim Iudæis, quibus ementibus, Iubilæum vtendi meta: tunc enim res ad venditores reuoluebantur, & pro spatio vsuræ, modus erat indicaturæ, quo breuior hoc leuior.

1. Æneid. Nobis Mors *nec metas rerum, nec tempora ponit*, fortè hoc momento deprædatura.

Hoc si peruides, indubiè ità tu mox tecum:

Martial. lib. 4. Næ tu, animæ mi, demens valde qui tàm anxiè quæras, tàm parùm vtendi, neque tecum efferenda:

Haud vllas portabis opes Acherontis ad vndas,

Nudus ad infernas, stulte, veheris aquas. nudior

anno 1572. * Gall. Haultrage. remige & nudior Francis illis, quos abs Duce Albano, in Hannonia mea, prælio ad * Altam Rabiem victos, Totos-Nudos vulgus adhuc vocat.

Illudi qui possit.

Nudus vt in terram veni, sic nudus abibo:

Quid frustra sudo funera nuda videns?

Sed ais: Quid igitur? Profundam prodigus rem omnem aut labore iam partam, aut relictam?

Ps. 61. Audi sanctum Regem: *Diuitiæ si affluant, nolite cor adponere.* hoc primùm.

Vtere deinde hic, dum tu in hospitio hoc, dum in Ciuitate, dum in Castris huius Mundi hospes, ciuis, milesque versaris, quod superest relicturus.

Sin relinqui hic doles prædatrici huic Morti, & ità res istas amas, vt perire tibi illas nolis, cuniculis rem age, & pauperum operis, transfer è solo in Cœlum.

Viden' vt multa alioqui in castris relinquenda, mercator astutus furtim efferri à rusticis ac mendicis curat, sacco, stipula, ac fœno conuoluta? Quæ

hinc

hinc nec efferre, nec conferre est fas palam, etiam da pauperibus clàm exportanda.

Ne pereant, perde: ne dissipentur, disperge; vt habeas semper, tantisper non habe.

Ænigma populare; *Si adfluunt, non adfluent: si non adfluunt, adfluent,* i. si columbæ in agrum aduolent, messis desperatur: si non aduolant, speratur; quadrare huc possit:

Et Ænigma hoc è cœlo lapsum: *Qui voluerit animam suam saluam facere, perdet eam, &c.* Si amas, perdes, noli amare, ne perdas. *Matt. 16.*

Quod habebis in morte, non habebis; quod non habebis, habebis, j. quod seruaueris auarè, perierit: quod disperseris in pauperes, hoc adseruaueris.

Perde pecuniam propter fratrem & amicum tuum, & non abscondas illam sub lapide in perditionem *Eccli. 29.*

Qui dispersit dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum seculi. *Ps. 111.*

Mors, vel conniuens, vel potius fascinata atque elusa, eleemosynas solas efferri sinit, nihil suspicata de cuniculis; nihil de manipulis, ác saccis egenorum.

Nam *Eleemosyna viri quasi sac[cul]us cum ipso.* *Eccli. 29.*

Tùm *Cantabis vacuus coram hac latrone viator:* & Morti in morte respondebis, quod olim Decio Tyranno Laurentius: *Facultates, quas requiris, in cœlestes thesauros manus pauperum deportauerunt.* D. Laurentii exẽplo.

Vbi eas repositas haberet, ostendens, numerosissimos sanctorum pauperum obtulit greges in quorum victu atque vestitu, inamissibiles condiderat facultates quæ tanto integrius erant saluæ, quantò sanctius probabantur expensæ *Leo PP. ser. de S. Laurent.*

Fremet Mors, instar frustrati prædonis.

Ita Ioseph p̃missus, posteà pauit fratres alioq̃ fame *Gen. 45.*

morituros. *Pro salute enim vestra misit me Deus ante vos*, inquit.

Luc.16. Ita Oeconomus ille iniquitatis, ab œconomia amouendus, *fecit sibi amicos de mammona iniquitatis.*

Ibidem. Audin' Dominum? *Facite vobis amicos, de mãmona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.*

Eccli.29. *Conclude eleemosynam in sinu pauperis*: scyphos vestros in saccum Ben-iamin.

Genes. 44. Præmitte Princeps aut Cos. si post annos aliquot, Consulatu atque vrbe nudus es eiiciendus, dum Princeps, dum Cos. es (i. dum licet) vnde viuas relegatus? Et tu diues mox moriture, præmitte quibus mortuus viuas.

Stob. ser. 1. Phocionem quoque audi: *Quibus à corpore solutus non egebis, illa omnia contemne, & quibus etiam defuncto erit opus, illis tibi vacanti Deos adiutores precibus aduoca.*

Opera bona, Eleemosynas, virtutes congere, iucundas comites tunc futuras.

Sola defunctorum comes Misericordia.

Opera enim eorum sequuntur illos, imò & præeunt.

Apoc.14. *Frange esurienti panem tuum, &c. tunc antei-*
Isa.58. *bit faciem tuam iustitia tua, & gloria Domini colliget te.*

Eleemosynæ, optimi morientis præcursores.

Boet. lib. 1. de consol. metro. 1.

Has saltem nullus potuit peruincere terror,
Ne nostrum comites prosequerentur iter.

D. Hier. ad Paulinum, Claudo igitur, & aio: *Facile contemnit omnia, qui se semper cogitat esse moriturum.*

Idem ep. ad Cypr. *Qui se quotidie recordatur esse moriturum, contemnit præsentia, & ad futura festinat.*

Obiectiuncula. Sed audio obiectantem: Quo cinere tu extingui flammam hanc putas, illo accendi, aut certè foueri lego.

De morte enim variè meditati quidam, sic conclusere: *Venite ergò & fruamur bonis quæ sunt, & vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter. Vino pretioso & vnguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis antequam marcescant: nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra.* Sap.2.

Opprimamus pauperem iustum, & non parcamus viduæ, nec veterano, nec reuereamur canos multi temporis. Sit autem fortitudo nostra lex iniustitiæ.

Apage ista, & istos. Porcum enim olent, & iam pridem explosum illum Epicurum, & Atheos osores immortalitatis animorum, quam sani Philosophi ratione statuunt, Catholici credunt, quæ posita porcos hos mactat, atque eiugulat. Refutata.

Quid enim aliud dicant, aut faciant, qui in hoc errore?

At illic eos, Sapientiæ ipsius Censura, erroris notari notandum quoque fuit.

Dixerunt (inquit) sed *cogitantes apud se* (vix dum scilicet de fœdo errore hoc suo audentes palàm mutire) sed *non rectè*.

Et paulò pòst: *Hæc cogitauerunt & errauerunt: excæcauit enim illos malitia eorum.*

Sapientiæ ergò hoc cede, quia *Ipsa dixit*.

Sed rursus ais: Vt possim cinere hoc, j. meditatione Mortis, sanguisugas duas quas ais: decutere, tun' me iubeas ideo, rem vxoriam, curamque Prolis planè incuriosè curare? Obiectiuncula altera,

Respondeo: 1. Cinere dixi sanguisugam decuti, non occidi. 2. Et sanguisugas dixi, meretrices, non vxores. 3. Concupiscentiam carnis dixi, Amores vetitos, non *honorabile connubium in omnibus ac torum immaculatum*. Quæ & variè reiecta. 1 2 3 Heb.11.

4. Et, si sanguisuga est vxor ardentius amans aut amata, hoc cinere decutiatur, non occidatur, 4

j. ama, vtere, cura, sed, à Mortis cura, temperanter.

1. Cor. 7. *Qui habent uxores, tanquam non habentes sint.*

Sed nec curam Prolis, & rei familiaris extingui hac volui, sed temperari, & haberi quantum satis.

Ibid. *Qui emunt, tanquam non poßidentes: & qui vtuntur hoc mundo tanquam non vtantur praterit enim figura huius mundi.*

Neque in hoc est cinis, vt ignis restinguatur, imò vt adseruetur qui satis; flamma verò, aut voracitas eius nimia temperetur.

Harum rerum curam, quà ardor, volui temperari; non quà Prouidentia est, prorsus extingui.

Ita procurari ista, vt ne cœlestium reddant incuriosos.

Hæc habe, ac de his mecum sile, cætera audituus.

III.

Vt iprosit ad perseuerantiam in bono: ad patientiam in aduersis.

Virtutum certamina prolixiora fastidiosa. * j. PERSEVERANDI in re quauis aculeus est, speratus finis, isque prope.

Pariunt enim suum etiam iucundissima fastidium, si nimia.

Mel, si nimium, etiam amarum.

Esther. 1. Conuiuia quoque prolixiora, vt illa Asueri prope semestria, & Choreæ. & quies, vel in plu-

Num. 21. mis & ostro: & quæuis dulcior etiam melle, prolixa oratio.

De manna quotidiano dictum: *Nauseat anima nostra super cibo isto leuißimo. Nil nisi man vident oculi nostri.*

Quanto tædiosiora quibus adfixus labor; vt cursus, lucta, gladiatio, &c. si perdurent?

Pla-

Platoni, Χαλεπὰ τὰ καλά. j. *Difficilia, quæ pulcra.* Plato in Cratylo, & alibi.

Aristoteli, *Et Ars & virtus circa id versatur quod est difficile.* Arist. lib. Moral. Nicomach. 2.

Ieiunia, Vigiliæ, Sacci, Cilicia, Caumeniæ, Solitudo, &c. virtutis opera cuiuscuiusmodi, tædiũ etiã suum habent, &, si infinita, facile deferantur. spatio breui perferantur.

Sed Mors aliquando, ac fortè nunc, finem his datura. *Sed his in Morte finis.*

Dabit Deus his quoque finem, inquis tibi ac tuis: *Durate, & vosmet rebus seruate secundis.* Virgil. 1. Æn.

Viator, fractus licet, curritat propinquans ad metam.

Nauigantes, Pharos ac portus suos intuiti, fortiores.

Quin, & equos mulosque onustos, citatius tunc ire aiunt, cum stabulum ac terminum viæ odorantur.

Ergò cuiuis, à Mortis meditatione, animi perseuerandi in Montis, Virtutis adscensu, maiores.

* ij. *QVIN ET PATIENTIA* quoque in aduersis hinc maior. Item aduersis, vnde & Patientia.

Speratur. n. aduersorum finis, alterutrius, aut Tyranni opprimentis, aut oppressi Morte.

Defuncti sunt enim qui quærebant animã pueri. *Matt. 2.*

Tanto miseris solatio est Mors, vt eam ipsi aut ab aliis optent, aut ipsi sibi accersant, qui laqueo, vt Iudas, & Achitophel; qui gladio, vt Lucretia; qui veneno, vt Annibal; qui tauri poto sanguine, vt Themistocles, qui aliter cunque. Miseris, mori dulce.

Præstat, inquiunt, *non viuere, quàm viuere misere.* *Incert. Aut.*

Et iustitiæ, ac rigoris quoddam genus, non occidere.

Et, *Mortem misericors sæpe pro vita dedit.*

 Damna-

Seneca in Troade. Damnatis ad Inferos id ad cumulum Mali, quòd *quærent mortem & non inuenient.*

Apoc. 9. *Dulce mori miseris, sed Mors optata recedit.*

Cornel. Gall. eleg. 1. ------- *omni est peius funere velle mori, nec tamen posse.*

Eccl. 30. *Melior est mors, quam vita amara, & requies æterna, quàm languor perseuerans.*

Eccli. 12. *O mors bonum est iudicium tuum homini indigenti & qui minoratur viribus, & defectos ætate.*

AEmula (inquit senex quidam amator) *cur cessas finem properare senectus?*

Cornel. Gall. eleg. 1. *Mors, est iam requies, viuere, pœna mihi.*

Annon Rex ille Iob, ad sterquilinium redactus, moriendi spe se solatur, sæpè mortem commemorans?

Iob 14. *Homo natus de muliere, repletur multis miseriis.* Ità est, sed *breui viuens tempore*, non frustra adiectum.

Iob 14. Ara quidem malorum homo, sed *breues dies hominis sunt.*

Gen. 3. Et solatij vice, post multas graues, & post illud: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo*, Iudex noster clementer seuerus adiecit tandem; *Donec reuertaris in terram, de qua sumptus es: quia puluis es, & in puluerem reuerteris.*

Fallor igitur, aiens Mortis recordationem consolari?

Vita vnde castigatior. * iij. *ET VITA hinc castigatior*, quod rei huius est caput.

Id qui fiat, iam vide. De morte cogitanti mòx in votis, bene mori.

Benè mori, votum omnium ac singulorum longe maximum,

Quod fit semel, magnificè fiat.

Stob ser. 125 Arimnestus ille, sciscitanti, quod maximum homini bonum esset, respondit: *Bene Mori.*

Et

Et Balaam nolens volens prophetans, *Moriatur* (inquit) *anima mea morte iustorum, & fiant nouißima mea horum similia.* *Num. 23.*

At Mors, nullius bona, nisi cuius vita bona; neque eadem mala cuiusquam, nisi cuius vita mala.

Audi Augustinum: *Mala mors putanda non est, quam bona vita præcesserit.* *D. Aug. li. 1. ciui c. 11.*

Regia, ad bonam Mortem, via: vita bona: is gradus ad eam primus, medius, & vltimus.

Boni seminis, messis bona.

Pro natura præmissarum, etiam conclusionis inde ductæ natura.

Caput ouis, *turpiter atrum desinat in piscem,* aut lupum, ægre valde. *Mortem vitæ respondere.*

Amphora cœpit.

Institui, currente rota cur vrcens exit? *Hortat. in arte.*

Quorum finis erit secundum opera ipsorum, ait Apostolus, de *pseudoapostolis transfigurantibus se in Apostolos Christi.* Phœnice rarior, cuius Mors bona, post scelera. *2. Cor. 11.*

Mori, Naturæ est: Benè autem mori, aut Meriti à vita bona, aut Gratiæ singularis.

Itaque, si mortem meditanti mox in votis est benè mori: vota autem bene moriēdi, puerilia sunt atque inania, nisi adsit vita bona; necessariò tandem incipit, aut conatur bene viuere, vt voti bene moriendi sit compos.

Quid enim est, *Descende ad domum figuli, & ibi audies verba mea?* id est, vide luteam ac mortalem animæ tuæ domum, corpus inquam tuum, & facile tum audies ac sequere imperia mea. *Hier 18.*

Et quid istud, *Ipse ad sepulchra ducetur, & in cōgerie mortuorum vigilabit?* j. in peccatis illum Epimenidis somnum non indormiet, fiet de cætero vigilantior, quisquis de morte cogitabit. *Iob 21.*

Vox populi, vox Dei: *In Cœmiterio dormit* (ait pop. de ingenioso ac prudente)

Nam sapit sanè, qui animo in sepulchris diuersatur.

4.Reg.13. Et quod cadauer, ad tactū ossium Elisæi demortui, *reuixit, & stetit super pedes suos*, & quod cæci sæpe iam vident, claudi ambulant,&c. ad contactum SS. reliquiarum defunctorum, an non fortè mysticus huius rei iudex? Opinor.

Circulariter ergò dicamus: Si votum omnium optimum est, bene mori; Bene autem moriendi via regia est, Bene viuere; ac Bene viuendi, mortē meditari; te de morte meditari, vt voti omnium longè optimi compos fias, & vitam castigate instituas, necesse est.

Habes nunc aliquot, quæ Mortis meditationi insunt bona.

Ausonius. Ergò *Viue memor mortis, vti sis & memor salutis.*

CONCIO IV.

Them. *Statutum est hominibus semel mori, & post hoc Iudicium.*

FActa repetitione, ita propositum.

Propositio. Dicendum hodie
1. *Mortem, ipsius eius meditatione, contemni.*
2. *Mori, nihil esse graue.*
3. *Deum, citò Mortem plerisq; Bonis, vt aliquid Boni immittere.*
AVE.

1. Mor-

I.

Mortem, ipsius eius meditatione, contemni.

Famosum illud, vt à magno: *Omnium terribilium terribilißimum est mors.* *Arist. eth. 3.*

Et illud Sapientioris: *O mors, quàm amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis?* *Eccli, 41.* Mors terribilis.

Illam & pati, & meminisse, terribile, horum sensu.

Terribile verò, non natura, sed opinione: aut, si terribile non omnibus, sed Stultorum gregi.

Nunquam magnis ingeniis chara in corpore mora est. Exire atq; erumpere gestiunt: ægre has angustias ferunt vagi, per omne sublimes, & ex alto adsueti humana despicere. *Senec. li de consol ad Martiam.*

Sapientibus, Iustis, mors in votis, vita in patientia.

Apostolo, *Mori lucrum.* *Philip. 1.*

Moriuntur sapientes obedienter: stulti, aut nimis ægrè, aut nimis libenter. *Martial. li. 10. ep. 43. ad seipsum.*

Medium tenuit, qui dixit. *Summum nec metuas diem, nec optes.*

Mors si terribilis cuiquam, his maxime:
- *1. Infidelibus, Atheis, Iniustis,*
- *2. Diuitibus acquiescentibus in diuitiis.*
- *3. Nullius meriti, aut opera bona hominibus,*
- *4. Nunquam adflictatis.*

Quibus maximè.

Singulos notauit Sapiens Hebræus, dicens: *O mors, quam amara est memoria tua homini iniusto,* qua à Fidei, aut meriti defectu: *Pacem habentium diuitiis,* j. incubanti, ac indormiēti diuitiis, partis aut repertis, *Viro quieto.* j, inerti nulliusque

bonæ

bonæ operæ: *Cuius viæ directæ sunt in omnibus*, i. cui nunquam aduersa Fortuna. his mors grauis incubat.

Huc adspexit Secūdus Philos. cum Adriano Imp. dixit: *Mors est diuitum pauor, pauperum desiderium.*

Sed panicus planè hic terror, & propè puerorum laruas horrentium, imò puellarum, Nuptias primosque thalamos deplorantium; & Equorum vmbras suas (vt aiunt) metuentium.

Vnde fiat maius terribilis.

Terroris tamen huius tam vani curatio certa, à mortis ipsius meditatione, ac tractatu.

Senec li. nat. quæst.

Effice tibi mortem cogitatione familiarem, vt ita, cùm sors tulerit, possis ei obuiam exire.

Idem p. vlt. ep. 12.

Venientem nemo hilaris mortem recipit, nisi qui se ad illam diu composuerit.

Consuetudinis & vsus vis magna, in vtrā que parte.

Prouerbio vere dictum: *Consuetudine amorem generari, atque Audaciam.*

Et: *Familiaritas nimia parit contemtum.*

Idem ep. 4. lib. 18.

Nemo non fortiùs ad id, cui se diu composuerat, accessit.

Videas eloquentissimos mutescere, Magnatum adspectu primo.

Id Demostheni, apud Philippum Macedonum, accidisse, notum vel tonsoribus.

Bruxellis (ni fallor) Oratorem, apud Carolum V. Imp. his exordij verbis vsum (*Alexander ille Magnus*) mòx conticuisse est fama; atque tùm, Imperatorem blandè iocantem, ità excepisse; Vt video, Alexandrum Regem fuisse, & me, gestis dicere, &c.

Quotus ille est Oratorum, qui primùm pro concione dicturus, non horret? & quis consuetudinem ipsa orandi non fit audentior?

Vsus ac consuetudo ingerit audaciam etiam occidendi.

Vidit ex Aulicis ille Mediolanensis Andreas Lam-

Lampugnanus nomine, qui Galeazum Marium Mediolanensium Ducem insolentiorem virginum castarumque matronarum stupratorem, pro Tyrãno occisurus, ne fortè in vero conatu trepidaret, dicitur imaginem Ducis priuatim sæpe pupug sse, ac posteà in templo intrepidè occidisse, vnde illud: *Vel in ara.*

Cuius exẽplũ illustre. *Vide M. Claudium Paradinum in Heroic.*

Vsu, *Habitabit lupus cum agno: & pardus cum hædo adcubabit: vitulus & leo, & ouis simul morabuntur, & puer paruulus minabit eos.*

Isa.11.

Habitauit Androdus, adlusit, conuixit leoni, tandemque loro tenui reuinctum plateatim, vt catellum, Romæ ductitauit, vnde istæ obuiorum voces: *Hic est Leo hospes hominis, hic est homo medicus Leonis.*

A Gell.li.5. noct.c.14.

Vsus etiam frequens venenorum, Mithridatem Ponti Regem toxicis præbuit immortalem.

Hinc Martialis: *Effecit poto Mithridates sæpe veneno,*

Toxica ne possent sæua, nocere sibi.

Martial. lib.4.

Vsu, vides vel nautarum pueros felium instar, intrepidos, etiam turbatissimo mari, antennarum adscensores, vti tectores etiam pinnaculorum cœlo ipsi minantium, quorum tu minas horres securus ipse, & in imo constitutus.

Vsus idem, equis meticulosis metum adimit.

Dumetum, tubam, sclopetæ sonum equus bellator futurus perhorrescit? viget illum miles sæpius, iuxta intraque dumetum; Martium illud taratantara iubet auribus illius acrius iterari, sclopetasque laxari, ac tum demum in prælio, non modo his non terreri sentit, sed etiam animari, ac propè manifestè quasi, propria sibi Musica delectari.

Hastiludiis quoque crebris, & cursibus sæpè à carceribus ad metas repetitis, ludicrisque pugnis, eundem reddit pugnaciorem.

Et Elephantis *ostensum sanguinem vna & mori,ad*

ri ad acuendos eos in prælio, alicubi mihi lectum. *1. Mach. 6.*

Nemo non & duris quoque, si præmeditata erant obstitit. At contra imparatus, etiam ad leuissima expauit. *Senec. ep. 107.*

Mortem igitur efficere cogitando familiarem, & venientem aut ridebis, aut timebis minùs.

Vt *dulce bellum inexpertis*, ità mors terribilis in cogitantibus, ludicra cogitantibus.

Macarium ita in Mortis meditatione profecisse lego, vt aliquando is præuentus tenebris in deserto, sepulcro vice diuersorii vteretur, neque tamen (etsi tota nocte dæmon fragorem, ossium collisione, excitaret) inde fugeret, Diaboli, Noctis ac Mortis victor. Mortis egregii contemtores. *Ruffin. in vitisp Palladius vit. 19 & 20.*

Socrates quanquam eum nonnulli liberare vellent, mori tamē maluit, poculi lætalis haustu, mortis egregius ipse contemtor, & meditandæ ac contemnendæ eius Magister.

Bion verò quàm etiam contemtor! *Sicut è conuiuio discedo, nihil indignans; itidem è vita. Et vt pallium, vbi detritum fuerit, depono, ita non procrastino, nec vitæ tuendæ desiderio flagro: sed &, cùm liceret adhuc fœliciter degere, morior.* *Stob. ser. de virtute.*

Gorgias ille Orator iam senex, sciscitanti, libenterne moreretur, maximè (inquit:) Nam *tanquam ex putri, & diffluente domuncula, non inuitus discedo.*

Vox quoque illa magna, & magni cuiuspiam, cū ei Mors filii nunciaretur: *Sciebam me genuisse mortalem:* vel vt refert Seneca: *Ego cum eum genui, tum moriturum sciui.* *Plutarch. in Laco, tribuit Lochado cuiquam Senec. li. de breuit. vita.*

Pariebat scilicet in illis familiaritas cum Morte multa, contemtum eius, qui etiam in te meque erit, si eam efficimus cogitatione familiarem.

11. *Mori,*

II.

Mori, nihil esse graue. *Luc. 24.*

Palpate verò & videte quia Mors *carnem & ossa non habet*, videbitis phantasma esse, Nihil esse. Mortem nihil esse graue.

Mors enim nil aliud, quàm
- *1. Expiratio,*
- *2. Transitus ad portum.*
- *3. Peregrinandi finis,*
- *4. Somnus,*
- *5. Pensio debiti,*
- *6. Catastrophe Fab.*

* j. *EXPIRATIO*. Quid enim aliud illa, quàm exhalatio quædam, aut expiratio?

An non Poetæ animam vocant *Diuinæ particulam auræ?* *Lucret.*

Et Seneca alicubi rationem vocat *Partem in homine diuini spiritus mersam.* *Senec.*

Et de omnipotenti Dei spiraculo, vt credas non quasi partem de toto, sed nouum ex nihilo, lege: *Et inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.* Efflatus enim quidam est duntaxat. *Genes. 2.*

Et animus, Spiritus crebrò dicitur.

Spiraculo illo viuimus, vacui illo, mortui sumus, vnde & illa vox sacra, *Expirauit*, & istæ Efflauit animam, emisit spiritum, &c.

Expirandi verò quis labor? Quotidie sentitis nullum.

Spiritus ille noster moriendo, redit ad Deum, qui fecit illum.

Vere *Homo bulla*, & velut vesica vento turgida. Sed hanc euanescere, & ex ista paulatim egeri ventos, nullo earum labore, certum est; ergò & homini mori, res laboris prope nullius.

* ij. *TRANSITVS AD PORTVM*: At cui tempestatibus maris vexato vnquam grauis aut portus ipse, aut portus nomen?

Deus

Deus bone! Quàm vastum mare, quam scopulosum, quàm piratis plenum nauigamus, ventis aduersis, exiguo lembo, imperito portitore, remis, velis, ac malis ipsis sæpe etiam fractis.

Ipsos è Cœlo Beatos, hoc mare despectantes, q̄libet fido portu stabulatos, propemodum horrere nobis, auguror.

Virgil. 1. Aen.

Adparent rari nantes in gurgite vasto,
Arma virum, tabulæque, & Troia gaza per vndas.

Pericula maris huius multa ac magna disce; vel quà ex multitudine, vel quà ex amplitudine naufragorum.

Rectores ipsi sæpe in incerto sunt, ac sæpe amisso faciunt naufragia clauo.

* iij. *ET PEREGRINANDI FINIS.*

Plato in Axiocho.

Platoni certe παρεπιδημία τίς ἐστι ὁ βίος *vita peregrinatio quædam est.*

Senec de remediis fortuit.

Et Senecæ, *Vita nostra peregrinatio est, cùm diu ambulaueris, denique redeundum.*

Ità sensit Senex ille Iacob Patrum Princeps: *Dies peregrinationis meæ centum & 30. annorum sunt* ait, sciscitanti de ætate Pharaoni.

Et Rex Dauid: *Aduena ego sum & peregrinus sicut omnes Patres mei.*

Peregrino cuique, desiderium Patriæ, Parentum, Soli, Cœli, ac Salis patrij: imò & magnus ille Vlysses, etiàm fumum.

Ouid 1. de Pont. 4.

Optat de patriis posse videre focis
Nescio quâ natale solum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non sinit esse sui.

Atque id quidem accidit etiàm iis, qui extra patriam optimè: Quid his, qui malè?

Bestias etiam ipsas desiderium hoc ferit.

Syluas suas, ac latebras natales suspirant aues ipsæ ac feræ, quamlibet alibi saginatæ. *Adsueta leones Antra petunt?*

Et

Et arbores transplantatæ malint solum suum.
Quin & Saxa ad centrum tendunt suum.

Etiam ad fontes suos ac mare, peregrinata flumina omnia reuertuntur, & ignis iste sursum. Homo solus ex peregrinis, reditum in beatam suam patriam reformidet, etiam hic miserrimus?

Homo hic Ephemericus, j. dialis vitæ, Macrobiam reformidet, in Insulis Cœli fortunatis?

Quam desiderata pop. Israelitæ, 40. annis tantum peregrinanti, terra illa Maioribus promissa.

Italiam Italiam inclamant Troiani, Italia è longinquo visa, ad quam tendebant; animi ad eam gestientis significatione. *Æneid.*

Hic *peregrinamur à Domino.* Animus enim è cœlo oriundus, cœli indigena, terræ inquilinus, etsi *carnis locus proprius terra est.* Homo cœligena. *2. Cor 5*

Patriam nostram paradisum computauimus. *D Greg hō. 9. in Euag.*

Platoni, non terra, neque immobilis planta est homo, sed cœli: cuius caput (in quo mentem, & rationem & intellectum posuit) & ex quo reliquum corpus versum ad terram prodeat, veluti radix, sit erectum ad cœlum. *D Cypr. Ser. de mortalitate,*

Adde, quod *Magnus illic nos charorum numerus expectat parentum, fratrum, filiorum, frequens nos & copiosa turba desiderat, iam de sua immortalitate secura, de nostra solicita.* *Cypt. ibid.*

Non enim patria illic tantum, cæterum deserta; verum & Patria, & Amicis refertissima.

Magno remitti velit ad suos miles è castris, donari rude, & ad agellos patriamque redire; is post pugnam, receptui canentem tubam, audit libentissimè.

Hoc Ithacus velit, & magno marcentur Atridæ. *Virg. 2. Æn.*

Tu peregrinus, ac miles idem in Patriam receptum times?

Amplectamur diem, qui assignat singulos domicilio suo.

* iiij. *SOMNVM quoque* illam merum esse quis nesciat?

Arist. Apud Philosophos sæpe, apud Hebræos fere semper lego:

E Philosophis Gorgias Leontinus cum iam vicinus morti, sensim sensu ac viribus deficiens, indormiret, rogantibus familiaribus quid ageret, respon-

Plutarch. dit; *Iam somnus incipit me fratri suo tradere.*

tom. mora. Diogenes quoque, Medico somnum moribundo

tract. de cō- illi prohibenti, lætus ait: *Nihil est mali, frater, enim*

sol. ad Apol. *fratrem anteuertit, somnus mortem.*

Catoni: *Nihil Morti tam est simile, quam som-*

Cic. de Se- *nus.*

nect. Ciceroni, *Somnus est mortis imago.*

Cic. in Tusc. *Nam parua Mortis somnus est mysteria.*

Mortemque & Somnum geminos legis apud Ho-

Incert. merum. Similitudinem namque gemelli maxime

Aut. apud exprimunt.

Plut. Hom. Et Secundus Philosophus Imp. Adriano scisci-

Iliad. 231. tanti, quid mors esset, respondit: *AEternus somnus.*

Ouid 2. A- Hinc ille: *Stulte, quid est somnus, gelidæ nisi mor-*

morum. *tis imago?*

Longa quiescendi tempora, fata dabunt.

Apud Hæbræos, quam raro aliter significata

Psal. 126. Mors!

2. Mach. 12. *Cum dederit dilectis suis somnum. &c.*

Ioan. 11. *Cum pietate dormitionem acceperant.*

Marci. 5. *Lazarus amicus noster dormit.*

1. Thes. 4. *Puella non est mortua sed dormit.*

Act. 7. *Nolumus vos ignorare de dormientibus.*

Et cum hoc dixisset Stephanus, obdormiuit.

Iidem Hebræi scientiarum omnium primipili, sepulcrum ipsum (*duma*) id est silentium vocant.

Ipsa quoque *Columna, & firmamentum verita-*

1. Tim 3. *tis*, arx inquam illa & asylū veri, & columna, in qua

legas

legas fixas leges, Ecclesia, Sepulcretum, ceu agrum qui nunc in sepulturam mundi peregrinorum, ac mortuorum in Christo, κοιμητήριον vocat q.d. dormitorium, seu locum in quo dormitur.

Spem id quidem, ac fidem de Resurrectione nostræ ac vet. Hebræorum Ecclesiæ sonat, cũ in nouissima tuba excitabimur. Et cur. 1

Ac secundo, insinuat tam facile esse Deo mortuos suscitare; quam nobis dormientes expergefacere. 2

Sed & tertio (vt philosophor ego quidem) moriendi non minorem esse voluptatem quam obdormiscendi. 3

Hoc certe est discriminis, quod Mors somnus est illo altero diuturnior.

Gentium enim errore, Mors æternus somnus.

Fide tamen nostra & Hebræorum, & Iobi, ad Mundi finem, quo euigilabimus, excitatque tuba ac Nola non è Campania sed è cœlo ipso. Eccles. 5.

Somnus ne igitur cuiquam grauis, maxime post labores?

Dulcis est somnus operanti, siue parum, siue multum comedat. Ioan. 11.

Somnus, à cibo, altera vitæ basis: Mediam vitæ nostræ partem idem sibi vendicat.

Somnus primum ægrientium votum atque medicorum. *Domine si dormit saluus erit*; ait Petrus.

Somne veni (aiebat Dom. Libertus Houthemius Poëta Laureatus, Magister quondam meus, ægriens & insomnis) *placidissime somne Deorum.* Cic. 1. de Orat. & 4. de fin.

Somnus tristium obliuio, nihil dormienti opus Lethæis aquis, aut arte obliuiscendi, quam à Simonide desiderabat Themistocles.

Ergo stultus qui mortem timet, somnum.

Cur è Germanis alter tibi tam gratus, alter tam horrendus?

Istene Iacob, alter Esau?

Res opinione tantum terribilis est mors, non reipsa.

Mors viuēdi tributū.

* v. *PENSIO DEBITI* etiam illa, & fœnoris, valde molesti solutio est.

Cic. 2. Tusc. *Natura dedit vsuram vitæ, tanquam pecuniæ, nulla præstituta die.*

Quod animum é Cœlo, à Deo, Corpus verò è Terra accepisti, bone Deus! quam fœnorosum, donec animum Cœlo, Terræ Corpus refuderis.

Horat. in arte. *Debemur Morti nos, nostraq;.*

Fœnus commodati Corporis, Morbi;
Fœnora animæ mœstitiæ, &c.

Debitorum vero quantæ semper molestiæ! quæ gaudia ære alieno liberatis?

Senec. lib. de remed. fortuit. Morere tantum, & omnibus absolueris, tam commodato, quam pondere vsurarum.

Mors exilium, luctus, dolor, non sunt supplicia, sed tributa viuendi.

Idem lib. 6. nat. quæst. *Mors naturæ lex est, tributum officiumq; mortalium.*

Plin. in paneg. Iniquior est, qui tributum, quod Cæsari suo debet, & æque omnes pendunt, ægre pendit.

Tam pacatus esto soluentis vultus, quam commodato accipientis: morientis, & viuentis vultus idem esto.

Liberalitatem iucundiorem debitor gratus, clariorem ingratus facit.

* vj. *CATASTROPHE FABVLAE.*

Vita enim nostra, fabula, ac sæpe etiā Tragædia est.

Fabulis adsunt { *Actores* { *Boni*, ac plausu digni, *Mali*, explodendi. } *Spectatores* }

Actores vero æque & Spectatores vna omnes ad finem actionum adspirant.

Actores

Actores, si boni, vt Roscius; vt plausum honorariumque mox referant à Theatro: si mali, aut parum fœlices, quos aut memoria fefellit, aut voces raucæ, vel ineptæ, &c. aut aliud aliquid; finem etiam velint, & celerem à scena recessum; quod ruborem ipsi suum erubescant.

Spectatoribus etiam breuis fabula gratior; qui semel auditam ac visam ægre deinceps audituri.

Crambe recocta mors est. — *Iuuenal. sat. 7.*

Fastidit miseros crambe repetita magistros.

Centies dicas vidisse, tam nauseant.

Ergo, cùm sis tu qua ab anima, ceu cum aliquid Mortale agis, Actor, & qua à corpore, aut cum otiosus, Spectator Cœli ac Soli: qua Virtutis studiosus, Actor, plausu dignus: qua Vitiorum, Actor explodendus; vterlibet sis, vacandum tamen tibi mortis metu, & qua cupidine præmii, & qua pudore tui, mortem potius optare, quam timere. — Cuius homo Actor & Spectator.

Si malus, dic collibus; *operite me*: aut illud: *mihi tellus ima dehiscat.* — *Luc. 23.* *Virg. 4. AEneid.*

Aut Pater omnipotens adigat me fulmine ad vmbras,
Pallentes vmbras Erebi, noctemq; profundam,
Quando *pudor* sic *te violo, & tua iura resoluo.*

Tu qua lucentem hunc mundi globum vides, Spectatores. — Etiam vsq; ad fastidiũ.

At millies iam vidisti Orientem hunc Solem, toties Occidentem, Lunam, Stellas, Hyemen, Æstatem, &c.

Quousque eadem? nempe expergiscar, dormiam satiabor, esuriam, algebo, æstuabo: nullius rei finis est: sed in orbem nexa sunt omnia: fugiunt ac sequuntur. Omnia transeunt, vt reuertantur. — *Senec. ep. 24.*

Nihil sub sole nouum. — *Eccli. 1.*

Quid est quod fuit? ipsum quod futurum est.

Quid est quod factum est? ipsum quod faciendum est.

Cic. de Senect.

Omnia, tantum in orbem circulumque recurrentia, nouum, nihil.

Cum hic nihil sit nouum.

Orbis in Orbe: Crambe repetita.

Rerum omnium satietas, vita facit satietatem.

Vt diu viuere non sit acerbum, certe superuacuum.

Garriant licet Francones, & Nostradami, nouas suas lunas: attamen vna semper eademque Luna, vnde prou. *Antiquior Luna*, sed aliter atque aliter menstruatim recursans. Alioqui, vbi veteres illæ quas dicunt Lunæ abditæ?

Nec nouæ illæ, sed nec nouatæ, neque schemate mutato (vt fit in scenis) gratiores recursant.

Gen. 2.

Certe, si quando conditurum se nouos Soles, nouas Lunas, nouas Stellas, noua flumina, nouos campos &c. dixisset Deus, optari vita longior iure potuisset, natura hominum nouitatis auida.

Sed iampridem *requieuit Deus die septimo ab vniuerso opere quod patrarat.*

Ecquis igitur diutius, hic standi fructus? abite potius libenter, & plaudite.

III.

Menander apud Stob. ser. 119.

Deum plerisque Bonis, cito Mortem, vt aliquid Boni, immittere.

Incert. Aut. Gen. 4.

Vox hominis eruditi: *Dilectus Diis in Iuuentute moritur.*

Et illa: *Quem amat Deus, is moritur iuuenis.*

Bonorum mors properata.

Abel teste Christo iustus, mortuus omnium primus.

Et Henoch is qui *ambulauit, cum Deo*, j. (vt notat Vatablus) rectè inculpatéque vixit, & diuinam vitam egit, q.d. Iste non est Henoch filius Cain, sed est Henoch, qui descendit ab Adam per Seth, vir sanctissimus) mature *non apparuit, quia tulit eum Deus.*

Mult

Multi pietatis ergo, id muneris à Diis consequuti.

Pindarum audi ex Plutarcho: Trophonius & Agamedes, constructo Apollini Delphis templo, mercede ab Apolline postulata, audiere, septimo post die optimam recepturos, cæterum interea genio indulgerent. Paruere illi & septimo post die mortui sunt.

Plutarch. cōsol. ad Apolloniū, & Apud Stob ser. 117.

Etiā mercedis loco.

Cydippen Iunonis Sacerdotem, cum filii duo Cleobis & Biton ad templum pertraxissent, sua sponte equorum aut boum instar, sub iugum missi; petiit Sacrifica mater, à Iunone, filiis Rem optimam rependi. Itaque illi cum cœnassent vna cum matre, seque toro composuissent, crastino mortui ambo reperti sunt.

Stob. ibi. & alÿ.

Quod habuit summum pretium, persolui Dea.

Terent. in And.

Ex hoc liquet, *Nil melius dari hominibus tempestiua morte*, vt ait Plinius.

Et nota dignum, quod vbi Moyses ad pop. ait: *Testem inuoco hodie cælum & terram, quod proposuerim vobis vitam & bonum*, vbi textus Græcus, & Chaldaica aliaque translatio habet (*Vitam, & mortem*:) interpres noster posuit (*Vitā & bonum*:)

Deut. 30.

Videtur enim mortem etiam inter bona numerare.

Quisquamne igitur Bonum timet? Bonum omnia adpetunt. Si quis quandoque malum optat, optat tamen qua Bonum videtur.

Quæ hæc lucta Volendi & Nolendi? Si Bonum aues, & Mors est bonum cur Mortem non vis.

An tu Iudicem atque æstimatorem rerum certiorem, quàm Deum quæris? Mortem is accelerat probis, mercedis optimæ loco.

Quid mortem timetis, quietis genitricem?

Surgite. potius, & *ite quia non habetis hic requiem.*

Sed hem! Machinas tuas tonantes audio.

Obiectio. Si Mors tam bona, ac mori, tam est facile ac iucundum, quam dormire, quam expirare, &c. vnde morientium tam horrendi motus oculorum rotatio, oris torsio, pedum in lecticam impressio, manuum in pugnos contractio, in hanc illam partem conuersio, &c.

Et cur in agonia ac lucta esse morientes aiunt?

Cui responsum bifariè. * 1. ERRAS: A laruis enim monstris & spectris dæmoniorum hi metus ac motus, de quibus mox suo loco. *Spirituum speciem ferre non possunt*, ait Chrysost.

Chrys. hom. 54. in 18. Matt. * 2. ERRAS, si hæc putas à metu Mortis & non potiùs à mortis æstuantissimo desiderio, atque odio acerrimo vitæ ac corporis huius: quod iam inde ab Adæ lapsu est miserrimum, & materia, formæ suæ essentiali, j. rationali animæ molestissima.

Tuam fidem! Decubas lecto? dormire, fessus, si possis, velis. Non venit somnus? pedes agitas, corpus versas nunc in hoc, nunc in istud latus, vt ostium in cardine, flatus venti. Iterumque iterumque hoc facis, & certè is labor magnus. Sed vnde? A Metune Somni, an Vigiliæ odio? Non à Somni metu; illum enim aues, & quæris fugientem: sed Vigiliæ odio tædioque

Ergo, ita Moriens agitat, versatque variè corpus, &c. non tam Mortis metu, quam auiditate moriendi, ac tædio vitæ infortunatissimæ.

Canis catenatus vt saltat! vt rotat caput! vt luctatur! vt ore, & vngue catenam vrget! Sed hæc, amore libertatis, atque odio captiuitatis. Captiuitatem is fugit, libertatemq; fugientē cōatu illo persequitur.

Agonia illa etiam homo quęrit eā, quę à Morte est, libertatem; captus enim vim patitur, & vinctus est.

Nescis ah! miser, nescis vitam hanc, meram esse violentiam?

Ti-

Timon certe ille (vt refert Themiſtius) aiebat *Stob. ſer. 1. 17.*
vocabulo à vi deducto, vitam nominatã, quod præter naturam, anima illic velut catenata.

Græci βίον παρὰ τὴν βίαν ſicut Homerus ἕσπερον ἑσπέραν vocat.

Gallis, *Vie & Violence*, prope coniugata. *Philip. 1.*

Inſinuat idem Pualus: *Cupio diſſolui* (inquit) *& eſſe cum Chriſto.* *Rom. 7.*

Infœlix ego homo: quis me liberabit de corpore mortis huius? *Pſ. 141. vide Aug in Pſal 141. & ep. 99.*

Et, *Educ de cuſtodia animam meam, ad confitendum nomini tuo*, vox eſt quaſi vincti Regis.

Quod tu vides, id non homo, ſed eius potius carcer: homo ille eſt, qui latet incluſus, *proſpiciens per cancellos*, audiensque per feneſtras ſenſuum externorum. Aures enim, os, oculique, captiuæ animæ cancelli ac feneſtellæ. *Cant. 2. Iud. 16.*

Carcerem, in quo molebat Samſon, iſto fuiſſe moleſtiorem putas? aut Ioſephi lacũ, aut Hieremiæ aut Danielis inter ipoſs Leones, aut Petri vincti catenis duabus, inter duos milites, aliosque quatuor militum quaterniones? Non arbitror.

Magna huius rei nota, quod Græci, corpus δέμας vocant tanquam anima, ab eo hic præter naturam δεδεμένη. j. vincta ſit & circũligata vt Prometheus ad ſaxum ſuum, aquilæ aſſiduè depaſcendus. *Et corpus ſcite dictũ græcis δέμας*

Macrobium audi: *Ideo corpus* δέμας, *hoc eſt vinculum nuncupantur.* *Macrob. li. in Somniũ Scip. c. 11. Vi de Platonẽ in Gorgia, & Cratylo*

Corpus quod corrumpitur, adgrauat animam, & terrena habitatio deprimit ſenſum multa cogitantem, j. molientem. *Sap. 9.*

Spiritus quidem promtus eſt, caro autem infirma. *Matth. 26.*

Huc facit emplema illud pueri, cuius *Dextra tenet lapidem, manus altera ſuſtinet alas.*

And. Alciat. Emblemate. 120.

Etsi conetur animus capite nubes tangere, ferire sydera vertice *ponere in cælum os suum,* & *videre mirabilia, quæ non licet homini loqui,* tamen corporis adfixi mola non sinit misellum illum Promethea adsurgere quantum alis possit ac velit: quinimo vel paululum furtimque adsurgentem mox quasi catena ad hæc, infima tractũ, ab alto deturbat.

Macrob. li. in Somniũ Scip. c. 11.

Corpus idem etiam græcè σῶμα *quasi quoddã* σῆμα *i. animæ sepulcrum nuncupatur,* ait Macrobius.

Plato in Grogia.

Et Platonis vox: *Audiui iam à Sapiente quodam, nos nunc mortuos esse, corpusque nostrum, sepulcrum esse nobis.*

Corpus certe putre sepulcrum, exhalans Mephitim vndique.

Quam illud fœdum intùs vel foris vides: singuli meatus tibi renunciant; aures immundæ, nares pituitosæ, lippi oculi, os phlegmaticum, graueolens, & quæ inferius honeste nominari non possunt, vtrinque inhonestissima.

Epicteto iudice, tam est fœdũ, vt *si oporteret quinque tantum dies vicini corpus curare, non sustineremus.*

Iob. 1.

Vix ipsi nos plerumque toleramus.

Factus sum mihimetipsi grauis, aiebat Iob.

Et infernus.

Parum dixi; Infernum quidam corpus hoc dixere, non alium nullum quorundam errore arbitrantes, sed duo Inferna potius statuentes.

Macrob. li. 1. in Somnium Sci. c. 10

Macrobium audi: *Antequam* (inquit) *studium Philosophiæ circa naturæ inquisitionem: ad tantum vigoris adolesceret, qui per deuersas gentes autores in constituendis sacris cæremoniarum fuerunt, aliud esse Inferos negauerunt, quam ipsa corpora quibus inclusæ animæ, carcerem fœdum tenebris, horridũ sordibus & cruore patiũtur. hoc animæ sepulcrũ, hoc Ditis concaua, hoc Inferos vocauerunt. Et omnia*

qu

quæ illic esse credidit fabulosæ persuasio, in nobis-
metipsis, & in ipsis humanis corporibus adsignare co-
nati sunt: obliuionis fluuium aliud non esse asse-
rentes, quam errorem animæ obliuiscentis maiesta-
tem vitæ prioris, qua, antequam in corpus tradere-
tur, potita est, solamque in corpore vitam putantis.
Pari interpretatione Phlegethontem, ardores irarũ
& cupiditatum putauerunt. Acherontem, quicquid
fecisse dixisseue, vsque ad tristitiam, humanæ varie-
tatis more nos pœnitet. Cocytum, quicquid homines
in luctum lachrymasq; compellit. Stygem, quicquid
inter se humanos animos in gurgite mergit odiorum.
Ipsam quoque pœnarum descriptionem, de ipso vsu
conuersationis humanæ sumtam crediderunt. Vultu-
rem iecur immortale tondentem, nihil aliud intelligi
volentes, quam tormenta conscientiæ, obnoxia fla-
gitio viscera interiora rimantis, & ipsa vitalia, in-
defessa admissi sceleris admonitione lauiantis, sem-
perque curas, si requiescere forte tentauerint, exci-
tantis: tanquam fibris renascentibus inhærendo, nec
vlla sibi miseratione parcentis. lege hac, qua nemo se
iudice nocens absoluitur, nec de se suam potest vita-
re sententiam. Illos autem, epulis ante ora positis, ex-
cruciari fame, & inedia tabescere, quos magis ma-
gisq; acquirendi desiderium cogit præsentem copiam
non videre, & in adfluentia inopes, egestatis mala
in vbertate patiuntur, nescientes parta respicere,
dum egent habendis. Illos radijs rotarum pendere
districtos, qui nihil consilio præuidentes, nihil ratione
moderantes nihil virtutibus explicantes, se & actus
suos omnes fortunæ permittentes, casibus & fortui-
tis semper rotantur. Saxum ingens voluere, inefficaci-
cibus laboriosisq; conatibus vitam terentes: Atram
silicem lapsuram semper, & cadenti similem, illo-
rum capitibus imminere, qui arduas potestates, &
infaustam ambiunt tyrannidem nunquam sine ti-
more victuri, & cogentes subiectum vulgus odisse,
dum

Omnia e-
nim prope
tormneta
veri, Inferni
illi iusunt.

Ixion.

dum metuat, semper sibi videntur exitium, quod merentur, excipere.

Seruius quoque his concors, ad illud 6. Æneid. Per tota nouem cui iugera corpus porrigitur. *Sane (ait) de his omnibus rebus mire reddidit rationem Lucretius, & confirmat in nostra esse vita omnia ea quæ finguntur de Inferis. Dicit enim Tityon amorem esse, hoc est libidinem, quæ (secundum physicos & medicos) in iecore est, vt risus in splene, iracundia in felle. Vnde etiam exesum a vulture, dicitur in pœnam renasci, etenim libidini non satisfit, re semel peracta: sed recrudescit semper. Vnde ait Horat. Incontinentis aut Tityi iecur Ipse etiam Lucretius dicit. per eos, super quos casurus imminet lapis, superstitiosos significari, qui inaniter semper verentur, & de Dijs, & Cælo, & locis superioribus male opinantur. Nam religiosi sunt, qui per reuerentiam timent. Per hos autem, qui saxum, voluunt, ambitum vult, & repulsam significari, quia semel repulsi petitores ambire non desinunt.*

Per rotam autem ostendit negotiatores, quia sẽper tempestatibus turbinibusque voluuntur.

Vinctorum, in fœdis ceu Sepulchris, ceu Sentinis ceu cloacis detentorum, imo vero & in Inferno illo inferiori quis non valde voueat egressum, si qua spes adfulgeat libertatis?

Morientiũ certiora esse iudicia, *Gen.* 40.

Captiui Iosephi ad captiuum hoc votum: *Facias mecum misericordiam, vt suggeras Pharaoni vt educat me de isto carcere.*

Corporeis certe oculis occipientibus foris caligare, animus eius, qui Morti est vicinus, intus clarius videt.

Tum videt, inimicitias alere quam malum, ideoque omnibus ipse prior parcens, ab omnibus sibi vicissim poscit ignosci.

Tum, tandem acutè cernit furti malum; ideoq; male parta ipse refundit, aut refundi iubet.

Tum

Tum, quid sit in Deum peccasse, tandem intelligit, ideoque serio licet, serio tamen pœnitet. *Horat. li. 1. ep. 1.*

Quod petiit spernit: repetit, quod nuper omisit.

Quo fit, vt qui hactenus, oculos multos acutosque foris habens, domi vero Lamiarum instar nullos, non vidit vincula sua, Carceremque suum putauit palatium, Sepulcrum habuit pro conopæo, & Infernum, paradisum est arbitratus; idem ipse iam reuocatis intró oculis, adfulgenteque per mortem spe magna libertatis, agitet corpus, oculos rotet, &c. non velut Mortem reformidans, sed conans tota vi, vincula carcerem, Infernique sui portas perrumpere, atque erumpere. Illos adlaborare, vt liberentur.

Ergo nihil in Morte duri, neque ea admodum timenda vlli.

Prudentissime tu tamen, si (vt ille ait) *Summum nec metuas diem, nec optes.* Itaque non timendam Mortem ob agoné.

Mortem enim optare malum, timere peius. *Martial. l. 10 epist 42. ad seipsum Au. Periander.*

CONCIO V.

Them. *Statutum est hominibus semel mori & post hoc Iudicium.* *Heb. 9.*

FActa repetione, ita propositum

Dicendum hodie:
1. *Stultos esse omnes, atque inconstantes, qui Mortem timent.*
2. *De Timoris huius fontibus.* Propositio.
3. *In eos, qui Sanctorum & Christi metu, prætexunt suum.* AVE.

I.

Stultos esse omnes, atque inconstantes, qui Mortem timent.

Vere militum labores duri, ac magni.

Si

Erasm. Chiliad. Si quibus est *dulce bellum*, certe, ferè solis *inexpertis*, iuxta prou.

Inconstantia humana magna. Da Milites, Deo, Iustitiæ, Religioni, Regi, Patriçque tantum pugnantes, ego Milites, armatos dicam Capuccinos, adeo durum vitæ id genus.

Durior Capucio nostro, cassis militum ferrea; & Cilicio grauior, lorica aut hamata, aut casa.

Duriores militum vigiliç, è mœnibus pluuiis grādinibusque obiecto, quam in templo vigiliæ nostræ, pede (vt aiunt) sicco, & sub tecti vmbra.

Durior illa Militum obedientia, quæ in certam eos mortem ruere: quam nostra, quæ aut legere, orare, arare, aut fodere agellum iubet, &c.

Et pœna recalcitronis contumaciter militis maior, fustuarium, securis aut laqueus; quam nostra, carceres, sed humani.

Miserrimum denique, etiam laborantes illos fame plerumque mori.

O vitæ durum genus! Ara miseriarum omnium militia.

Igitur miles multa bello passus, quam primum aut icto fœdere, aut dato exautoramento redire potest domum, iurat etiam per ipsam Styga, nunquam se deinceps in militiam profecturum. Militiam totam diris deuouet: Adolescentibus eam dissuadet. Bene hoc quidem ac vere.

Sed, si crastinus dies forte fœdus abrumpit, & iam Classica, ac tympana militem rursus cogunt, idem primus omnium, Sacramento se militari adstringit miser *repetit quod nuper omisit.*

Horat. lib. 1. ep. 1. Non hunc tu iure stultum voces, qui damnata bella repetat tam calenter. Arbitror.

Deinde, nonne etiam is coniux tibi stultus censeatur; qui Matrimonii onera est expertus; Leænam pro vxore: tortores, pro Liberis; fel, pro melle; curas diurnas, nocturnasque habuit: ac nihilominus

ominus, iugũ, quod semel excusserat optanti Deus, rursum subit, etiam vix bene mortua coniuge, aut vixdum elato funere.

Nam si (vt aiebat) nuptiæ tam graues. aut *melius nil cœlibe vita*, serio inquiebat; cur à cœlibatu oblato, rursus init nuptias, transfuga leuissimus? *Horat. ibid.*

Quod petiit, spernit, Euripo quouis inconstantior. Maxima in negotio Mortis ac Vitæ. & cur.

Ego plane tales censeo illos nimium mortis timidos & fugaces. Vitam enim hanc, & miserrimam norunt, & quotidie talem conclamant: alteram contra fœlicissimam & mortem timent.

Duo enim ista, minime timendam faciunt Mortẽ { *Miseria huius vitæ.* / *Beatitates alterius.* }

* j. *MISERIAE* quas in ortu, cursu & occasu suo, quotidie nemo non sentit, & clamat;

In vtero, *In sordibus generamur, in tenebris confouemur, in doloribus parturimur, ante exitum miseras oneramus matres, in exitu ore vipereo laceramus, mirum, quod non ipsi quoque laceramur.* *D. Bern. ser. fer. 4. Hebd. pœnosa.*

Natos iam ex vtero foris gladius, intus pauor adflictat: Suæ Cruces animo; suæ cruces corpori; cruces noctu, cruces interdiu: & ipsum tempus quietis, quam sæpe inquietum!

Ideo Timone teste, veteres Genethliũ, hoc est natalitiũ diem vocant ὡς ἀρχὴν γενομένην ἄθλων, quasi principium laborum. *Stob. ser 117.*

Auspicatur homo miser vitam, à suppliciis, *mox proiectus ex vtero, in vincula conijcitur, manibus, pedibusque deuinctis*, ait Picus. *Ioan Picus. lib 2. c. 4. de meditatione mortis & Christi nostra.*

Præsensimus iam olim mala nostra. Nam omnes demto vno risore (vt aiunt) Zoroastre, sed eo Mago, mundum hunc primum ingressi eiulando plorauimus, mares per A, Adamum: fœmi-

næ per

Nascendo qui, & cur flemus omnes

næ per E, Euam. protoparentes, malorum autores primos iam tum modo suo declamantes.

Sap 7. *Primam vocem similem omnibus emisi plorans.*

Cyp. ser de bono patientiæ. Cyprianum audi: *Vnusquisque nostrum, cum nascitur, & hospitio huius mundi excipitur, initium sumit à lacrymis, &, quamuis omnium nescius & ignarus, nihil aliud nouit in illa prima natiuitate, quam flere. Prouidentia naturali, lamentatur vitæ mortalis anxietates, & labores, & procellas mundi, quas ingreditur, in exordio statim suo ploratu & gemitu, rudis anima testatur.*

Quidni? Puer enim sub ferula, vir factus sub Domina est, ac Dominis multis rationalibus, sæpe irrationalibus.

Psal. 65. *Imposuisti homines super capita nostra.*

Scientes hæc omnes, ac fatentes, vel in cuni s an non stulti, qui vitam hanc sic amamus, Mortem sic odimus?

Si vita, Fabula; cur cuius initus tristis, eius exitus lætus non est?

Si flebas ingrediens; mox abiturus, aut iam abiens cur non rides?

Stultusne, qui in barathrum intrudendus eiulabat, extrahendus etiam eiulat?

Vale. Max. li. 2. c. 1. Pompo. Mela. Herodin Terpsichoro. Thraces melius, *apud quos læta sunt funera, luctuosa vero natalitia.*

Editum enim puerum propinqui circumstantes complorant.

Causianis etiam id in more.

Beatitas alterius vitæ ad spectāda. * ij. *BEATITATES* alterius, à quarum adspectu, quam debet homo mortem non timere!

Nam *Mors iusti, æterni natalis est dies.*

Senec ep. 104. Cic. 1. Tusc. *Mors in claris viris & fœminis, dux in cœlum solet esse.*

Vale. Max. li. 3. c. 2. Videbat Epaminodas, cum diceret, fusis iam hostibus, moribundus ipse, idemque victor: *Non finis (commilitones) vita mea, sed melius & auctius*

initium

initium aduenit. Nunc enim vester Epaminondas nascitur, quia sic moritur

Transitus est ad Deum, ad Beatos, ac Patres, maioresque nostros.

Ab hoc adspectu, Mortem contemsere { 1. *Philosophi.* 2. *Barbari,* 3 *Bestiæ quædam.* } Inde enim contemtus mortis.

* j. *PHILOSOPHI*, Socrates ipse, cuius hæc vox: *Equidem, nisi me migraturum putarem, primum quidem ad Deos alios Sapientes & Bonos, deinde ad homines defunctos, his, qui hic sunt, meliores, iniusta agerem, non molestè ferens mortem. Nunc verum habetote sperare me ad bonos viros iturum, &c. Propterea haud similiter mortem molestè fero, sed bono animo sum.* *Apud Platonem in Phædone.*

* ij *BARBARI.* Nam & Arcades ipsi. *Ciuis enim Megalopolita, ex Arcadia, Cercidas nomine, moriens dixit familiaribus suis: se non ægre mortem obire: sperare enim se conuenturum ex Philosophis Pythagoram, ex Historicis Hecatæum, ex Musicis Olympum, ex Poetis Homerum, & hæc effatus, vt fama est-vitam amisit*, autore Æliano. *ÆEliannus li.13 de var. hist. c.20.*

Leonides ad pugnam milites hac spe hortans, ait: *Animosè, forsitan apud inferos cœnabimus*: beatitatem enim ille infra, in Elysiis, opinor, campis locabat.

D. Augustino ac Cic. Autoribus, Cleombrotus (non ille Lacedæmoniorum Rex, sed Ambraciola) lecto Platonis Phædone, qui est, de animæ immortalitate, è muro in mare præceps desiliit. *D Aug li.1. Ciu.c.22. Cic.1. Tusc.*

Multi, audito Hegesiâ Cyrenaico, disserente, de vitæ contemtu, sponte sibi mortem intulêre, ac plures æmulaturi, nisi & is silere iussus, & virginibus sui ipsarum parricidis, pudendam publicamq; nudi sui cadaueris ostẽtationem Iudex interminatus esset. Pudore enim illo, cæteræ ab auso tali destierunt.

Pompo. Mela Cosm. lib. . .

Vide Plin. lib. 10. c. 2.

* iij. *BESTIAE* etiam ipsæ: Phœnix enim, vnica illa semper auis præsaga suæ, triduo post mortem rogosque, è suis ipsius cineribus, renascentiæ, ipse sibi, collectis casia, thurisque surculis, pyram parat, incubatque: illic ipse sibi, & certus ardendi, mortem expectat.

Apud Platonem in Phædone.

Et Cygni, de Socratis mente, vicina iam Morte, cantillant, & fusius, & solito dulcius, *congratulantes, quod ad Deum sint, cuius erant famuli, iam migraturi.*

Quia Phœbo sacri sunt (inquit) *diuinatione prædití præsagiunt alterius vitæ bona.*

Tu à morte transmigras ad vitam, ad Deum, ad Christum, ad Virginem Matrem, ad Heroës illos magnos veteris nouæque legis, adloquuturus, pro Musicis ac Homeris, Dauides; pro Hecatæis, Moyses; pro Philosophis ac pythagoris, Prophetas, Apostolos, Ecclesiæ Doctores vna omnes.

Magnus illic nos charorum numerus expectat parentum, fratrum, &c. iam de sua immortalitate securi, de nostra soliciti.

D. Cyp ser. de mortalitate.

Omnes illic meliores, nostri amantiores, numerosioresque his, qui nunc in terris.

Et non *cupias tu dissolui, & esse cum Chrstio* & tot magnis?

II.

De Timoris huius fontibus.

Quatuor metus Mortis fontes.

Mihi vero metus huius fontes quatuor
- 1. *Fides infirma, ac prope Atheismus*
- 2. *Charitas frigens,*
- 3. *Conscientiæ sordes,*
- 4. *Indulgentia corporis nimia.*

Fides infirma.

* j. *FIDES INFIRMA*, ac prope ad Atheismum, aut Epicureismum vergens. Sæpe enim *in* *Eccle-*

Ecclesia constitutus, fidem in domo fidei non habet.

Aut enim Deo aut Deum non credimus, aut animæ immortalitatem, aut corporum resurrectionem, aut beatas Bonorum sedes, aut si credimus frigide valde.

Cypriani senso, *Hoc fit quia fides deest, quia nemo credit vera esse, quæ promittit Deus.* *Cyp. ser. de Mortalitate.*

Mors terribilis est ijs, quorum cum vita omnia extinguuntur; non ijs quorum laus emori non potest *Cic parado. 2.*

Fides habetur graui ac bonæ fidei viro, parua aut nulla Deo.

Adeone terribile, transitus hinc ad Deum coram videndum, si Pulcri totius fontem illum credis? aut, ex his infortunatis locis, ad illas fortunatissimas sedes euolare?

Quis ex casa & tenui mensam, non libenter iit ad certa palatia, ac famosissimam aliquam Solis mensam? *Genes. 2.*

* ij. CHARITAS FRIGENS. Nam vera desiderat vnionem, præcipuè animorum, si ea Bonorum: Corporum, si Carnis seruorum *vt sint duo in carne vna* generanda.

Amantes vide: Deus bone! quam in cupidi videndæ Dominæ, quisque suæ, & ab eius ore amplexuque pendendi!

Inuide dicebant paries quid amantibus obstas? *Ouid. Metam. 4.*
(Pyramus nempe ac Thysbe)
Qantum erat, vt fineres toto nos corpore iungi?
Aut hoc si nimium est, vel ad oscula dada pateres.

Vniri autem commode Deo non possumus, in corporis huius pariete adhuc integro Mortis interuentu est opus, quæ parietem hunc demoliatur.

Itaque minus amat, qui Deo vnientem Mortem timet.

Finem si amas, cur horreas media aut viam, quæ ad illum?

Psal. 141. Qui ardentius amauere, dixerunt: *Educ de custodia animam meam, ad confitendum nomini tuo.*

Rom. 7. *Quis me liberabit de corpore mortis huius?*

Philip. 1. *Mihi viuere Christus est, & mori lucrum.*

Cupio dissolui, & esse cum Christo.

Viuere, ardenter amantibus, patientiæ fuit, mori desiderij.

Chrys. hom. 5. ad pop. D. Chrysostomi censurâ, Timemus, *quia non vulnerat nos regni amor, non nos futurorum amor accendit.*

Cyp. ser. de Mort. Et D. Cypr. *Eius est mortem timere, qui ad Christum nolit ire: eius est ad Christum nolle ire, qui se nō credat cum Christo incipere regnare.*

Ibid. Consciencitiæ sordes. * iij. *CONSCIENTIAE SORDES. Non viuimus* (ait Chrysost.) *cum diligentia, nō habemus conscientiam puram, &c.*

Quàm formidolosus seruo insolenti ac concussori, reditus heri: ignauo aut fugaci militi aduentus Ducis: inerti discipulo regressus Ludimagistri: tàm mors grauis peccatori.

Pectinem strigilemque horret, equus scabiosus, & immedicabilis æger, cauterium: Mortem ille *cuius cuncta cogitatio cordis intenta est ad malum omni tempore.* Nihil enim præter plagas expectat, & perpetuam ab vsitatis voluptatibus abstinentiam.

Gen. 6.

Cyp. ser. de Mort. Cypr. *Mori plane timeat, sed qui ex aqua & spiritu non renatus, gehennæ ignibus mancipatur: mori timeat, qui non Christi cruce & passione censetur: mori timeat, qui ad secundam mortem de hac morte transibit: mori timeat, quem de seculo recedentem perennibus pœnis æterna flamma torquebit: mori timeat, cui hoc mora longiore confertur, vt cruciatus eius & gemitus interim differatur.*

Contrà, industriis seruis, victori militi, discipulo sedulò gratus Magistrorum reditus, quisque se ac sua illis ostentat.

Dicas

Dicas venaticos canes,qui prædâ captâ vi tota ad
dominos recurrunt,prædamq; obtendunt.

Disce ex purgatis animis,consciisque recti men-
tibus, quibus talis est Mortis, qualis olim victori-
bus triumphi dies.

Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum *Luc. 2.*
Verbum tuum in pace,ait Simeon.

Vox Pauli:*Bonum certamen certaui, cursum cō-* *2.Tim. 4.*
summaui,fidem seruaui,in reliquo reposita est mihi
corona iustitiæ,quam reddet mihi Dominus,&c.

* iiij. *INDVLGENTIA* corporis nimia *Non vi-* Indulgētia* corporis nimia.
uimus in asperitate Christianis congrua,sed facilem
hanc,& solutam,& mollem amamus vitam,idcircò
verisimiliter,& præsentibus oblectamur rebus.Quod *Chrys.hom.*
si vtiq; in ieiuniis,& pernoctationibus,& victus te- *6. ad pop.*
nuitate,hanc vitam transigeremus, cupiditates no-
stras arcentes,&c.cito futura concupisceremus, præ-
sentibus liberari laboribus festinantes.

Ad montium vertices ascende,considera illic mo- Nam quib.
rantes monachos in sacco, in vinculis,in ieiuniis, in durior vita,
tenebris conclusos, & omnes videbis mortem exo- mors mol-
ptantes,& illam requiem aduocantes votis. lior.

E Capuccinis illis nudis,angustiatis,&c quemuis
interroga, an mori sit præstò: hodie potiùs quàm
crastino:*Mors mihi sera venit*,inquiet.

Morsq; minus pœnæ,quàm mora mortis habet. *Ouid. ep. 7.*

An non Israelitæ operibus luti ac lateris in Æ- *Exod. 1.2.3.*
gypto fatigati,magno mercentur egressum?

Quid? Columba ipsa à Noë,ex arca emissa, *cum* *Gen. 8.*
non inuenisset vbi requiesceret pes eius, reuersa est
ad eum in arcam. Post aliquot verò dies tertiò e-
missa,*non est vltra reuersa ad eum*, iam enim dilu-
uii tempestas deferbuerat, & tum illi melius in a-
gro,quàm in arca.

Hoc notauit Heb.Sapiens: *O mors quam amara* *Eccli. 41.*
est(inquit)*memoria tua homini pacem habēti* (i. ac-
quiescenti) *in substātiis suis: viro quieto,& cuius viæ*
directæ sunt in omnibus!

Et Secundus Philosophus, ad Adrianum Imp. dicens: *Mors est diuitum pauor, pauperum desiderium.* Mortem enim ex illis quidam optant, quidam adcersunt.

Corn. Gall. *Dulce mori miseris:*

Plaut. Rud. *Neque est melius morte in malis rebus.*

Incert. Aut. Et: *Præstat non viuere, quam viuere misere,* aiunt illi.

Psal. 113. Contra ex beatulis auditum: *Viuere mihi, & vxori liceat, cum libris ac Fortunis. cæterum sit cælum, cæli Domino: terra autem filiis hominum.*

In Paradiso (vt aiunt) hic suo versantur, neque vitam vsquam putant beatiorem.

Inescatos deliciis nos tenet Mundus, vt piscator vermibus pisces? auceps grano volucres; nos quotidie grato pastu feras, & canes generis cuiuscunq;.

III.

In eos, qui Sanctorum & Christi metu, prætegunt suum.

Obiectiuncula, à Sanctorum metu. Sed ais: Sancti etiam in hoc Mortis metu.

Ezechias imprimis optimus Regum Iuda nunciante Isaia, iusso Dei: *Dispone domui tuæ, quia morieris tu: & non viues,* fleuit largiter, ac multa quærens, mortem est deprecatus.

Isa. 38.

ibid. *Præcisa est, velut à texente, vita mea, dum adhuc ordirer succidit me.*

Psal. 54. Et Dauid ipse: *Cor mundum* (inquit) *conturbatum est in me, & formido mortis cecidit super me. Timor, & tremor venerunt super me & contexerunt me tenebræ.*

2. Cor. 5. *Qui sumus in hoc tabernaculo ingemiscimus grauati, eo quod nolumus expoliari,* ait etiam Paulus ipse.

Greg. l. 4. dial. c. 47. tom. 2. Antonius quidam, non ille quidem magnus Dæmonum terror, sed tamen & monachus & opt.

Facta

Facta ad eum voce, è cœlo; *Paratus esto, quia Dominus iussit migrare te,* Sumtus sibi ad migrandum deficere causatus est; cumque adiiceretur: *Si de peccatis tuis agitur, dimissa sunt,* magno nihilominus metu trepidabat.

Quin & Abbas etiam ille Elias, Sole ipso orbi notior, *Tria se perhorrescere*, quorum Mors non minimum fuit, inquiebat.

Deus bone! Hilarionis Tabathæi terror quantus! octogesimum enim iam annum agens multis iam ædificatis monasteriis, iamque clarus miraculis, cum extremo pene spiritu confligaretur, dicebat: *Egredere quid times? Egredere, anima mea quid dubitas? Septuaginta prope annis seruisti Christo, & mortem times?* Quid est, nisi hic sit metus? *Ex D. Hieron. in eius vita.*

Sed his, ipsaque propemodum fide maius aliquid audi. *Marc. 14.*

Imperterritus alias ille Leo de tribu Iuda, mortis victor, an non ait ipse quoque: *Tristis est anima mea vsque ad mortem?* Nonne & *cœpit angi, pauere ac mœstus esse,* inusitatoque sanguinis sudore, eiusque tam copiosi, vt essent quasi riui defluentis in terram, testari iam fassos metus?

E philosophis Aristippus quoque Corinthum nauigans, proximus naufragio à tempestate grauius milite vectore trepidauit. *Laert. li. 2 c. 8.*

Quid igitur damnas (inquis) turbam, si etiam ipsa Mortem timet, his exemplis.

Audi, vicissim & tu audi

Christus certe mens non tam Mortem, quam Mortis suæ Modum Crudelem, Prolixum, Pudendum, & Inferno quouis atrociorem horrescebat.

Aliud res, aliud Rei modus. Vinũ quam optas? Sed calices istos magnos veros homicidias, quos vere Cornua, & Bombardas vocant, quod multos necent horres. Et vini amantissimus licet, vinum tamen perhorrescis, si naturæ est, feruentioris.

Venenum illud putas, ac fugis.

Ita Christus, etsi moriendi alioqui cupidissimus, modum tamen ac genus mortis perhorruit.

Et sint qui dicant, neque Mortem, neque Mortis ipsum genus, sed Iudæ, sed aliorum Apostolorum lapsus, sed irritos multis suos tot labores illum deplorasse.

Et esto: Timuerit sanè Mortem, sed tibi timuit, non sibi: Tabum vlceris tui ore hausit audax Medicus, vt tu illo careres.

Gen. 2. Spoliauit se Adam iste, Osse costæ suæ, ac constãtiâ suâ, carnemque reposuit, j. Mortis contemtu tũc sponte exutus, metum hunc adsumsit, vt Ecclesiæ Euæque suæ metu sublato, in ea contemtus Mortis crearetur.

Ducis generosi instar, exuit tunc ipse se lorica impenetrabili, eamque suo militi meticuloso induendam dedit, & militis ipse sui indusio solo contentus, pugnam iniit.

1. Reg. 17. *Sic induit Saul Dauid vestimentis suis, & imposuit galeam æream super caput eius, & vestiuit eum lorica.*

Deinde de Sanctis. De Sanctis verò ita accipe: non propriè Mortem ipsos timuisse, sed quæ ante & post Mortem; peccata fortè occulta, & iustitias sæpè menstruatas, strictamque Dei Iudicis Censuram, ac stateram, ne fortè *inueniretur minus habens* animus *appensus in* *Dei statera.*

Quid illi timuerint. *Dan. 5.*

Animis illi timebant, non corporibus: aut mortem secundam, j. gehennæ verebantur, non communem istam omnium fatalem.

Aristippus verò damnum Reipublicæ ac Scholæ videtur attendisse. Nam Militi metum illi mortis improperanti, respondit: *Non de pari anima tibi mihique cura, ac metus est:* addit Gellius: *Ego timeo animæ Aristippi, tu non times animæ nebulonis,* q. d. magna vtriusque iacturæ differentia. Philoso-

Quid Philosophi. *Laert lib. 2 c.8.*

losophum mori, damnum, nebulonem mori, lucrum,

Rerum enim vilissimum minor custodia, vide prou *hydria in foribus.* Philosophi certè sensu suo, Reip. vtilissimi.

Sic igitur timere, per me fas iusq; est, Timere à peccatis, Timere à Iudicis Dei, Timere pretiosæ animæ periculis, ac Reip. damno, si libet, licet, quos timores tamen minues valdè, si rectè iues.

Timere autem solam compositi solutionem, & temporarium animæ diuortium, est Naturæ leges nescientis, iis rebus, quibus initium dedit, etiam finem decernentis.

Vt frustra concipitur, qui nasci non vult: ita *Viuere noluit, qui mori non vult.* *Senec. ep. 2. lib. 4.*

Hic timor, est in fide mutantis, tepidè Deum amantis, male sibi conscii, nimium corpori indulgentis. *Petr. Chrysol. ser. 118.*

Resurrectionem mente, ore, oculis adspectet, cantet, cogitet Christianus, vt totam Mortis possit calcare formidinem.

CONCIO VI.

Them. *Statutum est hominibus semel mori, & post hoc Iudicium.* *Heb. 9.*

FActa repetitione, sic propositum.

Dicendum hodie { 1. *Non mortem timendam, sed peccatum à quo illa Autore.* 2. *Legem Mortis maximè sanctam, & ad sanctitatem,* 3. *Tria quæ in Morte incerta, non modo ad pœnitudinem, sed & ad eam properandam hortari.* } Propositio.

AVE,

I.

Non Mortem timendam, sed peccatum, á quo illa autore.

Præposter hominum timores. Præposterus fere Hominum metus. *Trepidant enim timore, vbi non est timor:* at vbi timor, illic exultant.

Psal. 13. Mortem timent, de peccato exultant.

Prou. 2. *Lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis.*

Chry. hom. 5. ad Anto. Chrysostomum audi: *Non timemus gehennam, propterea mortem timemus: supplicii intolerabilem grauitatem non nouimus: propterea, pro peccato, mortem timemus.*

Mirum, Mortem adeo horreri: Peccatum vero, à quo illa autore, sic placere.

Sanè, nisi Adam, nosque in illo, peccassemus, Mors homini nulla.

Mortis varii autores:
1. *Natura*, per se, ac directè:
2. *Peccatum*, per accidens, & indirectè:
3. *Diabolus*, vt consultor.
4. *Deus*, vt peccati vltor.

Mors vnde. * j. *NATVRA.* Quicquid enim diuersis aduersisque qualitatibus constat, corrumpi necesse est, vt cui insit, iuhæreatque corruptionis suæ causa.

Salust. *Discordia res maximæ dilabuntur.*

Luc. 11. *Omne regnum in seipsum diuisum, desolabitur* huc quadrat.

Et, *quicquid habet ortus, finem timet.*

Ouid. 1. Metam. Sed in corpore quouis humano sunt quatuor *discordia semina rerum, Frigida compugnant calidis, humentia siccis,* discors plane concordia rerum, quæ quam inter se diuersæ sint, tamen commixtæ vnum corpus hominis statuunt, dum vna alterius vires ad tempus temperat ac coërcet. Neque illæ sine principio, ac motu.

Igitur natura sua, si sineretur, homo etiam sine peccato interisset.

Finge armatam nauim alto mari locatam, velis expansis, ventis adspirantibus remigibus impellentibus: an non ea natura euolatura, si nulla illam ancora sistat?

Et hominem intus sui ipsius heluonem, constantemque his coniuratis in vicem elementis, æternum viuere putes potuisse natura, nisi, Iustitia illa originali etiam stante, gratia quædam Dei priua *Dissotiata concordi pace ligaret?* *Ouid. 8. Meta.*

* ij. *PECCATVM*, causa moralis, causa per accidens, atque indirecta: quod quantisper nullum fuisset, illa naturalis moriendi propensio, immobilis tantisper restitisset, tam in Adamo, quam posteris eius.

Adam enim vt persona publica, sibi ac suis aut sapiebat aut delirabat.

Quicquid delirant Reges plectuntur Achiui. *Horat. li. 1. ep. ad Loll.*

Fomenta verò immortalitatis illius ista.

1. *Diuinæ Prouidentiæ manus*, â qua *omnia sunt hominum tenui pendentia filio.*
2. *Iustitia originalis insita*, cuius vi, vt vires animæ inferiores rationi, ita corpus animæ paruisset, indiuulsum, indeficiens.
3. *Creaturarum obedientia præstãda homini*: Nullũ dissidium partis à toto. Qualitatum in composito suo concordia *Hanc Deus & litem melior natura diremisset.* *Ouid. 1. Metam.*
4. *Alimonia arborũ, arboris vitæ maxime, cui vis præcipua vigoris instaurandi.* D. Aug. lib. quæst. vet. & noui test. c. 19.

Vnde nos etiam sine peccato, immortales.

Pri-

Genes. 2. Principio, in manu hominis, mors & vita.

In quocunque die comederis ex ligno scientiæ boni & mali, morte morieris, j. mortalis eris, obnoxius eris morti. Heb. vt hic notat Vatablus, post Lyranum, & August. *Vatabl. annot 29. in 2. Genes.*

Peccauit verò miser, vnde mox repagulis mortis effractis, morbi mortesque turmatim irruêre, homo, humanaque omnia, sibi ac naturæ suæ relicti, non interire non possunt.

Virg 2. AE. *Ex illo fluere. ac retro sublapsa referri*
Spes hominum, fractæ vires, auersa Dei mens.

Rom. 5. *Per peccatum mors.*

In Adam omnes moriuntur, in quo omnes peccauerunt.

* iij. *DIABOLVS*, vt mali consultor.

Sap. 2. *Inuidia Diaboli mors introiuit in orbem terrarũ.*

Tentauit, securos mortis fecit mendax;

Gen. 5. *Nequaquam* (aiebat) *morte moriemini :* aureos montes est pollicitus: *Eritis sicut Dij, scientes bonum & malum.*

Virg. 4. AEn. *His*, versute, *malis oneras stirpem, & genus omne futurum.*

Poetæ id odorati, quibus mors dicta noctis & Erebi filia.

Ephes. 6. Nox enim peccatum, & ἔρεβος j. caligo, princeps ipse tenebrarum.

* iiij. *DEVS, vt vindex culpæ tantæ.*

Soluit enim tunc ipse anchoras, funesque, ac remoras nunquam aliter cursuræ nauis, j. corporis nostri, discussit.

Retulit in sinum, omnipotentiæ suæ manum, quæ cursus mortalitatis nostræ sistebat. *Vide Mag. lib. 2. Senec. dist. 37.*

Iustitiam originalem subtraxit, basin immortalitatis.

D. Thom. 1. 2. q. 85. a. 5. Licẽtiam fecit creaturis, pro Deo, in hominem depugnandi.

Arcuit

Arcuit protoplastos ab arbore vitæ, instaurativo iuventutis.

Derelictus ergò naturæ suæ miser, in mortem ruit, obice quasi rupto. *Luc. 2.*

Tumque *exit Edictum* à *Cæsare Cœli Augusto, vt moreretur vniuersus orbis.*

Statutum est omnibus semel mori. *Heb. 9.*

Iudicium mortis a Domino omni carni. *Eccli. 11.*

II.

Mortis legem sanctißimam, & ad sanctitatem.

j. Est autem Statutum hoc, diploma, Lexque mortis, sancta valdè, & mirè Catholica, j. vniuersalis, Temporibus, Personis, Locisque omnib. valens. Lex mortis mirè sancta.

Sanctæ leges, quà à
1. *Firmitate,*
2. *Autore,*
3. *Effectu,*
4. *Facilitate,*

Sanctæ leges vnde.

j. *A FIRMITATE* : ea autem Legi fatoque mortis præcipua.

Statarum certè legum quædam
1. *Abrogantur,*
2. *Mutantur,*
3. *Redimuntur,*
4 *Dispensantur,*
5. *Excipiunt,*
6. *Obsolescunt.*
7. *Supplentur.*

Abrogata quàm multa veteris legis, & Imperatorum multorum!

Mutata est Circumcisio in Bapt. lex vetus in nouam:

Redemta immolatitia olim quædam.

Dispensata lex de Circumcisione ad tempus, & lex de Sabbatho. Priuilegia excipiunt Auratos Equites, Magistros nostros, &c. vetustate etiam pleræque leges obsolescunt, vtriusque iuris: Et supplet vnus

vnus alteri sæpè. Ouis olim Isaaci vice mortua: & nunc satisfactiones vicariæ multæ, & alia id genus, cæteris legibus permissa multa.

Hæc vero sanctissima lex, quæ ab origine mundi fixa, nunquamque refigenda, non mutatur, non redimitur, non dispensatur, non excipit, non obsolescit, qua non moritur Filio Pater, non Patri Filius, vt vnius vicaria morte, fiat alter immortalis, *Filius non portabit iniquitatem patris.*

Ezec. 18.

Virg. 6. AEne.

Nec *fratrum Pollux alterna morte redemit*, vt Poëtæ fabulantur.

Eccli. 44.

Sit Henoch translatus:

Elias raptus, igneo ac lucente auro curru: Esto, Mors illis differtur tantum, non aufertur morituris persequutione Antichristiana.

Ioan. 21.

Non dixit ei Iesus, Non moritur. sed, Sic eum volo manere, donec veniam.

Sit in Insulis illis Fortunatis, quas mare lambit Atlanticum. in vltimis Æthiopum terminis, à longitudine vitæ dicti Macrobii. Et his quoque quamlibet sero, mori restat.

Serius aut citius, mortem properamus ad vnam.

Dan. 6.

Statutum hoc, non *Persarum* modo *atque Medorum quod præuaricari non licet*, sed Dei, *hominibus semel mori.*

Heb. 9.

——— *rigidum ius est, & ineuitabile Mortis.*

Ouid. ad Liuiam.

Homo es? Ergo, lege Mortalis es.

Natus es? Ergo, Mori restat.

Oderis tu non æquam legem; sed peccatum ac malos generis tui mores, vnde natæ bonę leges: nō, canum instar, lapidem morde, sed iactorem.

Plato.

* ij. *AB AVTORE.* Legislatoris impii, leges impiæ, alterius alteræ.

* iij. *AB EFFECTV*, si ab illa Sancti plerique fiunt.

Sed hæc vni huic Mortis legi insunt. Huius n. autor Deus, vltor. Et illius metu adspectuq; sanctiores plerique fiunt.

Mire ad sanctitudinem hæc prouocant. *Hebe. 9.*

Semel Mori Mori restat. *Matth. 7.*

A fructibus eorum cognoscetis eos.

iiij. *A FACILITATE.*

Statuta quædam infinitæ sunt operæ: Effeceris enim hodie cras quoque fiet idem: At lex Mortis, vnius non repetitæ, facilisque operæ: Semel enim mortuo, non iterum mori restat: neque expirandi (vt diximus) multus labor.

ij. *DEINDE lex Mortis ad sanctitatem* ideo Adamo de hac minæ: Et ad sanctitatem nobis quod Mors vnica.

Certe nota magna dignum, adiectum ab Apostolo numerandi aduerbium (*Semel*) *Statutum*, ait, *semel mori*: Nam hac & iugulat Pythagoreorum Platonicorum, & Hæreticorum, quos dixi supra errores; & mire ad virtutem inflammat. Mors vnica vrget ad bonum.

Statutum semel mori, dumtaxat semel; ad vitam aut Mortem alteram secundam non datur recursus. *Hebr. 9.*

Christus peccato mortuus est semel.

Paucorum rediuiuorum, ac rursus mortuorum exempla non faciunt legem, vt neque ver hirundo vna.

Non est Euripi aut maris aut Solis instar reflua ac recurrens vita nostra.

Quod semel tantum fit, non habet regressum, vt rursus fiat. Itaque quod semel fit magnificè fiat oportet. Egregie .n. præstandū quicquid non iteratur.

Viden' vt sponsus ac sponsa virgines prodeant suo die magnificentissimè?

Regem illum, hanc Reginam dicas, qua à crinibus crispatis & effusis, qua à corona à torquibus, &c.

Semel dumtaxat in vita scilicet, hic honos nuptiarum cum virginitate.

Creatur quis Pontifex aut Imperator? magnificè fiat oportet, quia semel.

Semel in Theatro acturorum, quot præuii conatus ac præludia, vt vel semel illud bene?

Ergo semel victuro, etiam viuendum magnificè semel morituro, egregiè moriendum.

Naturę exemplo.

Naturæ hic ordo, quæ omne rarum edidit illustrissimum.

Vnum diei astrum dedit, sed Solem.

Vnum parit Leæna, sed Leonem.

Vna ergò tibi vita, morsque vna est? tu vtramq; illustrem præsta.

Deinde, quò redire iterum non datur, & vnde primum malè abisse, periculum ingens habet, tota vi adnitendum, vt fœlicissimè, plenissimè, ac maturè omnia fiant.

Quò redire datur, illic ferendus error: in reditu enim, si quid præstitum aliàs oscitanter, emendatur.

Parum grauiter, aut latinè hodie scripsisti? crastino retractabis. Clauem malè tornaueris, parum limaueris, reuocare ad incudem, & limam licebit.

Itaq; egregiè moriendum.

Vixeris verò & obieris malè, rursus viuere, aut mori non datur, vt aliquid vitæ addas, aut demas.

Eccles. 11.

Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocunq; loco ceciderit, ibi erit.

Ego moriendum puto, vt præliandum, fœlicissimè:

Pugna, aut morere infeliciter, ac semel duntaxat; etiam hoc plus satis. Inextricabilis error.

III.

Tria, quæ in Morte incerta, non modo ad pænitudinem, sed & ad eam properandam, hortari.

Neque te à voco à Malis nunc tantùm ad Bona, sed & Citò; & properabis, si hæc in Morte vides.

Mors quàm { 1. *Certa*, 2. *Incerta*, quà à { 1. *Tempore* 2. *Loco* 3. *Modo*.

De certitudine iam audisti: nam Statutum sanctumque. Incerta omnia, præter Mortē.

Pulcre Antistes Hipponens. *Nihil certius morte, nihil incertius hora mortis.* *D. Aug. lib. de contrit. cordis. c. 1.*

Natus es, certum est quia morieris: & in hoc ipso, quia Mors certa est, dies mortis incertus est. *Idem in Ps. 38.*

Futurorum omnium contingentium comes Forte, fortassis, &c. incerta cætera omnia, sola Mors certa.

Grauidam roganti, an sit, quod concepit, paritura, respondetur; Fortè. An Filium? Fortè. Ingeniosum? Fortè. vitalem? Fortè. Fœlicem? Fortè, atque ita de cæteris humanis rebus.

Regem verò hominum quemuis; Tu ne moriturus? is aiat. Certissimè.

Statutum (aiet) *hominibus semel mori.* *Heb 9.*

In certitudine tamen tanta, incertitudines tres: Temporis. Loci, Modi. Quæ ipsa habet incertitudines etiam suas.

Quis non, rogatus moriendi Tempus, Locum, pisce fiet taciturnior?

Magni tamen res momenti triplex ea incertitudo, ad celerandum Virtutis iter, *Max. ser. 5.*

*. j. *DE TEMPORE* quidem Musonius vidit, qui interrogatus, ecquis optimè extremum diem claudere posset? respondit: *Qui semper postremum vitæ diem sibi instare proposuerit*; quod & Poetarum quispiam ita suadet:

Omnem crede diem tibi diluxisse supremum. *Horat. in ep.*

Mors, Mors (vt Secūdus Phisolophus sciscitanti Adriano Imp. quid mors esset, respondit:) *Latro hominis*, ea enim latenter insidiatur: &, si quas insidias la- *Diog. Laert.*

as latrones, prædones, ac fures struunt; *si ut iugulent homines, surgunt de nocte latrones:* & Mors multo magis

Senec. ep. 1. li. 17. *Nemo scit nostrum, quam prope versetur terminus.*

Vti nascendi diem nescit infantulus, ità neque natus, moriendi.

Vt interitus magni mundi tempora nemo scit nisi Pater, & filius hominis, ita nec microcosmi, hoc est hominis, vel potius magni mundi viuentis.

Matt. 24. *Sicut fuit in diebus Noe, ita erit & aduentus Filij hominis.*

Ibid. *De die illa nemo scit* Quid, & si de Iudicio vniuersi præcipue: tamen (Aug. teste) etiam de singulorum incerta morte est dictum: Qualis enim quisque moritur, talis iudicatur, & vni cuiuis mortuo totus Mundus interiit.

Chrys. tom. 4. hom in c. 5. 1. Thess. Hinc benè os illud aureum: *Non solum communis ille,* (dies Domini sc.) *sed & vniuscuiusque proprius ita veniet. Iste quippe illum imitatur. Est enim & iste cognatus illi. Quod enim ille simul & summatim, hoc iste per partes facit.*

Eccli. 9. *Nescit homo finem suum*, tolle Heroes paucos, Petrum, Paulum, &c. & Heroidum primatem virginem Mariam, &c.

Furtim, & improuiso, parietes corporis nostri Mors perrumpit.

Matt. 24. Præsagiant aliqui licet obitus diem: *De die tamen illa nemo scit.*

Paulus ipse, raptus ad tertium vsque cœlum, mirabilium ineffabiliumque spectator, dixit quidem,

Hebr. 9. *Statutum est semel mori:* at siluit tamen Quando, vbi & quo modo, vt nescius. *De die illa nemo scit.*

O calcar vrgentissimum, ad rumpendas pœnitendi moras!

Cæteris quidem animantibus præfixus ferè certus vitæ terminus, nobis nullus.

Phæ-

Phœnici anni quingenti, Elephantis, ceruis; Leonibus; æuitas sua decreta; nobis, nulla.

Alium in medio cursu vita deserit: alium in ipso aditu relinquit. alium in extrema senectute fatigatum iam & exire cupientem vix emittit. Senec. li. de breui. vitæ.

Nescio quamdiu subsistam, & si post modicum tollat me factor meus. Iob 32.

Iuuenibus mors in tergo, senibus præ oculis: illis insidiatur, his occursat. *Senibus in ianuis, adolescentibus in insidiis.* Bernard. in quibusdam dictis.

An non qui à tergo hostis periculosior?

Minus. n. illa, iacula feriunt quæ præuidentur. D Greg. hom. 35. in Euan.

Iuuenib. Mors eminus; Senib. cominus stare videtur; illis falsò, his verè. Vtrisque enim æquè instat aut adstat, prospectiua dumtaxat quædã, aut perspicilla iuuenes fallunt, quæ proxima, quasi procul distantia, & parua, quasi maxima repræsentant. Quod iuuenes maximè fallit.

Iuuenibus mors fugitans similis videtur; Senibus irruenti, & iam crensanti.

Nihil habet quod speret, quem Senectus ducit ad mortem. Sene. ep. 26.

Parthicè profectò in Iuuentutem, Mors pugnat. Nam vt Parthi dum fugere creduntur, tum maximè feriunt, ita & mors.

Ciuilior tamen illa humaniorque in Senes, quam in Iuuenes, quà à
- *1. Præmonitionibus,*
- *2. Pugnæ campo,*
- *3. Violentia,*
- *4. Celeritate pugnæ.*

Mors vt in Senes humanior, quàm in iuuenes.

* j. *QVA à præmonitionibus.* Feritura. n. senes p̄mittit suos velut Feciales legatos, res suas repetitũ: iustisque signis, bellum nunciat. Chartulum (vt aiunt) Manipulumque præmittit.

Feciales mortis quis nesciat, tusses, obliuia, capitis tremores, oculorum caligines, &, quam vexillum mortis Medici vocant, Canitiem? quæ omnia Sarcophagi clauos, vulgus vocat.

Ciuili igitur humanaq; Marte in Senes mors pugnat, quos præmonet.

Iuuenes contra alta pacem mentiens plerumque adoritur: quos si quando monet, non certe per Fecialem, aut Patratum aliquem Patrem.

Sanissimo cuique iuuenum sæpe Mors in medio sinu.

Itaque, senes nullos aut raros imparatos præoccupat, adolescentes verò quamplurimos.

Qui pauet, cauet.

* ij. *A PVGNAE CAMPO*, qui senibus æquis, iuuenibus iniquior.

Ex planitie, & cominus Senes; Ex alto verò & eminus Iuuenes ferit: hos sagittis, illos gladio. Senes enim vt plurimum creduntur citò morituri, Iuuenes diu victuri: quæ spes vtrorumque dum est fallax, Senibus grata. Iuuenibus est molesta.

Senes mori, expectatum: Iuuenes, inopinatum.

Vt tenebras Noctis quotidie recursantes miratur nemo, quiuis expectat: Solis tantum miramur Eclipses, quales in Christi Morte: Ita Senes, se mori non mirantur, quod expectant: Iuuenes verò mori se obstupescunt.

Amos 8. *In die illa, occidere Solem in meridie, & tenebrescere terram in die luminis*, id est, ætate florida mori se, adtoniti demirantur.

* iij. *A VIOLENTIA*, quæ in Iuuenes acrior. Illorum enim morbi frequentiores, quà ab intemperantiis: grauiores, quà ab humorum redundantia; tristiores, quà ab ætate, ad lætitiam nata Certè mori ipsum, Iuuenibus vndequaque durius, maximè, quà Mors eorum, quædam quasi auulsio est fructus immaturi, Mors verò senum, ematuri casus merè spontaneus, & quædam lenta defessi obdormitio.

Cic. in Cat. Maiore.

Mors, vti Adolescentib. durior.

Audi senem ita se sapienter consolantem.

Adolescentes (ait) *sic mihi mori videntur, vt quum, aqua multitudine, flamma vis opprimitur:*

senes

senes autem, sicut quum, sua sponte, nulla adhibita vi, consumptus ignis extinguitur: & quasi poma ex arboribus, cruda si sunt, auelluntur, si matura, & cocta decidunt: Sic vitam Adolescentibus vis aufert, senibus maturitas.

Antiqua momento cadunt exiguo corpora. At cõtra, *Lucis ipso in limine.* Sophocles. Prudentius

Ceu turbo nascentes rosas, Mors adolescentes auellit.

Abortus (opinor) grauiores matribus, quàm iusti partus: ita Mors Adolescentiæ, quam Senectæ acerbior.

Omnis conglutinatio recens ægre: inueterata, facile diuellitur. Cic. de Senect.

Lampadem, aut facem, fomento destitutam vt extinguas, quà vel leui aura est opus? ipsa se extinguit, atque in fumum abit.

Quanto acerbius occidi, quàm mori, tanto est acerbius, iuuenem, quàm senem mori.

Sensus moriendi, si aliquis esse potest, is ad exiguum tempus, præsertim seni. Cic. ibid.

Quicquid enim contra naturam fit, molestum: quod autem pro rei natura, iucundum: Similiter & Mors, quã morbi & vulnera intulerũt, violenta est atque molesta: quæ vero senio paulatim ad fidem deducente, naturaliter surrepit, inter omnia Mortis genera, leuissima est, & cũ voluptate potius, quam dolore contingit. Plato in Timæo.

* iiij. *CELERITATE PVGNAE.* Iuuentus, sui incuriosa, fertur in casus omnes Luxuriæ, Gulæ, & quò non? atque ita, dum se amat nimis, se necat ipsa citò, & perdit. Senecta contrà, vel serò sapiens, seruandæ sui studiosior, se diu seruat, & Intemperantiæ iam victrix, pœnè etiam sit victrix Mortis, dubiòque diu Marte, cum Morte decertat. Et vicinior, à sui incuria. Cùm Senes contra, valetudinis suæ curiosissimi.

AEtas illa, multò plures, quàm senectus,
Mortis casus habet: faciliùs in morbos incidunt Cic. in Catone Maiore.

adolescentes grauiùs ægrotant. tristiùs curantur: itaque perpauci veniunt ad senectutem.

Venatione feria, Lupos plures cœdi videas, quàm lepores, etsi viribus illi superiores: &, ex probe loricatis, & cataphractis, sæpè leuis pugna plures sternit, quàm ex leuis armaturæ militibus. Quid ni? Illos enim cõfidentia sui perdit; hos astus, & sui conscientia seruat.

Tergora plura vitulorum venum in foro dari, quèm boum, non temerè in ore est omni populo.

Sed, & tabulas plures nauium fortium, inter scopulos fluctuantes videas, quàm carie, & rimis fatiscentium. Eccur? cautiùs enim illæ metu ipso, diriguntur, illę, nouitatis suæ fiducia, scopulis adludentes, conquassantur.

Vox pop. *Qui pauet, cauet*, etiam hic quadrat.

Rugosi, rimosi, ruinosi, cariosi, ac contignationibus omnibus fatiscentes senes, dum se, vt veteres naues aut domos, cautè sustentant, durant, & contra vim mortis obdurescunt.

Vitro quidem iam illi fragiliores: sed tamen, vti vitrum (vt vt fragile sit) sæpè, quia studiosè adseruatur, ipsis Agathoclæis, j. figulinis vasculis, imo & saxeis, est diuturnius: ita senes, sui curiosi custodes, incuriosis Adolescentibus longæuiores.

Rapiuntur Iuuenes, senes exportantur.

Abrumpitur vita Iuuenum, & *velut à texente tela*, à Parca *succeiditur*: senum, dissuitur.

Corripiuntur Iuuenes: carpuntur senes, ac delibantur.

Cæterum, Iuueni mors præsto, & Seni: & vtrique æqua illius incertitas.

Odorati hoc Poetæ nostri, qui Parcarum vltimã, vitæ nostræ fila secantem, Atropon dixere, j. infle-

xam quod ſine lege, ac pro libito, tam hos, quàm illos feriat, antiphraſticę Parca, quæ nulli neque honori, neque ætati parcat.

Et hoc videre, qui mortis Idolum exoculatum pinxere, quod canos non attendat, aut flauos.

Et, qui eidem falcem in manum dedere, quod, vt falce meſſor, tam gramen adhuc in herba, quàm præmaturum, vna ſecat; ita illa iuuenes æquè ac ſenes.

Locus, Modusq; Mortis cuiuſq;, incertiſſimi,

* 2, 3. *LOCI, MODIQVE* quanta etiam incertitudo! Quis enim ſcit, domine, an peregre moriturus? ſiccane, an cruda morte? an gladio, an laqueo, an naufragio, an omnibus illis ſimul, vt fabuloſus quondam ille Hermaphroditus, cuius

Ex Polluce de Hermaphrodito.

Pes haſit ramis caput incidit amne: tulitq;
Fœmina, vir, neutrum, flumina, tela, crucem.

Imò verò certiſſimi, & qui.

Sed quid dico incertum Mortis Tempus, Locum ac Modum? Imo verò illa ipſa certiſſima. Nam quolibet, & Tempore, & Loco, & Modo, quomlibet ferire mors ſuo iure poteſt, ac ſæpè etiam ferit.

Mors inſtat, quouis { *1. Tempore,* / *2. Loco,* / *3. Modo.* }

Morimur enim ſemper.

* 1. *TEMPORE.* Ne me etenim roga, quando moriar? potius tu vrge, ecquando moriendi mihi finis? Nō enim tam verum, morituros nos aliquando, quàm quotidie mori.

2. Reg. 14.

Omnes morimur (ait Thecuitis, Oratrix illa prudens, ad Regem, pro filio Regis) *&, quaſi aquæ, dilabimur in terram, quæ non reuertuntur*: fluit, abitq; vita, more fluentis aquæ.

Dom. Andre. Boſquierius. Monac. Bened. prope Mōtes Hanoniæ.

Morimur (ait) non verò moriemur, vt te, vel naſcendo etiā putes mori. *Naſcentes morimur*, vſurpabat olim in tabella, piæ memoriæ patruus quondam meus Dom. Andreas Boſquierius, quod perpetuus quidam, ac celer, ad mortem curſus, hæc vita, inde ab ortu iam ſuo.

Senec ep. 24. *Quotidie morimur: quotidie enim demitur aliqua pars vitæ, & tunc quoque cum crescimus, vita decrescit. Infantiam amisimus deinde pueritiam, deinde adolescētiam; vsque ad hesternum, quidquid transiit temporis, periit. Hunc ipsum, quem agimus diem, eum Morte diuidimus*

Mors non vna venit, sed quæ rapit, vltima Mors est.

Idem ep. 1. lib. 22. *Clepsydram non extremum stillicidium exhaurit, sed quicquid ante defluxit:* & Mortem non vltimus dies facit, sed solus consummat.

Et cadus viuarius non demum fluere cœpit, cum exfluxit; sed cum pitatim epotaretur.

Idem ibidē. Et, *non ille gradus lassitudinem facit, in quo desicimus, sed ille profitetur.*

D. Greg. hō. 37. in Euāg. *Quotidianus n. defectus corruptionis, quid est aliud, quam quædam prolixitas Mortis?*

D. Aug. lib. 13. de Trin. Bene Antistes Hipponensis: *Ex quo vita in illo corpore morituro esse cæpit, nunquam eo agitur, vt Mors non veniat. Hoc enim agit eius mutabilitas, totó tempore vitæ huius. (si tamen vita dicenda est) vt veniat in Mortem.*

Cic. 1. de Finib. Cuilibet *Mors sua, quasi saxum suum Tantalo, semper impendet.*

Idem 1. Tuscul. *Propter incertos casus, quotidie imminet: & propter breuitatem vitæ, nunquam longe potest abesse.*

Eccli. 14. *Memor esto, quoniam Mors non tardat.*

Aut stagnant sponte, aut vi sistuntur flumina;

Interdum stabulantur, & stant nauigia; Et veredariorum quædam quies: Mortis verò nulla vnquam, neque stagnatio, neque statio, non spontanea, non violenta.

Exod. Iosue 10. Mare, ac Solem stare, aliquis, aut Iosue, aut Moyses iubere possit; nemo mortem.

Arionem Delphinus: Amphionem, flumina: Or-

Orpheum Furiæ, dum Cytharis canerent, audiere, atque immotæ tantisper constitere: Mors non stet vel momento, non etiam ad Sirenum ipsarum, cœlorumque concentus.

Actiones nostræ omnes interquiescunt: sedemus enim quidem, stamus, currimus, dormimus, vigilamus, edimus, bibimus; attamen non semper. Alterius enim vtimur, & libēter, & necessario. Moriendi autem actio sola perseuerans, Induciæ nullæ, nec nocturnæ quidem.

DD. Basilius & Gregorius acuti, more suo, qui nos adsimilent nauigantibus. Nam vt ii, seu stent, seu sedeant, seu iaceant, seu dormiant, semper portui fiunt propiores: sic, quamdiu vitam agimus, seu edimus, seu bibimus, aut morti propius imminemus, aut ipsa mors nobis, *Velut quodam motu continuo & irrequieto, ad proprium quilibet terminũ, latenti vitæ cursu properamus.*

Neq; ineptus Barlaam, qui (apud Damascenum) fingit arbusculam, à muribus duobus albo nigroque radicitus abrodi, j. à nocte dieque, vitam istam breuiari.

Horologium etiam dicas vitam hanc nostram, non quale illud Regis Achaz, decem, in gratiam Ezechiæ, gradibus retrocedens; sed qualis clepsydra, aut arenaria defluens indefessè, tantisper dum tota effluat.

Animi nostri, sicut aranea (& arena) *meditabuntur.*

Sensim sine sensu, ætas senescit:

Obrepit non intellecta senectus.

Non optimè is, qui primus mortales nos dixit; meliuè (sensu meo) si morientes semiuiuos, aut semimortuos nuncupasset.

Hoc adspectauit forte an, qui de viatore, ab Hierosolymis in Hierico *semiuiuo illo relicto, abisse prædones dixit.*

D. Basil. in Psal. 1.
D. Greo. l. 6. ep. 26.
Et Agapetus Diaconus in expo∫it. capitulorum admonitoriorum.
D. Basil. ibidem.
Damascen. in vita Barlaam.
4 Reg 20.
Psal 89.
Cic de Senect. Iuuen. sat 9.
Luc. 10.
Ideo: melius nuncupandi morientes, quam mortales.

Quantum enim transit de vita, tantum moritur de homine.

Eccles. *Media vita in morte sumus*; atque vtlibet sani, ad Zonam, ac renes vsque (vt aiunt) mortui. Magna pars nostri, dum nati sumus, præteriit.

Senec. in consol. ad Marcium, c. 20. Audi Tyranni magistrum: *Quo facilius obrepat, Mors sub ipso vitæ nomine latet. Infantem in se pueritia conuertit. Pueritiam pubertas: Iuuentutem senectus abstulit Incrementa ipsa, si bene computes damna sunt*: id est (vt ego sentio) Mors infantiæ, est pueritia, Mors pueritiæ, adolescentia, Mors adolescentiæ, iuuentus: Mors iuuentutis, virilitas; Mors virilitatis, senectus; Mors senectutis, decrepitas, cuius mors ac meta est, mors vltima.

Hic illud: *Generatio vnius corruptio alterius verissimum.*

Vt baccam flos, & florem fructus; ita, ætatem priorem posterior ætas absorbet.

Abiit prior ætas; & breuis illa est, quà fruimur; posterior autem, incertissima.

Timenda igitur mors Personis. Locis, Modis omnibus. Non infacetè igitur Catholicam dicere possis Mortem, id est perpetuam, communem, publicam, ac semper metuendam: vt quæ & semper in sinu, & communis sit omnibus, Personis, Locis, Modis, Temporibus, Ætatibus,

Personis. * 1. PERSONIS. Nam, *Illa rapit Iuuenes, sustulit illa senes*. hos in vtero, istos ab vtero; serius illos, hoc citius: hoc noctu, illos interdiu; quosdam Æstate, quosdam Vere: semper sibi tempestiua.

Cic. de Senect. Negat nemo, *Mortem omni Aetati esse communem.*

Ibidem. Et nemo *tam stultus, quamuis sit Adolescens, cui sit exploratum se ad vesperum esse victurum.*

Ibidem. *Quin etiam ætas illa multò plures, quàm senum, Mortis casus habet: faciliùs in morbos incidunt adolescentes, grauius ægrotant, tristiùs curantur, itaque perpauci veniunt ad senectutem*, (vt nunc aiebam)

3. *LOCIS*: Nam morti quiuis indifferens. Tam domi.n.& fori.quam militiæ, patemus morti. Locis.

Quæ latebra est, in quam non intret Mors? Senec.

Quocunque ingrederis, sequitur Mors, corpus vt vmbra. Aut incert.

Non vbique Mors se propè ostendit: vbique tamen prope est. Senec ad Lucill.

Odiosissima licet, apud omnes tamen, atque adeò intra omnes, ac semper stabulatur, hospes & inuerecunda, & importuna.

Hæret pede pes. Imò, ea vel in maximè sani situ. Virg. Aen.

Occidit ille *inter templum & altare* (vt Zacharias; vt Ioab; vt Priamus, &c.) alius in foro, in senatu, in mari, &c. Matt. 23. 3. Reg. 2. Aeneid.

Onan, in lectulo iuxta vxorem, Dei manu percussus, obcubuit: aliquis in amicæ sinu. Gen. 38.

Eupolis Poeta, Niciæ Atheniens. filius, primo nuptiarum die, lecto ruente, cum vxore est interfectus. Ouid. in Ibin.

Quid videntur sedente securius? de sella, in qua sedebat, cecidit Heli sacerdos, & mortuus est. D. Aug. lib. 22. ciu. c. 22.

Filii Iob, & Simonidis conuiuæ, inter pocula, & in mensa, tecto ruente oppressi.

Notanda M. Catonis Censorii vox: *Inter os, atque offam, multa interuenire posse.* Gell. l. 13. noct. c.

Et ista Græcorum: *Multa cadunt inter calicem, supremaq; labra.* ibidem.

Terra, solidissimum licet elementum, attamen & ipsa, aut tremens, aut hians, sæpe *deuorat habitatores suos.* Num. 13.

Chore, Dathan, Abiron cum sociis, testes tibi, quos viuos, sanosque, *Pater Omnipotens adegit non fulmine, sed tellure ima dehiscente, ad vmbras, noctemq; profundam,* Nu. 16. & 26. & Iud. ep.

Pallentes vmbras Erebi. Virg. 4. Aen.

* 3. *MODIS ETIAM.* Tam enim punctũm, quàm cæsim necat.

Stat. 9. Theb. *Mille modis leti, miseros Mors vna fatigat.*

Hosti huic vni generis nostri, mille nocendi artes, tonitrua, fulmina, ignes & Phrygii, & Græci, malogranata ignifera, gladii sagittæ, &c.

Pictores Mortis notati. Correcti. Priscos illos Mortis pictores parcius laudo, qui colorum aut laborum parci, *Hanc modo falcatam fingunt, modo arundine, & arcu. Terribilem* pharetram, omni telorũ genere refertam, aut armamentarium, in quo ignes, aquæ, vngues, gladii, fundæ, & id genus cætera, Morti adpingi oportebat.

Mantuam. *Obcurrunt animo pereundi mille figuræ.*

Ovi. ep. 7. Senec. li. 4. contro. *Multas enim rerum natura vias mortis aperuit, & multis itineribus fata decurrunt. Et hæc est conditio miserrima humani generis, quod nascimur eodem modo, multis morimur.*

De Thebis Iuuen. sat. 15. Via vnica ingressus ad vitam: egressus mille.

Max. Tyr. ser. 36. Thebis centum portæ: (vnde & Hecatompylos vrbs illa est dicta) Morti, ad nos, infinitæ.

Epicuri apothegma laudatum. Epicurus itaque non male, qui *aduersus Mortem, ciuitatem nos habere dixit immunitam, nec muratam.*

Vnum quidem lego, vndequaque (demta pedis planta) inuulnerabilem, sed vnicum, sed Achillem.

Non rogandum, quà Mors irrumpit? sed hoc potius, quà non possit?

Quot sensus, imò quot corpori sunt pori, tot Morti sunt fenestræ.

Hiere. 9. *Ascendit Mors per fenestras vestras.*

Mors à mille causis.

Mortis causæ { 1. *Extrinsecæ,* 2. *Intrinsecæ.* } mille.

Extrinsecis. * j. *EXTRINSECAE*: Mare, Venti, Aer, Ignis, Ferrum, Dentes; Vngues necant, & quid non?

An sudauit, aut alsit quisquam sine periculo?

Nauigas? vno à Morte distas pede. Equitas? si lapsat equus, occidis. Ambulas? tegula quæuis comminuat caput: Cultrum, aut gladium tenes, aut gladium tenes, aut tu, aut qui adstat? lætalis læsio non procul. Domi sedes? & domus multæ, multos hospites suos, lapsu suo, oppressere. In horto? etiam *latet anguis in herba.*

------ Vbique pauor, & plurima Mortis imago. Virg. 2. Aeneid.

Adeò *nihil tam exiguum, quod non in perniciem generis humani satis valeat.* Senec. l. 6. nat. quæst.

Cleopatram morsus serpentis;

Tarquinium Priscum, spina faucibus adfixa;

Luciam, Marci Aurelii filiam, acus punctura:

Absalonem, intortus quercui crinis? 1. Reg.

Æschilum Poetam, testudo in caput, ex alto iactat ab Aquila, eius caluitium lapidem æstimante;

Anacreontem Poetam, & (si fides Luciano) Sophoclem etiam ipsum, acinum vuæ enecauit.

Fabius Senator Prætor, in lactis haustu, vno pilo strangulatus. Plin. l. 7. c. 7

Quid? quod & solus Basilisci, imò & fascinatorum hominum adspectus, etiam homines necat? D. Amb. Gell. lib. noct.

Adeò, Mortem hàc qui fugit, alia sequitur: & quæ Mortem arcere credas: illam admittunt.

Antidotum quispiam ratus, aut amuletum, toxicum sæpe est expertus.

*2. *INTRINSECAE* etiam Mortis causæ Dii boni, quàm multæ! Intrinsecis.

Nonne enim casus nostros nobiscum in hac carne portamus? nonne fragiliores sumus, quàm, si vitrei essemus? vitrum enim, etsi fragile est, tamen seruatum diu durat. D. Aug. in serm.

Inuer-

Inuersa hæc arbor (homo inquam miser) tineas suas intus habet, cuius corpus, morborum asylum est, atque ara, aut miseriarum publicum zenodochium.

Morborum enim numerus propè infinitus.

Plinii æuo, numerati iam morbi trecenti, & plures, quorum singulorum species multæ: neque tamen tunc dum noti omnes. Inuenti enim posteà noui multi, atque in dies, quasi commercium, illinc huc, atque hinc illuc, recentes importantur.

Et illa ipsa quibus stamus, euertunt,

Gallici contagii (si Medico temporis nostri magno fides) species sexcentis plures.

Eccli. 30.
Prou 17.
Corn. Mussus ser. de cinerib.

Mirabile dictu. Nostræ vitæ bases firmissimæ, Lætitia scil. Risus, ac Somnus, ipsam etiam nonnullis vitam demoliuntur, euertunt, eruunt.

Quod *multos occidit tristitia,*

Quòd *spiritus tristis exsiccat ossa*; non iam miror; at quod gaudia ac risus etiam necent, obstupesco.

Vt Gaudiũ.
A Gell. 3. noct. c. 15.

Dionysium certe immoderato gaudio mortem obisse, mihi lectum.

Et Risus.
Valer. Max. l. 9. ca. 12.
Gell l. 3. noct. c. 15.
Plin. li. 1.
Valer. Max. l. 9. c. 12.
Et Liuius.

Et Poetarum quempiam, intuentem asinum deuorantẽ ficus venales in foro, risu interisse: Et Philippidem quendam Comediarum scriptorem, in certamine Poetarum, inopinato victorem, repentè extinctum:

Et mulieres duas, visis filiis sospitibus ab internecione, quam apud Perusiũ fecerat Annibal, gaudii immensitate, obiisse: Et Romanam quampiam, viso filio, à clade Cannarum, aut (secundum Valerium) à clade, quæ ad Thrasimenum, reduce, quem mortuum falsò antè audierat, gaudia sua non capientem, expirasse.

Gell. ibi.
Cic. 1. Tusc. duos tantum filios ponit.

Chilonem Lacedæmonium, in complexu filij Olympiæ coronati, animam exflasse:

Diagoram Rhodium, visis, eodem die, tribus athletis filiis coronatis, adspergente eum floribus, per plausum, populo, in ipso stadio inter manus filiorum, expirasse.

Quid?

Quid? *Nonne multi sani dormierunt, & obdormierunt?* — Et Somnus.

Dii, vestram fidem! Ecquà non timendum, si etiam hinc casus? — *D. Aug. in ser.*

Verè *homo bulla*: verè (Philosophi cuiuspiam senso) vt lucerna ventis exposita, quam aura leuis extinguit.

Verè idem Thecuitidi scintilla: verè flos manè nascens, vesperè moriens: verè Ephemeron animal apud Hippanim fluuium, eodem moriens, quo oritur die. — *2. Reg. 14. Arist. ot. li. 5. anim.*

Illa igitur, te non modo ad bonum vocans, sed etiam citò. — Quorum adspectu vocamur ad Bonum ac cito quidem.

Illa tibi, in mentis durę æra incidunt aureas istas voces: *scilicet vltima semper.*

Expectanda dies homini.

Et: *Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.* — *Ouid. Metam.*

Quis scit an adiiciant hodiernæ crastina vitæ. Tempora Dij Superi? — *Horat. in ep.*

Ita igitur viue, vt mox moriturus.

Nescit Mercator, aut Nauarchus, quando ventus secundus adspiraturus, aut quando refluum mare? semper in procinctu sit; merces ac naues paret, ne aut manere oporteat, cùm è portu soluendum: aut temerè egresso redire libeat, cùm per ventos, vndasque vrgentes, non liceat.

Nescit Miles, aut quando, aut quà irrupturus hostis? arma paret, vbique, ac semper excubet, & procinctus. — A Similibus.

Nescit viator, neque quid horæ, neque quid restet viæ: neque quando portæ vrbis claudendæ? currat.

Timet quispiam, præteriens strictum gelu flumen, ne quà non gestet? vbique gradu dubio, ante pertentet, quàm figat pedem.

Nescit virgo sponsi aduentum? ornata sit semper, — *Matt. 25.*

per,& parata: ardeat lampas,& oleum suum habeat lagunçula.

Ouid.ep. Heroid.

In fatis est,ab vno te hospite,aut genere, cæsum iri?omnes suspectos habe. Ita quinquaginta generos suos, Ægypti filios Danaus, nocte vna cædi iubet.

Ignorat etiam homo quiuis,Mortis tempus,Locum,modum?semper bene viuat,ac beatè.

Senec ep.16

Ita Tryanni magister, idemque Apostoli Pauli olim discipulus: *Incertum est, quo te loco Mors expectet. Itaq; tu illam omni loco expecta.*

Idem.

Nemo scit nostrum, quam prope versetur terminus Sic itaq; formemus animum, tanquam ad extremum ventum sit.

Idem li. de breuit vitæ

In procinctu stet animus: & id quod necesse est, nunquam timeat: quod incertum est, semper expectet.

D Aug. serm. 67. de temp.

Et Gentium Doctor: *Dum tempus habemus operemur bonum.*

Et Episcoporum doctissimus: *Quia quando, vel qua hora, de hoc sæculo rapiamur, scire non possumus, sine vlla dilatione, vel mora, de sinistra fugere festinemus, ad dexteram. Non sanitati, non ætati credendum est. Non in remedium salutis suæ semper tardandus est: qui vitæ suæ semper incertus est: quia qui nos securos fecit, dicendo: Peccator, in qua die conuertus fuerit, omnes iniquitates illius obliuioni traduntur: ipse nos etiam cautos esse voluit dicens: Nolite tardare conuerti ad Dominum, nec differatis de die in diem.*

Fortè mel. tardandum ei.
Ezech. 18.
Incert.
Ioan. 9.
Matt. 25.
Cypr ser. 4. de Mortalit. & de pœnit. dist. 1. c.

Et vox populi, quæ vox Dei: *Vixeris hic, & nunc; velut hic, & nunc moriturus.*

Nunquid Cain.
Heb. 9.

Operamini dum dies est, venit nox, quando nemo potest operari.

Vigilate quia nescitis diem neque horam.

Qualem te inuenit Dominus, cum vocat, talem pariter & iudicat.

CONCIO

CONCIO VII.

Them. *Statutum est hominibus semel mori, & post hoc Iudicium.*

FActa repetitione, ita propositum.

Dicendum hodie { *1. Cur nulli indicta Mortis hora.* *2. Cur nullus moriendi ordo certus.* AVE. } Propositio.

I.

Cur nulli indicta Mortis hora.

Quanquam Mydæ non est quidem, aut Bubulci, de Apollinis lyra, aut de Orlandi nostratis musica censere: Non cuiusuis de re qualibet iudicare.

Nec sutoris, de tabellis Apellis, vltra crepidam:

Neque ægri (nisi is animo etiã egerit) ex Hippocratẽ suo quærere; Eccur cauterio nũc vtatur, mox vnguento, &c.

Multoque minus hominum, in Dei causas, atque actiones curiosius anquirere: Nullius de rebus Dei.

E schola enim dæmonis profectum primum illud *cur præcepit vobis Deus ne comederetis ex omni ligno paradisi?* Gen.3.

Ab incredulis etiam istud: *quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Ioan.6.

Ab obloquitoribus: *Quare cum Publicanis & peccatoribus manducat Magister vester.* Mat.9. & Marc.2.

Et à Discipulis Ioannis; Christi æmulis: *Quare nos, & Pharisæi ieiunamus frequenter, discipuli autem tui non ieiunant?* Matt.9.

Ioan. 21. A curiosiore Petro: *Domine, hic autem quid?* de Ioanne. vnde, & de Iesu sic is increpitus: *Quid ad te? tu me sequere.*

Psal. Icaria enim planè ista temeritas, inuolare in cœlum volentium, & *ponentium in cœlum os suum, vt lingua eorum transeat in terra.*

Quam magnificata sunt opera tua Domine! nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ:

Ps. 108. *Vir insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget hæc.*

Oculi nostri, vt noctuæ, ad lucem solis huius. *Scrutator maiestatis opprimetur à gloria.*

Rom. 11. *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! quam incomprehensilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius!*

Isa. 55. *Sicut exaltantur cœli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ, à viis vestris, & cogitationes meæ, a cogitationibus vestris.*

Iob 9. *Quis dicere potest, cur ita facis?*

Sit satis: *Ipse dixit: Ipse fecit*: Ergò bene.

Pythagoras sapienter: *Quæ supra nos, nihil ad nos.*

Eccli 3. Et Sapiens Hebræus: *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris, in pluribus operibus Dei ne fueris curiosus... Plurima enim super sensum hominum ostensa sunt tibi.*

Nisi reuerenter admodum, ac studio veri. Reuerenter tamen, & studio veri ac Boni, licet nonnulla propiùs intueri, ac tentare.

Quæro igitur, aut potiùs respondeo quærenti: Cur adeo cuique incerta Mortis hora?

Mihi nunc huius causa triplex. { *1. Ditio Dei* / *2. Reipublicæ &* / *3. Morituri commodum.* }

Mortis hora incerta, tribus de causis. * 1. *DITIO DEI*, vt hac scias, ius vitæ necisque, non tam penes naturam esse quàm Deum.

Mors & vita à Domino Deo est.

Dominus mortificat, & viuificat, deducit ad Inferos & reducit. *Eccl. 11.* *1. Reg. 2.*

Ego occidam & ego viuere faciam. *Deut 32.*

Si certus cuique sit à Natura moriendi decretus dies, vt mari terminus suus, quem nec anteuerti, nec superari possit, Vita & Mors in manibus Naturæ tantum videri possit: at, dum incerta omnia, dumque aliquando committuntur quædam velut hyperbata, & histera protera, rerumque ordines turbantur fortibus, sanisq; ante exactam ætatem iustam correptis; contra Astrologiæ iudiciariæ nugas, contra medicorum artem, huic Nestoris annos, alteri contrà vitam dialem, vtrique tamen quandoque falsò; promittentium: tum mortis dictatura atque Imperium censetur penes Deum, qui Naturæ cursum nunc laxat, nunc frenat. 1. Dictaturæ Dei manifestatio.

Vti Naturæ opus est, frigus Hyemis; Veris temperies: feruor Æstatis: tepor Automni: inuersus autem qualitatum huiusmodi ordo, opus Dictatoris Dei, Naturam, cum libet, frænantis, aut laxantis: ita mori serius aut citius, pro corporum valetudine, Naturæ vim ostendit: at iuuenem fortem ac neruosum, mox mori: macilentum verò ægrum, vixque hærentem ossibus, in seniu multum, ac penè ad Phœnicis annos, seruari; Dei Dictaturam, atque in Mortem Vitamque summum imperium.

Vti nauis, fauente flumine, ventis ac velis, abit natura, & si sola ac sine remige; redit verò etiam his aduersis, vt videas Nautas, Remiges atque artem intus esse:

Vt horologium, æquis semper interuallis, natura sua insonat: Citius aũt, aut serius quandoq; vt discas ab artifice rotas, ac pendula pondera temperare; Ita nonnulli suos annos viuunt, & morbis vrgentibus cadunt, vt vim Naturæ videas: Alii inuito cœlo, ac aduersa valetudine senescũt, vt Deum mortis rectorem intelligas.

Arist. li. 5. Animal. Naturæ hominem illum credas? cornice erit viuacior. istum? ephemero, apud Hypanum fluuium nascente, erit mortalior, & illo pœnè, quo natus est, interibit, die.

Medici certè Naturam sequuti, ita censent. Inuertitur verò ordo? tum causa quędam Naturę domina intelligitur.

Equus, si sibi creditur, lentus abit, adeo, vt dicas, ab equo hominem regi; non contrà; At si eques calcari vrgeat, ac properet, iam tu ais, Equitem equo præsidere, nō contra. Itaque. Incertitudo mortis ista, Dei Dictaturam manifestat.

2. Reipub. commodū. * 2: *REIPVB. COMMODVM*, è cuius vsu est, Sapientes ignaris præesse. Reges enim, Coss. ac Consultores, iam à peccato Adæ, esse oportet, ac Regibus Proreges, & Consulibus Proconsules.

Sed Regibus, Reipublicæque consulendo, sæpè magna nostri ipsorum incuria.

Scriptum ideò olim à nobis: *In curia incuria*, sed nostri: Et, *in Curiis cura*, sed Regnorum non nostri ipsorum, quod. charitatis ordine est primum.

Paucis datum, curare æquè se, & suos. Spes tamen in Curiam vocatis, aut semper vtrosque æquè curandi; aut (saltem ætatis decliuio) Curiam egregiè diuque curatam non curandi amplius, Animam verò tamdiu incuratam curandi seriò.

Quæ alioqui negligeretur. Proiicit spes ista multos, in curarum Incuriæque fontem Curiam; quanquam illa sæpè fallax. Si verò, cuilibet stata esset, ac dicta vitæ suę meta, nemo bonus, ad Rempub. adcessurus.

Terent. in Andr. Dum soli sibi quisque bonus studeret. Seriò enim, tùm potiùs curaturus quisque rem suam, ordine charitatis, cuius exordia à nobis ad exteros.

Vero enim verius, *omnes sibi melius esse malle, quam alteri.*

Omnis

Omnis tum Respublica desereretur. Cum hac enim incertitudine, quam multi! imperia! quàm multi mitras, hi simplices, isti triplices (ne aliena scilicet curasse, sua neglexisse, in morte inuenirentur) aut omninò non adcepere, aut adcepta hi serius, illi citiùs deposuere!

Quid futurum, si aliqua diei illius certitudo?

Hoc adspectu, reuelata sanctorum vni, vitæ meta, etiam adiectum: *Age quod agis, operare quod operaris.* — *D. Gregor. lib. dial. & in hom.*

Ergo, ne deessent Reipub. sui Patres, dum se primum quisque curat hæc incertitudo Mortis æquissima.

*3. ET MORITVRI BONVM, quod maxime adspectat Deus. — 3. Et Morituri bonũ triplex.

Incertitudo enim Mortis, commoda mortalium.
- *1. Virtuti excitandæ.*
- *2. Mæstitiæ mitigandæ.*
- *3. Gloriæ.*

*1. *VIRTVTI MORTALIVM*, vt illam semper studiosius colant, vitiumque acrius tota vita auersentur: non tum demùm, cùm morituri. — 1. Virtutis studium acrius.

Audin' tu linguam vere aueam Bizantini Antistitis? *Nemo sanè, virtutis vnquam curam, quod ad omnem vitam adtinet, habuisset, sed, cognito quisq; consummationis suæ die, postquam innumera mala perpetrasset: tum demum Baptismi lauacrum accepisset, atque ita hinc migrasset. Si enim nunc, timore Incertitudinis cunctorum animos turbante, omnes vniuersam ante actam vitam in malitia consumentes, ad extrema demum suspiria, Baptismati se tradunt, si etiam essent admodum de isto persuasi, quisnam vllam virtutis curam haberet?* — *D. Chrysost. hom. 9. in c. 5. 2. ad Thess. tom. 4.*

Multis Mortis metus, & vitæ amor nunc cohibet si verò cognouisset quisquam omnino, se crasti- — *Ibidem paulò post.*

no die moriturum, nihil vtique audere ante diem illum veritus fuisset, sed, quos voluisset, occidisset, & inimicos vlciscens seipsum recreasset, milleque mala designasset: Homo namq; scelestus, hac vita desperata, ne eius quidem rationem habet, qui purpura decoratus est. Si ergo certus esset, omnino moriendum esse: & inimicum suum vlcisceretur, refocillatoq; primùm animo suo, ita Mortem obiret.

A diei illius certitudine, quanta ad inhumanitatem, & scelus omne, pateret fenestra, ne incertitudine quidem tanta deterritis!

Greg. li.12. Moral. Hinc vox illa vis Romani Antistitis: *Ad hoc Conditor noster latere nos voluit finem nostrum, diemque nostræ Mortis esse incognitum, vt dum semper ignoratur, semper proximus esse credatur: & tanto quisque sit feruentior in operatione, quantò & incertus est, de vocatione.*

Idem in homil. Idem in Ezech. Et istæ eiusdem: *Horam vltimam idcirco Dominus noster voluit esse incognitam, vt semper possit esse suspecta: vt dum illam præuidere non possumus, ad illam sine intermissione properemus. mel præparemur.*

Latet vltimus dies, vt expectentur omnes.

Hilarius in 20ic: Matth. can.26. Et ista Pictauorũ Præsulis: *Vt ignorantiã illã diei omnib. taciti, nõ sine vtilis silentÿ ratione esse sciremus, vigilare nos Dominus propter aduentũ furis, admonuit, & orationũ adsiduitate detentos, omnibus præceptorum suorum operibus inhærere.*

Senec. ep.12 Et Neronis Magistri: *Nemo scit nostrum, quam prope versetur terminus? sic itaque formemus animum, tanquam ad extremum ventum sit.*

Idem ep. 7. *Incertum est quo te loco Mors occupet? itaque tu illam omni loco expecta.*

Ignotus est hostis aliquis iuratus? omnes ignotos habe, aut hostium, aut suspectorum loco. Tam Danai, quã Herodis, in simili, ars profectò magna, nisi tam impia: Vnum. n. cum quærerent, omnes occi-
Matt.2.

derunt,

derũt, ne quæsitus effugeret. Vnum ergò tu nescis diem? omnes time, ne te, qui nescitur, fallat.

Aliqua noctis vigilia, & aliquà irrupturus hostis? nocte tota excuba; Mænia tota, portasque omnes corona, crebro milite; vt te nulla hostis fallat.

Ianum te, circumquaque intuentem, aut Argum te præsta, centoculus prorsus esto.

Vigilate: nescitis enim, qua hora (nec qua) fur venturus sit. Matt. 24.

Musonius optimè, qui *rogatus, quis optimè. extremum diem claudere posset: respondit: cui is semper instare videbitur.* Max. ser. 36

Et is, qui dicit: *Sera nimis vita est crastina, viue hodie.* Martial. lib. 1.

* ij. *MOESTITIAE QVOQVE* mortalium ita cautum. Nam, si in ipso vitæ aditu, cuique sua scriberetur quædam quasi vitæ bulla; aut decreti cuique vitæ dies præconis voce, proclamarentur; huic diuiti ac beatulo, annorum 15. huic misello, & liberis supra votum adfluenti, desperanti de testamentis, lucris, fortunisque melioribus, vita annorum 70. aut 80. Deus bone! quanta inde crux vtrique, hinc diuiti mox tot opes relicturo! isthic pauperi, meliora non sperant; & tot sæcula victuro! Nam, quis nesciat, pauperum ac miserorum præcipuum solamen, à spe Mortis? Miseri sumus? inquiunt: sed non semper. Miseriis istis, si finem det nemo, certè Mors dabit. 2. Mœstitia tẽperatior.

Hinc secundus Philosophus, *Mortem, diuitum pauorem, pauperum desiderium,* scitissimè dixit. Diog. Laert.

Mortis diem si omnes scirent, fierent profectò sibi, suisque omnibus graues: Primæ consalutationes pauperis essent, de mora mortis anima: Diuitis contrà, de præcipitantia.

Diues diceret. *en morior, quid mihi proderunt primogenita? Hac nocte animã meã repetent à me, quæ antè paraui, cuius erunt.* Gen. 25. Luc. 12.

Iob 7. *Factus sum mihimetipsi grauis*, ac fortè etiam vobis.

Quàm tu(mi frater ac soror)me beatior,cui nuptiæ sperantur, liberi, opes, & cætera! Ibi tùm parentes sessuri inter lachrymas ac suspira, huius, vicina sua funera iam plangentis; alius, codolentis.

Ita nati patresque bis miseri, semel timendo,deinde ferendo: fatum illi suum; isti orbitatem.

Id disce,vel ex nocentibus captiuis ,quibus cum præco dixit, cras moriendum: nox tota molestissima, estque mortis expectatio, Morte ipsa amarior.

Chrys.hõ.9. in c.1. 1.Thess. Audi auream tubam: *Qui vitæ huius sunt cupidi, & vehementer ea, quæ huc pertinent, concupiscunt,per animi sane mœstitiam, & dolorem tabefacti essent, vt ignauissimæ illæ bestiæ, quando comprehensæ Mortem expectant.*

Sufficit diei malitia sua.

Matt.6. O Iudicem clementem, qui securi non percutit reum,nisi capite ante obuelato: & animosè loqui iubet cruciarium,ante deiectionem!

O medicum leuem, qui videri non vult venæ sectionem:vult ea nesciri, quæ ægros facerent ægriores!

3. Gloria solidior. Quis non optet,sine metu Mortis mori?

Chrys.hõ.9. in 5.c. 2.Thess. * iij. ET GLORIAE, quæ à Virtute, prouisum, *Ipsi strenui viri, nullam mercedem suæ virtutis habuissent. Dixisset enim ad eos quisquam, quia securi estis de tribus annis, propterea periculis vos ipsos eo confidentiùs traditis, scientes quod mori non possitis.*

Non magna gloria audacter ruentis in gladios, à quibus nihil periculi, vel quà ab septemplici, & impenetrabili Aiacis lorica; vel qua à mersione in flumen, quod mersos inuulnerabiles reddat(vt de Achille Poetæ fabulantur:) vel quà ab hoste parci-

turo; vel quà à nominibus illis (quæ falsò iactant) sublimibus; aut quà quà ex causa.

Da certum euadendi vadem, ac fideiussorem: in ignes, Ætnasque ruat, cum Empedocle, vel Thersite ipso ignauior: Et è templi pinnaculis, vel gratis, mittat se deorsum. *Matt.4.*

Si Abrahamum aliquis certiorem fecisset, filium (quicquid præciperet Deus) tamen non iri cæsum: ouemque puero sufficiendam: quà laude, aut mercede tanta is dignus, quod *extendit manum, & arripuit gladium, vt immolaret filium suum?* *Gen.22.*

Merces verò magna, quod *contra spem, in spem credidit*, & obiecit filii caput fato (vt putabat) inelectuabili. *Rom.4.*

Merces etiam illi Protesilao, *Iliacā tetigit qui pede primus humum:* & honos ei militi, qui hostilem murum, è scalis, primus ascendit: aut primus in nauem inuasit, ac infixit signum, *in vtrumque paratus.* *Ouid. in ep.* *Virgil.2. Aeneid.*

Seu vincere, *seu certæ occumbere morti.*

II.

Cur moriendi certus ordo nullus.

Bonos quandoque primo ætatis vere Mors rapit quandoque & Malos: nonnunquam vtrosque patitur senescere: nonnunquam ordine verso, malos immaturos decerpit, Bonos sinit ematurescere: adeò Mors oculis capta, nullo ordine perbacchatur. *Nō omnes eandem ætatem viuere.*

Quàm sæpè Natis suis parentantur patres! & qui nouissimi in Amphitheatrum Mundi huius intrauere, recedunt primi!

Omnibus, & ab eadem causa, & æquè Mortis reis, cur non eadem æquè omnibus sors moriendi? in-

quias. Cur non æqua omnibus vitæ meta.

At sic ego: Est, est ne time. Sors eadem semel moriendi omnes manet: Temporis tantum quædam leuicula differentia est.

Ps. 89. Sed quantulum hoc moræ, 30 .aut 40. anni ad æternitatem? Momentum.

Mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesterna quæ præteriit.

Id accidere causa varia

Causa autem diuersitatis huius trifaria. { *1. Deus, 2. Natura, 3. Mores cuiusque.* }

Iob 14

1. Dei decreto. * 1. *DEVS. Constituit enim is cuique terminos, qui præteriri non poterunt.*

Ex reis, Magnates aliquos adseruari, turbam cōtra necari sæpe Reges iubent. Et ex Cruciariis iussis mori, alterum alteri præripi in crucem, minimè insolens, aut nouum.

Sic & Deus, ex toto genere nostro Mortis reo, Patriarchas olim, & nunc plerosque, velut Heroes gentis. seruis iussit, ex corporis huius carcere, ad Mortem rapi. cæteros, quasi plebeios, citius.

2. Natura. * 2. *NATVRA* j. hominis cuiusque complexio, & Loci, Aeris, Nutrimentique temperatura, in quorum etiam manu habenæ secundæ Mortis & Vitæ.

3. Moribus cuiusque. * 3. *MORES*, j. nostra vel temperantia, vel, intemperantia, à cibis, à potu, à libidinibus: generatim vitia nostra, ac virtutes, à quorum quarumque studio, Fila vitæ longiora, aut breuiora.

Exod 20. Hinc illa: *Honora patrem tuum, & matrem tuam, vt sis longæuus super terram.*

Ps. 54. Et: *Viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos.*

Piorum feré vita breuis. Mores nunc attingam, probos & improbos, cæteris in diem crastinum reiectis.

Probi enim certè mores, crebro intempestiuæ Mortis causa.

Dile-

Dilectus Diis in iuuentute moritur, ait quidam De Henoch, ità lego: *Placita erat Deo anima illius, propter hoc properauit Deus educere illum, de medio iniquitatum.* *Menander.* *Sap 4.*

Ambalauit Henoch cum Deo, & non adparuit, quia tulit illũ Deus: Et facti sunt omnes dies Henoch trecenti sexaginta quinque anni: Itaque adolescens Henoch ereptus est. *Gene. 5.*

Et *Abel*, Christo censore, *iustus, ad quem & ad cuius munera respexit Deus*: Abel (inquam) euanescentis à Deo, ac Religione, scientiæ custos atque instaurator, & hæretici iam tùm fratris Caini acer impugnator, & catechista, citò parricidæ fratris manu obcubuit. *Matt. 13.* *Genes. 4.* *Ionathas Chaldæus Autor.*

Sed in promtu causa: Suo scilicet Bono, citò Boni moriuntur.

Audin? *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius. Fascinatio enim nugacitatis obscurat bona, & inconstantia concupiscentiæ.* (). Mutabilitas liberi arbitrii aucta ab insito cuique fomite peccati) transuertit sensum sine malitia. *Sap. 4.* Ne vel tandem degenerent.

Viuens inter peccatores, translatus est.

Ex hominibus certè ita nonnulli ad virtutem nati, vt eos, non homines, sed Deos quosdam, aut incarnatos Angelos putes. Dicere tu possis, de illis, quod olim Alexander Alensis (ex quo, velut equo Troiano, Scholastici omnes prodiere; Franciscani Ordinis decus) de D. Bonauentuta auditore suo dictitabat: *non videtur Adam, in homine isto, peccasse.* *Ex off. diu. fest. D. Bon.*

Præripit tamen istos Deus, & quasi Soles, Orbi subducit, Eclipsi quidem vniuersis dolenda, sed ipsis subductis optima. Quod nõnullis adcidit.

Peruidet scil. speculator ille Deus ex alto, instar Aquilæ, profunda maris, ac cordis nostri.

In-

Quod ipsum prescit Deus. *Daniel.*

Inconstantem humanæ voluntatis rotam, ille scit,& quo ea abitura,plenius nouit,quàm ipsi nos, quibus notæ quidem præsentes nostræ voluntates, futuræ verò non item. Præuidet aureum statuæ caput,in ferrum,lutumque desiturum?

Aut Salomones, abs concubinis: Achabos ab vxoribus,& Iezabellis suis: Nerones,aliosque ab aliis causis; aut contrà, pias vxores, ab impiis viris, prospicit corruptum iri? præuisis sceleribus,matura Morte sæpit viam.

Ideo que Morte anticipat. *Senec.in Thyest. Senec.in consol.ad Marciam. c.20. D.Aug. lib.6.quæst. supra Iosue c.9. Idem li 1. q.noui & vet.test. q.15.*

Præuidet,Patribus parem progeniem, aut etiam vitiosiorem? præuenit, *ne seros scelus eat in nepotes. Cogita, quantum boni opportuna Mors habeat, quam multis diutiùs vixisse nocuerit.*

Oraculum multiscii Antistitis: *Mors ista quæ omnes manet, quanquam de primo peccato veniat; tamen, quia ita nati sumus, vt necessariò moriendum sit accelerata quibusdam est vtilis, vnde legitur de quodam: Raptus est,ne,&c.*

Cuiusdem sensu, benè cum paruulis illis actum, quos vltrix Sodomorũ flamma (quamlibet adhuc innocuos)cum pessimis parentibus, per anticipationem,hausit.

Ecquid ni idem de Ægyptiorum primogenitis sentiam? Deinde: Ita prouisum multorum gloriæ, quos, aut Syrannus aliquis, aut Consul,si viuerent diutiùs,ad palum deligari,aut securi percuti, aut in crucem agi,siue iure ac lege,siue iniuria, iubere forsitan possit. Maturè subduci illos, atque ex theatro,in scenam recipi, dùm satis gloriæ, plausuique vixerunt, vtiliùs, quam morantes ad catastrophen, turpiter tandem explodi.

Deinde obuiatur ignominiæ.

Quam nunc optent Saules,Salomones,Iudæ,ac Nerones, anticipatos ac præreptos fuisse se, cùm boni adhuc essent, & deliciæ mundi! Et quam satiùs Cræso mori, adhuc beatulo, & secunda vtenti fortuna, quàm posteà captiuo, & cùm iam combu-

ren-

rendus è pyra inclamaret, Solon, Solon. Demùm suo magno malo videns, *beatum.*

Ante obitum, nullum, supremaque funera dici oportere. Ouid. Metam.

Denique, *Dei deliciæ esse cum filiis hominum,* ac maximè cum paruulis ætate, & malitia. *Sinite paruulos venire ad me,* inquit. Ergo Angelos illos incarnatos, aut homines illos Angelicos, citò ad Dominum redire, aut rapi, consultum est. Prou. 8. Et Dei deliciis prouidetur.

Ganymedes illos, pueros animo magis, quàm corpore decoros, per mortem, velut per Aquilam, suam, ex Ida hoc rapi, atque in cœlum citò portari iubet verus noster Iupiter, non tàm pincernas, & à caliculis futuros, quam conuiuas suos, Hebe Iunonia deformi neglecta. Virg. 1. Aen.

Vt præcoces fructus, flauentiaque illa iam prima æstate pira, aut poma (quæ Paradisi vulgus vocat) & tenerrima, & suauissima, mox in horreum conuectari expedit, ne diutiùs relicta putrescant, & Coloni sui spes fallant: sic piis Adolescentibus, senilibus, sensu iam canis, atque maturis, expedit, citò hinc deceptos, in cœlū ferri, delicias mensæ Dei, quem senium ante senectutem, & probi, ante annos pilosque, mores delectant, vt poma, quæ prouenere maturiùs.

Sed ais. Malos etiam interdum rapit, neque sinit senescere.

Mihi crede etiam hoc duplicis clementiæ. { 1. *In scelerosum.* 2. *Rempublicam.* } Duplici causa, Malos citò mori.

* 1. *IN SCELEROSVM,* dum eum non sinit fieri in dies scelerosiorem, quà à Numero, quà à Scelerum granditate, vnde etiam grauius apud Inferos luat. Ipsorum bono.

Ponit in neruo pedem eius, ac *spinis sepit* scelerum *vias.* Desperatæ est quisquam emendationis? Citò sit miser, ne miserior fiat. Iob. 13. Osee.

* 2. IN

Et Reipub. Ne eam corrūpant. *2. *IN REMPVB.* bifarie. { 1. *Ne illam inficiat.* 2. *Ne molestet diutiùs Bonos.* }

*j. *NE INFICIAT.* Est quisquam, suæ Reip. lues, aut pestis? Quid-ni, mox aut specu, fœdi cadaueris instar, condatur, aut procul, è mundi Reipub. in breues inferni Gyaros relegetur, ne contagio sanos lædat? Morbidam ouem, è toto grege: racenium Tabidum, è torculari eiiciet, qui adhuc integra nolet vitiari.

Ouid. Metam. ------ *Immedicabile vulnus,*
Ense recidendum, ne pars sincera trahatur.

Ne torqueant Bonos. *ij. *NE MOLESTET PROBOS.*

Diuo Augustino id visum: *Vocantur* (ait) *ante tempus Boni, ne diutiùs vexentur à noxiis: Mali verò, & impii tolluntur, ne Bonos diutius persequantur.*

Vah! bonum Bonis Patrem! Vah! clementem Iudicem etiam Malis! Vah! Medicum prouidentem Deum, qui integros sic à corruptione defendit!

Matt. 7. *Bene, bene, omnia fecit.*

Genes. 1. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona.*

CONCIO VIII.

Heb. 9. Them. *Statutum est hominibus semel mori, &c.*

FActa repetitione, sic propositum.

Partitio. Dicendum hodie { 1. *Tria esse vitæ nostræ gubernacula! Præripiq; nos sæpe nobis ac nostris, culpa nostra.* 2. *Crebro præripi liberos, vitio nō suo.* 3. *Malos senescere, causa varia.* }

I.

Tria esse vitæ nostræ gubernacula, præripiq; nos sæpe nobis nostrisque, culpa nostra.

Nauis vnius quidem vnicum gubernaculum, & currus vnius temo vnicus. Vitam nostram regi à variis.

At vitæ nostræ triplex, vt sentio. { *1 Deus,* *2. Natura,* *3. Nos.*

*j. *DEVS quidem,* in cuius præcipuè, velut in Naucleri, atque aurigæ summi, manu, Mortis & Vitæ omnium habenæ omnes, quas breuiat aut laxat pro arbitrio; Poeta vbique licentiæ ac Iuris magni, & bene, quia *ipse fecit: ipse dixit.* A Deo.

Terminum posuisti, quem non transgredientur neque maria, neque homines ipsi. *Psal.*

Constituisti terminos hominis, qui præteriri non poterunt, *Iob 14.*

Quādiu huic Imperatori libet, tādiu nobis, in vitæ huius statione esse, & licet, &, militiæ ritu, decet.

*ij. *NATVRA,* j. Complexio, qua qui constantiore pollent, tardiùs: qui inconstantiore, citiùs hinc emigrant. Natura personarum.

Xenophontis censura ista: *Terminus vitæ non omnibus idem est, quoniam firmitas, aut imbecillitas virium à prima natiuitate dissimilis, inæqualem annorum ætatem efficiunt.* *Stob ser. 118.*

Quis neget, diuturniora è marmore templa, casis, quæ è lignis, stipulaque? vascula ex ære, vitreis? Ideò, (Lyrani nostri sensu) & primi homines, immediata Dei opera, tam vitales, & Phœnice viuaciores. Et Doctorum calculo, Christus, vtpote Spiritus sancti structura nobilissima, diutissimè, suauissimèque victurus fuerat, citra violentiam. *Doctor. lit. Lyran. in 5. & 6. c. genes.*

Natura

Et locorũ. Natura etiam Loci, Aerisque. ac Syderum, si fœlix producit annos.

Naturam loci potentem Mortis, ac vitæ, docere, te possunt. { *1. Viua,* *2. Macrobij,* *3. Mala Publica.* }

* 1. *VIVA* ac terræ fruges. Vigent enim diutiùs quæ illic, quàm quæ isthic nata.

* 2. *MACROBII* j. Insularum fortunatarum incolæ, à vitæ diururnitate ita dicti, quos ægrè mori aiunt, nisi aliò delatos.

* 3. *MALA PVBLICA*, Aer enim vrbis tuæ, si quando corruptior, centum tollit vno die, alioqui centum diebus; ne vel vnum quidem sublaturus.

Et victus. Iuuant etiam Cibus ac Potus, si & natura salubres. & naturæ vtentis adtemperati.

Patribus, ante diluuium, vita prolixior à frugibus bonis, quas salso Oceani diluuio postea dilutas, ac macilentiores effectas, multi putant.

Et à nobis ipsis. * iij. *NOS IPSI.* Mores enim nostri, si probi, annos nostros producunt, si mali, breuiant & nostros, ac nostrorum etiam sæpe. Vel citò vel tardè mori licet sæpè quilibet.

Citatur Mors { *1. Peccatis in naturam,* *2. Peccatis in Dei legem.* { *1. Victu,* *2 Luxuria.* } }

Si temperanter aut intemperãter abs sympoſiis viuimus. * i. *PECCATIS IN NATVRAM*, quà à victu.

Temperantis à sympoſiis, & conuersationibus Mors tarda; Indulgentioris, properata.

4. Reg. 4. *Mors in olla, Mors in olla.*

Senec. *Multos morbos multa fercula genuerunt.*

Igitur Philosophum præsta. Prande, cœna, ede, bibe, non hora dictante, sed fame, ac siti.

Domus suæ tecta nemo instaurat, ante lapsum

aut

aut ruinā? tu reficias corpus nondum affectum, aut fame aut siti? Id enim corpori refectio à cibo ac potu, quod domui reparatio aut instauratio. ex lapidibus, cæmento, ac lignis:

Deinde, cibi, potusque eā mensura adhibendi, vt reficiantur vires: non opprimantur.

Cibus tanquam lumini oleum instillandus. Temperātia enim mater longæuitatis.

Galeno, *Summula Medicinæ Abstinentia.*

Eidem: Athletæ, quorum vita, & ars, sagina est, nec sani, nec viuaces.

Ipsumdem ferunt, sanissimè diutissimèque vixisse, quod nunquam à mensa satur abierit. *D Hierony. & refertur de consec. di. 5: Nec tales.*

Lyrano censore, parcus victus, priscus Patribus, in tot sæcula, vitam produxit. *Lyranus sup. Eccl. 37.*

Oraculo sapientissimi; *Propter crapulam multi perierunt*, fame non item.

Ecqui viuant illi diu, qui meris mortibus viuūt? quorum ventres sarcophagi, meraque *sepulcra Cōcupiscentiæ*, & baratra macelli? aut, qualis arca Noacī, plena animalibus mundis & immundis? Intempērantia, citatæ Mortis.

Vt rogum, quamlibet lucentem, nimia lignorum mole, mox extingues, quem ales moderata: Et, vt *leuis alit flammas; fortior aura necat.* Ita, victus moderatus, hominem alit, nimius eundem necat. *Ouid.*

Humido enim nimio, excrementitioq; oppressus calor ille sacer vitalis, & intestinus, *suum non potest explicare fulgorem*. &, cibis incoctis, quasi ignis *in lignis viridibus suffocatur*. *D. Hier. ep. ad Nepot.*

Quę horrea, aut solaria, tignis tam firmis vincta, quæ, si ingesta annona graues, non mox labascant?

Da Capitolii muros aheneos; etiam illi, si vndis semper adluuntur, aut quassantur ariete, citò adterentur ac ruent.

Contrà, casas stramineas ne læde, stabunt sæculo toto integræ.

Vitra, & cristallos, seria manu tractas & tangis? adseruabis. Figulina, aut ærea vasa incuriose tractas? vitri ætatem non adtingent.

Par corporum humanorum plane ratio; quorum mollissima si curas diligenter, multum diuque viuunt. fortissima contrà, si incuriose, aut iniuriosè habes, eneruantur, & diariæ propemodum vitæ fiunt.

Senes mihi vide, qui etsi iam semimortui tamé, quia temperanter demum, & cura magna, vitæ reliquias tuentur, viuunt, etiam ad suum iterum vsque fastidium, qui, de senibus, quasi de deliris, & quasi de æternis, & animis transuersim corpori eorum insitis, conqueruntur.

Si temperanter à Venereis. * 2. *A LVXVRIA* aut maritali, aut vaga, in qua qui versatur aut immaturus, aut ematurus, id est, ante, aut post iustam ætatem, aut nimius; viribus, vitæque multum detrahit.

Festus Auienus de Venere, & vino. *Vt venus eneruat vires sic copia Bacchi.*
Et tentat gressus, debilitatq; pedes.

Nuptiæ præcoces occidunt parentes, & natos ex illis. Subtrahit sc. intempestiua generatio, necessaria generantis ipsius incremento.

Si heri virgunculis, & quibus adhuc in manu erant crepundia, hodie sit sponsus in sinu, & mox puer vnus, aut gemini pendentes ab vbere: Si, quas heri adhuc filiolas vocitabat nutricula, & gestabat; hodie suos ipsæ filiolos vocant, lactant, & gestant: adeo vt intra paucos annos, ex ipsis natam prolem, patribus, matribusque coæuam putaturus sit peregrinus aliquis, & internoscendi laborem, paritas vtrisque ætatulæ parere queat: Egone victuros putem illos, & qui ex illis? Certè omnino. sicut exflatas ex nuce pueriliter bullas, aut vt casas structas ex stipulis.

Nemo dat alteri quod non habet.

Fortes,

Fortes creantur fortibus.

Succedit auo deterior nepos

Xenophonti, *firmitas, aut imbecillitas virium, à prima natiuitate dissimilis inæqualem annorum ætatem efficiunt*: vt ante dixi Senectus Priscis illis vnde, quàm a tarditate nuptiarum? illi cùm sæcula quaterna ac quina vixerant, demùm sub iugum veniebant nuptiarum. At si ita expecto (inquis) nunquam ego in nuptiis Nam tot sæcula, nō sunt æui nostri. Xenoph apud Stob. ser 118. Priscis longa vita, à seris nuptiis.

Fateor, sed pro æui nostri modo, vt illi pro sui, nuptias adi.

Ætas æui illius, nongenti, atque anni propè mille.

Dies annorum nostrorum, in ipsis septuaginta anni Psal. 89.

Si autem in potentatibus 80. anni, & amplius eorum labor, & dolor. Quam superuenit mansuetudo, & corripiemur.

Numerus dierum hominum, vt multum, centum anni. Eccli. 18.

Erunt dies hominis centum viginti annorum. Gen. 6.

Mediam propè illi ætatem exegerant? veniebant ad nuptias, anno trecentesimo, quadragentesimo. &c.

Tu ergò centennis tantùm futurus, anno 25. 30. thalamos iugales intra. Ita, modum illorum vtcumque adsequens viues tu, & vitalior erit, quisquis ex te.

Phœnix quingentenaria futura, è quingentenariæ cinere ac rogo, quasi thalamo, generatur. Senec li. 5. ep. 42.

Generet scil. puerulus senes futuros? aut ex parentibus omni cera mollioribus, durus aliquis erumpat?

Ex vuis acerbis generosa vina exprimuntur, aut expressa ætatem ferunt scilicet. Virg. Aen.

Ecquis ipse det alteri, quod non habet? vires ac firmum corpus?

Natos suos. *& natos natorum, & qui nascuntur ab illis* stulti parentes trucidant, quos præmature coniugant. Et quis scit, annon Deo idcirco tādem parricidii etiam accersendi?

* 3. *ET PECCATIS in Dei legem*, alienis plerumque nostris etiam ipsorum sæpissimè.

Viri sanguinum, & dolosi, non dimidiabunt dies suos.

II.

Crebro præripi sobolem vitio alieno.

Viriis alienis, Breuiari annos plerorumque.

Peccata vero aliena, sæpe adolescentibus bonis, mortis immaturæ causa.

Aliena peccata duplicia { 1. *Parentum,* 2 *Reipub.*

Viriis parentum malè nuptarientiū.

* 1. *PARENTVM*, quæ rursus duplicia: vel quà. { 1 *Ab initiis,* 2. *Abs progressu nuptiarum*

Aut malis artibus.

* j. *ABS INITIIS*, vt, si quæ homicidia fine nuptiarum, aut Concubitus cum nuptura; nondum tamen sua: aut, si pulcritudinis in futura vxore, aut nimia, aut prima cura: aut si auaritia suasit, & aurum in arca (quod nunc ingenium, pulcritudinemque sponsæ suæ plerique vocant:

Horat. 1. ep. 6.

Et genus, & formam Regina pecunia donat:) Huiusmodi properant filiorum Mortes.

Euripid. in Alcinaone apud Stob. ser. 77.

Disce ab Ethnico: τὰ τῶν τεκόντων ὡς μετέρχεται Θεὸς μιάσματα j. *persequitur Deus piacula parentum, in ipsis liberis.*

Imo ex Deo: *Ego Dominus* (inquit) *fortis, Zelotes, visitans iniquitatem Patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt me.*

Qui

Quin & exemplo. Concubitus enim Dauidis cum Bethsaba, & Homicidium Vriæ mariti (fortè iam tum spe nuptiarum) an non vindicatum in filiolum, vix iam 8 dies natum?

Minæ Legem insinuant? *Quoniam* (ait) *blasphemare fecisti inimicos nomen Domini, propter verbum hoc: Filius, qui natus est tibi, morte morietur.* 2.Reg.12.

Vti *Malè parta, malè dilabuntur:* ita & quæ perperam generata, malè moriuntur.

Pulchritudinis verò in vxore futura, curam nimiam Deo non placere, an non & cataclysmus testis? Aut libidine nimia.

Videntes filij Dei (à Seth probisque æui illius Catholicis, orti) *filias hominum* (j. Ethnicorum, & à vera religione alienorum) *quod essent pulcræ, acceperunt sibi vxores, ex omnibus, quas elegerant.* Gen.6.

Ideo, & mulierosi illi, cum prole nata, diluuio immisso præfocati.

Et mariti septem, imò potiùs equi illi, & muli, adhinnientes pulcræ Saræ, etsi vxori (vt sperabant) futuræ à Dæmonio strangulati, & proles (si qua fuisset, ex tàm libidinosis, suscepta) breui (vt reor) etiam interitura. Tob.6.

Hi namque (ait Angelus) *qui coniugium ita suscipiunt vt Deum à se, & à sua mente excutiant, & suæ libidini ita vacet, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus, habet potestatem dæmonium super eos.* Ibidem.

Et ne nescias, filios viuaces procreari ex bonis, mox adiicit: *Transacta autem tertia nocte* (in orationibus) *accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum magis, quam libidinis ductus, vt in semine Abrahæ benedictionem in filiis consequaris.*

Xystus Pythagoricus benè: *Adulter est, in suam* Xystus Pythag. in sét.

vxorem amator ardentior. In aliena quippe vxore, omnis amor turpis est, in sua, nimius.

& apud Hieron. l. 1. in Iouin.

Et D. Hieronymus: *Viri, non amatores se vxoribus præbeant, sed maritos.*

Ad prolem, remediumque, vxor mediocriter formosa sit satis; sit pulcrior animo, quàm corpore sit etiam pulcra stirpe.

Si nescitis; Oculorum etiam gula est quædam; & irritamenta, ceu cupædias operis nuptialis, æquè vt mensarum, quærere, in Christiano vitiosissimum.

Aut Auaritia.

Deinde Auaritia nonnullos vxorat, quibus, si in arca (vt loquuntur) vxores suæ pulcræ, id est, si diuites sunt, est satis; vsurarias enim alias Veneres illis (vt iactant) arca vxorum ministrabit. In quo triplex malum. Auaritia enim primùm manifesta; Libido deinde, ac nō qualiscunque, sed nouo malo, extra septa matrimonii, aruo alieno depascens: de cuiusmodi priscus Comicus?

In quo genere sæpe malum triplex.

Ille opere foris faciendo lassus, noctum aduenit.
Fundum alienum arat, incultum familiarem deserit.

Plautus in Asin.

Morbus ferè is regnis, aut Comitialis, id est, Magnorum, quibus mariturientibus, aut nupturientibus, cura prima familiæ, Auri Regnorum, Ditionum, &c. Pulcritudinis conuenientis, Decori, ac Morum vltima.

Et in eo Magni sæpe.

Iuuen sat. 3

Protinus ad censum: de moribus vltima fiet.
Quæstio quot pascit seruos quot possidet agri.
Iugera quam multa, magnaq; par apside cenat.
-----quærenda pecunia primùm,
Virtus post nummos

Morbus superiore aliquantò nequior. Superiores enim & si forte gulosiores, & cupædiarum coniugalium cupientiores, tamen *bibunt de cisterna sua & fluenta putei sui.*

Prou. 5.

Her

Horum tamen, istorumque toros egone fœcundos sperem, aut liberos, qui ex illis, diu victuros?

Notate ipsi oculis, aut quanta harum nuptiarum sterilitas, aut, vt in herba moritur messis, illinc nata.

*ij. *ABS PROGRESSV nuptiarum*, qui sæpe etiam malus. Et abs parentum vitiis, post nuptias.

Malus nuptiarum progressus, vel qua abs { *1. Indulgentia blanda.* *2. Auaritia rursus,* *3. Impedimentis Boni.* }

*1. *AB INDVLGENTIA*, qua segnes, dissolutos, ac vanos liberos, paretes ipsi aut faciunt, aut ferūt. Indulgentia.

Blanda patrum segnes facit indulgentia natos. *Mantuan.*

Hi sunt Dij tui Israel, cuiuis taliu dicere iure possis. *Exod 32.*

Filiæ eorum compositæ, circumornatæ: vt similitudo templi. *Psal.*

Vtinam liberorum nostrorum mores non ipsi perderemus! Infantium statim delicijs soluimus. *Quintil. li.1 instit. c.2.*

Incedere iubemus illos Ornatiores, auratiores, purpuratiores, cerusatiores quouis aut templo, aut Diui imagine.

Nondum lalant, nondum matrem risu cognoscunt, minus Deum: *nondum prima verba puer exprimit, iam coccum intelligit, iam cochylium poscit.* *Quintil.* *Ante palatum eorum, quam mores instruimus.* In cunis scilicet ipsis iam purpurantur. *ibidem.*

Quid? Et *Matres student scilicet, filias demissis humeris esse vincto pectore, vt graciles sient, Si qua est habitior paulo, pugilem aiunt, deducunt cibū Tametsi bona est natura reddunt curatura iunceas.* *Terent in Eunuch. act.2. scē.3.*

Herodiadis æmulæ, tripudia, ac saltus cōpositos docent. *Gaudent, si quid licentius dixerint. Verba, ne Alexandrinis quidem permittenda delicijs, risu & osculo excipiunt.* *Quintil. ibid*

Iurent, peierent, periurent, vixerint, vt liber, omnia, quamuis turpissima, adrident. *Senec in Herc. fur.*

Si carpis? Vnigenitus est (inquiunt) baculus se-

nectutis ac scipio; & *annis fessis, vnicum lapsæ domus Firmamen.*

Quintil. sup. *Discunt hæc miseri, antequam sciant vitia esse,*

Quid non adulti concupiscent, qui in purpuris repunt? aut, quæ non acturi senes, qui hæc pueri?

1. Reg. Viuent igitur illi? Mihi, nec possunt, nec debent. Quis nescit, Heli, Sacerdotem Dei, in acie, duos, vno die, filios amisisse, ipsumque sella lapsum, fractis ceruicibus, de subito obiisse, ob mollem illam educationem, & indulgentius toleratam filiorum insolentiam?

D. Greg. li. 4 dial. c. 18. Etiam, è sinu patris raptus vel quinquennis, notæ blasphemiæ puer, materia peccans tantum (vt reor) non forma.

Idem ibid. *Quatenus* (ait S. Antistes) *reatum suum pater eius agnosceret, qui paruuli filij animam negligens, non paruulum peccatorem gehennæ ignibus nutrisset.*

Psalm. *Malitia enim eorum, qui te oderunt, ascendit semper.*

Ac consultissimè quidem. Eripit sc. Simiæ fœtum suum, alioqui, amore nimio, ab ipsa matre obprimendum, quisquis stirpem cupit.

Neque vxorem furiosam sinat, nati sui esse nutricem, vel amplexari, maritus prudens; Nec contra, prudens mater, marito insanienti, lactentem ingeret osculandum.

Ita Ops consiliosa, prudenter marito Saturno, filiorum suorum Heluoni, suos Ioues. Neptunos, Plutonesque subduxit, & clam marito, foràs educandos ablegauit.

Et *misera paruum protegens natum suum*

Senec. in Herc. furẽ. *Megara furenti similis è lateribus fugit.* natum abditura, ne suos Hercules suus furens, nouercali manu trucidaret.

D. Hier. l. 1. in Matth. *Iosabet, filia Regis Ioram soror Ochoziæ, tulit Ioas filium fratris sui, & cum internecioni, quæ exercebatur ab Athalia, subtraxit.* Quàm

Quam vtilis, qui Agauæ matri, filium Penthea ante subduxisset, quàm ab ipsa, reliquisque Menalibus, inter Bacchanalia, membratim discerperetur!

Non caput abscissum demens portaret Agaua, Gnati infœlices. Horat. ser. li. 2. sat. 3.

Quis puerulo pater non aufert crepundia abutenti?

Quis aleatori pernocti & perdio, qua nocte est per ludum plena marsupia effusurus, lucernã non extinguat, si tamen illum sincere is amet?

Ergo ita perituris, perditurisque vnà suos natos parentibus, *extinguit* Deus *scintillam, quæ relicta est*, id est, natos ipsos, & discutit nubes, quæ parentibus solem rationis obnubunt. 2. Reg.

2. AB AVARITIA rursus, quæ in coniugatis feruet, à filiorum adspectu, Auaritia ad spectu filiorum. *Luc. 16.*

Nunc per fas nefasque enim aceruant; nunc ære alieno non se liberant, cum possint, ingerendo semper in arcam auro intenti; nunc genios ipsi suos fraudant; nunc Lazaro vel micas negant, vniuersa illa, vt dotem natis parent mille talenta, dum Nobili familiæ, aut inseri, aut inrepere suos terræ filios volunt.

Tantorumne ignium causæ liberi? Igitur Morte citò immissa, illi suis, vt foco flagrantiori, sua ligna, subducendi.

Subducitur causa, vt cesset effectus? Etiam tollit Deus speratos hæredes, vt parentum auaritia deferueat.

Securis ad radicem posita.

3. ET AB impedimentis boni. Ego (inquiunt plerique) vt Vestalem, hanc Vnicam? Vt vnicum istum, vt primogenitum hunc ingeniosum, & gloriæ natum, Sacerdotem, aut claustralem consecrẽ? Non ita. Partiri natos miseri cum Deo suos nolũt. Nedum non instigant; imo, instinctu iam suo, illuc *Impedimẽtis virtutis filiorum.*

in vergentem prolem dehortantur, ac, vi sæpè, tenent.

D. Bernardum, à Cisteriensi ordine, fratres sui conati auocare.

Ex vitae eius per Garsonem. D. Thomas Aquinas, matre ac fratribus indignè ferentibus, susceptum ab eo Prædicatorum ordinem, Lutetiam Parisiorum: mittendus fuit, quem tamen nihilominus fratres, in itinere, per vim raptum, in arcem castri S. Ioannis perducunt, varia excogitant, & mulierem lenocinaturam introducunt, vt labefactata constantia resiliat.

D Bona in eius vita. D. Franciscus noster, quæ non verba, ac verbera, quem non carcerem, & quid nō passus à patre, Ordinis Minorum nouus tiro.

Matt 10. Verè *inimici hominis domestici eius.*

D Bern. ep. iij. *O durum patrem! o sæuam matrem! o parentes crudeles, & impios! imo, non parentes sed peremptores! quorum dolor, salus pignoris est, quorum consolatio, mors filij est!*

Gen. 14. *Darent* potius Deo *animas*, *cætera tollerent sibi.*

Vetant viui Deo; Sibi; Patriæ, ac Parētibus: Deo, in obsequium: Sibi, in salutem: Patriæ, ac Parentibus, in præsidium.

Non pereunt parentibus, qui conduntur in claustris, non: ad tempusculum duntaxat subducuntur, cum vsura gaudii postea, in cœli theatro honorati, in Parentum conspectum prodituri: qui fortè, in claustra migrare, à stultis parentibus prohibiti, corpore animoque, parentum oculis, Inferno clausi post vitæ huius fabulam, æternum subducerentur.

Filios Gehennæ volunt facere scilicet: & perire malunt illos secum, quàm regnare sine se.

Tales, Medeæ instar, meri natorum parricidæ.

An verò, ita claustralium animi in cœlis, & cor-

pora in cellis sunt, vt videre eos, adloqui, & conuesci parentes non interdum possint?

Quod genus hoc hominum, quæue hunc tam barbara morem *Virg. 1. Aeneid.*

Permittit patria?

Filiorum conspectum, adloquia, & cætera id genus parentibus, cuius ordinis rigor vetat?

Quislibet parens, sibi à Deo, de prole, dictum putet: *Nec mihi nec tibi, sed diuidatur.* *3. Reg.*

Vel: *Da mihi animas, cætera tolle tibi*: animis in cœlo filii contemplando versentur: corpore tantisper superstites in terra, clausi in Monasterio, quasi paradiso voluptatis. Sin tanta reddi Deo sua, ac sic prolem beari inuidia est, immaturam illius Mortem expecta. *Arma tenenti Omnia dat, qui iusta negat.* *Gen. 14* *Lucanus.*

Iacturam partis qui timet sæpè totius naufragium facit.

*1. *REIP. etiam vitio*, sæpè bonis vita breuior. Et Reip. vitio nonnunquam.

Occasione probi ciuis peccat Respub. bifariè. { *1. Fastu ab illis:* *2. Contemptu ipsorundem.* } Quæ vel superbis claris ciuibus.

*j. ***FASTV***, qui sæpè illi nimius à Fortibus, Sanctis, ex se, aut in se ortis, aut aliunde insitis.

Scipiones ac Scipiadas, suos scipiones solos, non Deum sæpè putat Respub. *Hiere. 17.*

Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum: & a Domino recedit cor eius.

Doctorum eruditio, Proborum aliquot Religio ac merita, cæteram Reip. turbam plerumque efficiunt negligentiorem.

Ecce (inquit) *Sacerdos magnus qui in diebus suis placuit Deo, & inuentus est iustus, & in tempore iracundiæ fiet reconciliatio.* *Eccli. 44.*

Stabit Aaron iste inter mortuos ac viuentes: pro populo deprecabitur, & plaga cessabit.

Ita

Ita his Solibus; his quasi plumis, pauonum instar; his quasi toris ac iubis, vt æqui, nonnunquam insolescit.

Eclipsim ergo his Solibus immittit Deus, plumas suas his pauonibus; & iubas torosque his Equis detondet, id est, Fortes, Doctos, Probosque ad se huic immature euocat, ad Reipub. fastum ita retundendum.

Isai. 3.

Dominator Dominus exercituum auferet ab Hierusalem, & ab Iuda validum & fortem: omne robur panis, & omne robur aquæ, & fortem, & virum bellatorem: & Iudicem, & Prophetam, & ariolum, & senem principem super 50. & honorabilem vultu: & consiliarium, & sapientem de architectis, & prudentem eloquij mystici interminatus Isaias supplicii magni loco.

Non legistis *Castratam morte Africani Rempub?*

Et cæso ad celebrem illum obicem Antuerpianum Marchione Roubayo, & Marchione Rentiacho, vix à bello Gallico reduce, emortuo; numquid iactatum vulgò, vtrumque Principi brachium amputatum? Id si qui non audierunt, sentire tamen omnes potuerunt.

Vel eosdem contemnit. Irridendo.

* 2. *CONTEMTV quoque.* Aut enim meliorum virtutem irrident qui pessimi; aut qui paulò meliores, etsi Catones, Manliosque non irrident, non promouent tamen, vitia moresque malos, serio explosuros.

Non promouendo.

Hinc illustre illud Manlii Consulatum respuentis, iactantisque, *neque se populi vitia, neque illum, seueritatem suam ferre posse.*

Plinius de viris illust. Plutarch tom. 1. vit. in Catone.

Et illud Catonis aientis: *malle se, in posterum quæri, cur Catoni statua nulla posita esset, quam cur aliis posita?*

Hunc scrupulosum, istum Reformatorem isti vocant, & dicunt: *nolumus hunc regnare super nos,* ada-

ad amussim regulamque vniuersa reuocaturum.

Manliana scilicet imperia popellus infrænis, vt strigilem equi scabiosi, reformidat.

Dignum ne tu censes, diutiùs probitatem, illhic aut lacentem, aut irrisam, relinqui?

Subducit igitur Mundo optimos quosque Deus, Cœloque recipit, *quibus dignus non erat mundus*; Vrbs, Claustrum illud: *Heb. 11.*

Ex quo id sequitur, his causis Morte præreptos, à sua Repub. modo quodam ingulatos. Relinqui eosdem, nō nunquam.

At, si quando diutiùs illos hic sinit Deus, certè ad plures, illustrioresque coronas illis, ac Triumphos.

Illos Nauales, Murales, & Castrenses multas, sæpiùs equo campo, collatisque signis pugnando, vult mereri. Vel ad coronas ampliores.

Aut velut renascituræ aliquando Iustitiæ semina illos relinquit. Vel bonorum Seminarium.

Ita adseruauit in arca Noacos. & Noaci genus, ac nurus: itemque *animalia munda, septena & septena*, futuri seculi semen. *Genes.*

Multos rapit quosdam sinit; vt in valida Fame, grana pauca, ad Messis spes nouas.

Nisi Dominus exercitium reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrha similes essemus. *Isai. 1.*

Itaque Parentes, ad nuptias castè conuolent; &, in nuptiis, purè viuant: & parentum filiorumque parens Respub. ne subsannet, aut inhonoros relinquat probos, si suos esse viuaces volunt.

III.

Malos senescere causa varia.

Sed miraris (inquis) canescere etiam multa telluris

Cic 3 de na. Deorum. Iuris inutilia pondera, & Dionysios nescio quos, 41. totos annos, in vrbe ad inuidiam opulenta, regnare; Marios perfidiosissimos, vrbis patriæque suæ faces funestas, phænicibus pœnè ipsis viuaciores.

Improbos senescere interdum, à causa quadruplici.

Mihi quatuor huius causæ:
1 *Spes pœnitudinis,*
2. *Iustitiæ quidam rigor,*
3 *Posteritas prauisa,*
4 *Coronis peccati.*

Spe meliorum. *j. SPES POENITVDINIS,* ad quam, vel seram, Dei clementia præstolatur.

Isai. 5. *Expectauit Deus* domum Israel, sed audin' cur? *vt faceret vuas*

Rom. 2. Audi Magistrum ipsum gentium Paulum: *An diuitias bonitatis eius, & patientiæ & longanimitatis contemnis, ignorans quoniam benignitas Dei, ad pœnitentiam te adducit?*

Luc. 13. Et Christi ipsius parabola id astruit: *Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua: & venit quærens fructum in illa & non inuenit. Dixit autem ad cultorem vineæ, Ecce anni tres sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio* (id est, iam tot annos vixit nebulo) *succide ergo illam* (j. ite morbi scelerosum enecate) *vt quid etiam terram occupat?* (*Horat.* telluris inutile pondus) *At ille respondens, dicit illi: Domine dimitte illam & hoc anno, vsque dum fodiam circa illam, & mittam stercora, etsi quidem fecerit fructum* (id est, Diui alicuius patrocinio, vel fortè potius mediante Christo meliora sperante, liberatur, abit morbus) *Sin autem, in futurum succides eam.*

Iob 24. *Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, & ipse abutitur eo in superbia.*

Ioan 15. Ioan 20. Non temerè Christus de Patre; *Et pater meus Agricola est*; neque ipsius rediuiuus, frustrà visus Magdalenæ, specie hortulani.

Agricolam enim, & hortulanum, vterque imitatur.

tatur. Præcoquas messes agricola mox demetit; acerbiores sero Autumno: Hortulanus, cerasa ac poma illa (quæ vulgo vocant) paradisi, & pira maturitate iam flauentia, ocyus decerpit; Duriora illa, Soli relinquit, vt vt decoquenda.

Etiam Iuuenes probos, quasi poma paradiso ac Deorum mensis iā digna ac præmatura, cita morte decerpta, Cœlo mox infert Deus: Malos nōdum, si forte, Sole gratiæ toties illos ferientis, vel tandem decoquantur.

Centum & 20 anni olim decreti, scelerosis ante diluuium, ad pœnitudinem *Genes. 6.*

Equidem multos & vidi in hac ciuitate, & audiui, qui totam adolescentiam voluptatibus dedidissent emersisse aliquando, & se ad frugem bonam vt dicitur, recepisse, grauesque homines, atque illustres, fuisse. *Cic. ora. pro N Cælio.*

Hac mora, resipuere Manasses, & (quorundam censura) etiam Salomon. E Diuis Matthæus, Paulus, D. Augustinus primum Manichæus, & Thais illa meretrix famosissima, D. Panutii suasu, tandem mundi contemtrix illustrissima. Cui respōdere plerique.

Ex Ethnicis, Themistocles initiò perditus. (adeò, vt eius pudens mater venerit ad laqueum; pater ipse abdicarit) postea Athenarum Dux clarissimus, & Xerxis inuicti victor.

Notum illud: *quis clarior in Græcia Themistocle.* *Cic.*

Hæc moræ finis, quam si frustrabere, grauius lues. Qui non respondē acerbius puniuntur.

Audi interminantem Deū apud Isaiam: *Fecit autem labruscas. Et nunc ostendam vobis, quid faciam vineæ meæ. Auferam sepem eius* (corpus sanum iampridem, interficiam) *& erit in direptionem* (in prædam Pæmonum) *diruam maceriam eius* (custodes eius, Angelos bonos, reuocabo) *& erit in conculcationem. Ascendent super eam vepres & spi-* *Isai. 5.*

& spinæ (dabo Infernatibus Furiis animam cruciandam.)

Luc.13. *Sin autem, in futurum succides eam.*

Rom.2. *Secundum duritiam tuam & impœnitens cor tuum thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei.*

Patientia læsa fit furor.

Valer. Max li 1. cap 1. *Lentò gradu, ad vindictam sui diuina procedit ira, tarditatemque supplicij grauitate compensat.*

Hebr.2. *Quomodo effugiemus si tantam neglexim⁹ salutem?*

Hier 8. *Transiit messis; finita est æstas, & nos saluati non sumus.*

D.Bern in cant *Quàm mitiùs me priuares (ô austera Mors) vita vsu, quàm fructu! Nam vita sine fructu, grauior est, quam Mors.*

Et iusta quadam seueritate. *ij IVSTITIAE *etiam rigor*. Improbi enim illi, alios; aut improbiores, aut alioqui nondum sat probos; torquent, ex Plutarchi mente.

Plutar tom 2 moral. de sera vltione numinis. Hinc illud: *Assur virga furoris mei, & baculus meus ipse est.*

Isaiæ 10. Vt fel hienæ, & coagulum vituli marini, & venenosorum animalium partes quædam, ad medendum; sic isti, ad torquendum valent.

Ad torquẽdos alios malos. An non è cruciariis certius sæpe aliquis, Regum iusso, euadit, vt duos in crucẽ agat, ac deinde quoslibet tales?

Gandaui certè sic filius Superstes relictus, vt Patrem capite truncaret, quod à statuis vtriusque, in vrbis illius ponte, æreis, ac fama illic didici.

D.Greg.l.6, mor.ca. 22. Ergò improbis velut tortoribus, Angelisque Sathanæ, qui Paulos colaphizent, vtitur Deus.

Ps.110. Scite enim Romanus Antistes: *Dei consilio militant, etiam quæ eius consilio repugnant.*

Magna opera Domini, exquisita (& adducta) in omnes voluntates eius!

Sce-

Scelerosi tortores Mundi, vt Inferni, Dæmones. *D. August. in psal. 54. ad 1. vers.*

Tortor Agrigentinorum Phalaris, vt Marius Romanorum, & Nabuchodonozor Iudæorum. Pulcræ vtramque hanc finem adspectans Hipponæ Antistes dixit: *Omnis malus aut ideo viuit, vt corrigatur: aut ideo viuit, vt per illum bonus exerceatur.*

Mali, velut Cyclopes, ac Vulcani quidam armorum ac Coronarum fabri, quibus Dii aut peccatores fatigent, aut iustos coronent.

Ita miles, etsi sæpe insolens, tamen, vt hostis insolentiam acerbiorem frangat, non nisi sero exautoratur.

Et phramaca amara hauriuntur, quæ morbis amarioribus medeantur.

* iij. *POSTERITAS prauisa*, quæ ex cæsis parentibus nasci omnino non possit. Bonę posteritatis expectatione.

Vt Aquila ex alto prædam, vel in altissimo mari: sic & Deus è cœlo, in malorum lumbis, latentes bonos, moxque inde erupturos videt, Mali, scilicet corui bonum ouum, & arboris male fructum curatione parua, bonum.

Apud Deum! non solæ vterum fæminæ gestant sed & viri.

Itaque, vt tu prægnantem facile intelligis serius aut citius parituram: sic & Deus, hunc aut illum præscit fore sancta prole fæcundum. Qua interdum graui di vel improbissimi.

Villici tui vxorcula, ouaturas gallinas, aut columbas videbit scilicet: non præuidebit homines generaturos Deus ipse? Improbos ille certe sæpe, nō improba prole graues, adspectat: quæ quia quandoque in vltimis improborum lumbis latet, ad senium vsque improbos illos expectat, aut tantisper, dum sancta progenies aut effundatur, aut erumpat.

Iudiciorum ista disciplina, Mulieribus, altero iam mense, granidis, ad tempus ignoscere, dum pariant.

An non vir ille Magnæ fidei Abrahamus ex vtero auorum idolatrarum in Chaldea?

Et Iob ex renibus (opinior) impii patris in terra Hus, vtpote quintus ab Esau, iudicio quorundam.

Plutar. to. 2 moral. tract de sera vltione numinis. Ezechias Regum Iuda imprimis opt. ex Achabo ac Iesabele, Dei hostibus coniuratis.

Pericles ille, Athenarum oracluum è familia (vt loquuntur)excommunicata ac deuota diris oriundus.

Et Pompeius etiam ille cognomento Magnus, Strabone patre ortus adeo Romanis odioso, vt cadauer eius è Sarchophago, in terram eciicerent, calcarentque.

Liberorum ergo adspectu, viuunt Parentes plerique, Deo ita Nutis, ac Reipublicæ prouidentiæ.

Supplemētonequitię. * iiij. *CORONIS peccati*, seu supplementum, j. vt mensuram peccatorum, Improbi expleant.

Hinc doctus ille Antistes: *Quod vnusquisque vel celerius vel tradius, prout peccatorum suorum modum expleuerit, iudicetur, euidentissimè quidem demonstratur, quandò de Sodomorum & Gemorrhaeorum interitu ac incendio, qui sua iam peccata repleuerant, ad Abraham Deus loquitur dicens: Clamor Sodomorum & Gomorrhaeorum repletus est, & peccata eorum magna vehementer repleta sunt De Amorrhæis vero quid dicit, qui sua nondum peccata finierant.. Nondū sunt repleta peccata Amorrhaeorum vsque adhuc. Quo exēplo manifestissimè instruimur, & docemur, singulos, secundum peccatorū suorum plenitudinem, consummari, & tam diu, vt conuertantur, sustineri, quamdiu cumulum suum non habuerint delictorum.*

Mat. 23 Hinc Christus ad Scribas, ac Pharisæos:

Et vos implete mensuram patrum vestrorum.

Hæ causæ vitæ interdum longiusculæ Improbo-

rum

rum, è quorum grege, si quisquā est vestrum, illum ego hortor vti eâ quæ ad pœnitentiam.

CONCIO. IX.

Them. *Statutum est hominibus semel mori, & post hoc Iudicium.* Heb. 9.

Dicendum hodie
1. *De 4. speciebus Corporeæ Mortis;*
2. *Earum nullā veremalā. Quæ omnium optima.* Propositio.
3. *Quid censendū, de tribus vltimus* AVE

I

De quatuor speciebus Corporeæ Mortis.

Meministis (opinior) positas nuper à me Mortes multas, è quibus illa, quæ Naturæ seu Corporis, cōmunior

Corporeæ illius, ergo quatuor nūc species ac modos pono.
1. *Naturalem;*
2. *Immaturam;*
3. *Subitam;*
4. *Violentam;*

Mortis corporeæ species quatuor.

* j. Naturalis mihi, DEFECTIO MERA CORPORIS CVIVSCVNQVE, AB ANIMA, HVMIDO CALIDOQVE CONSVMPTIS. Naturalis ea quid.

Trismegisti enim sensu, *Moritur corpus, cum non amplius ferre potest hominem.* Stob. ser. 117

Ita nonunquam candelam extinguit ac lucernam vis nulla, sed merus ceræ oleique defectus

* ij. Immatura, QVÆ ÆTATEM IVTSAM ADTINGI, VT VT VETAT, qualis mors Abelis: raptus Henoch: mors cuiusuis seu in cunis, seu anno æt. 20. 40. seculo hoc nostro, quo breuis vita. Immatura ea quid.

Sic poma dicis immaturæ lapsa, quæ sero Autumno dercependa, Vere primo cecidere.

Subita, ea quid. Plin. li. 7. ca. 63. * iij. Subita, QVA NVLLA AVT PARVA, INTER SANVM AC MORTVVM, DANTVR INTERVALLA, QVAQVA, ET CVICVNQVE EA ACCIDAT, qualis duorum Cæsarum, *qui nullis euidentibus causis, dum calciantur matutino, obiere:* quales mortes Her, Onam, Heli, Ozæ, Ananiæ, Saphyræ, Simonis Magi, &c.

* iiij. Violenta, QVA ANIMA CVIVSCVNQVE, QVASI FVRCA E DOMO SVA, VT VT, EXPELLITVR, ALIOQVI NONDVM EMIGRATVRA. qualis Mors Saulis, qui hasta; Iesabelis, quæ præcipitio, è Curiæ fenestris; Iudæ qui laqueo, &c.

Violenta ea quid.

Singularū inter se differentiæ. Dixi autem in Naturali, in Subita, & Violenta (CVIVSCVNQVE aut CVICVNQVE) quod ætati cuilibet, Naturaliter, Subito, ac Violente mori contingat.

Eccui ex vberisugis, vel lactentibus contingere Mors vel Naturalis, vel Subita, vel Violenta non possit?

Tacui vero in Immatura, quod ea solis accidat ijs qui infra Senium.

In tribus vltimis, addidi(VT VT, vel QVA QVA accidat) quod singulæ modis variis contingant. In Naturali tacui, quod ea, ex solo sit fomentorum defectu, aut vitio.

Naturalis defectum; Immatura, Ætatem; Subita, Moram; Violenta, Dolores adspectat.

Immaturæ, Subitæ ac Violentæ simul ac diuisim omnium, aliquis vnus capax: Subitæ simul ac Violentæ, quislibet: Naturalis simul & immature, aliquando omnes; Solius Naturalis, omnes, & quauis ætate capaces.

Naturalis, suauis: Immatura, tristis: Subita, suspecta: Violenta, crudelis; Omnes aduersæ Naturæ bono.

II. Mor-

II.

Mortem nullam Corporis vere malum. Quæ omnium optima.

Nullam earum veré malam, quæ animā adspectant.

Quemadmodum Mortem Corporis, vt Naturæ Totius rem aduersam, ac Boni, quod vitam adpellant euersorem, non est qui malam neget, aut indistincte adfirmet bonam: Ita & qua parte totius meliorem, i. animam solam illa adspectat, Mors quæuis mihi ex adiaphoris.

Mortem quamcunque corporis, aliquid adiectum facit aut bonam, aut malam.

Æstimant Morttem corporis nonnulli, ex
- 1 *Consequentibus*, vt bouem, aut equū, ex tergo.
- 2. *Accidentibus*, vt eosdem ex fronte ac palearibus.

* 1. *EX CONSEQVENTIBVS.*

Chrysostomus in hac parte: *Mors fratres* (inquit) *indifferens est & media. Non enim malum est Mors, sed malum, si mortuus tormentis tradatur. Neque rursus est bonum Mors, sed bonum, si defunctus sæculo cum Domino viuat. Quæ sunt post Mortem, ea vel bona vel mala sunt.* — *D. Chry. hom. 69 ad Antioch.*

Ex his quoque D. Augustinus: *Neque enim facit malam Mortem, nisi quod sequitur Mortem.* — *D. Aug. lib 1. ciuit. c 11*

Et Tyranni Magister: *Mors timenda non est, quā immortalitas animæ sequitur.* — *Senec.*

De fœlicitate hominis, vltimus dies iudicat. — *Idem in ep.*

Diuitiis Mortem compares, quæ Bonis, bonæ: Malis sunt pessimæ.

Bonam aut malam cēseri, ex antecedentibus.

* 2. *EX ANTECEDENTIBVS*, ac fronte, ego certe reer æstimandum.

Nam, vt in argumentis conclusio vera est aut falsa, pro antecedentium natura: ita morientibus ea bona vel mala contingunt, qualis fuit vita illo-

illorum anteacta; si bona, Bona, si mala, Mala.

Et velut à Conclusione non pendet falsitas aut veritas antecedentium; sic nec à consequentibus Mortem fit Mors, bona, vel mala.

Ergo ex fronte, ac pectoris palearibus Mortem æstimem Bonam, aut Malam potius, quam ex tergo, j. antica parte potius, quam postica.

Adde, quod concessa quadam animæ mortalitate, sublatisque finibus Bonorum & Malorum Cœlo & Inferno, j. esto sit Mors finis, non transitus: Mors tamen viri probi melior, quam improbi, vel ad morientis ipsius de anteacta probe vita lætitiam, vel ad spem memoriæ apud posteros & famæ

Ergo ab anteactis potius Mors æstimanda Bona, vel Mala.

Vtequi animos, ex capite, auribus, atque ore, equisones nostri censent: ita, ab anteacta ego vita, Mortem.

2. Cor. 11. Hinc illud: *quorum finis secundum opera eorum.*

Optime si ex antecedentibus ac consequētibus. Optime vero, si vtrimque, ex fronte scilicet ac tergo censeas. Nam Bucephalum reperire forsan possis, antica parte bouem, equum postica, id est, initio quidem scurram, sed tandem bonum patrem familias, & contra.

Vt Oratorum quandoque praua atque infelicia sunt exordia, Epilogi contra beatissimi:

Et fabularum sæpe explodendi prologi, quarum catastrophæ, totius theatri plausu dignissimæ: & cōtra: Ita vitæ nostræ non idem semper tenor: beatorum principiorum, sæpe exitus tristes, & infelicium contra beatissimi.

Mors omnis bona Bonis. Moriendi igitur quis modus optimus, quæ ætas, aut quod tempus rogas? *Audit Bonis, Mors quæuis bona Malis quæuis mala.*

D. Aug. li. 1. ciui. c. 11. Oraculum audi docti Antistitis: *Mala Mors putanda non est, quam bona Vita præcesserit.*

Mors vtra melior, an { 1. *Immatura,* / 2. *Natura.* } — E duabus vtra melior.

* j. *IMMATVRAM,* sit, qui præferat.

Menandri sensu, *Dilectus Diis in iuuentute moritur.* — Immatura quorundã sensu.

Apophtegma cuiuspiam fuit. *Optimum, non nasci proximum cito mori*

Et alterius: *Quem amat Deus is cito moritur.*

Quid? quod dono quodam, ac mercede optima Deorum, cito mortui Bitõ cumfratre, matris suæ vectores, & illi, quos mox dicebamus, templi Delphici architecti, cum à Diis, quod optimum esset, mercedis loco petiuissent?

Et Abel, & Henoch mature admodum rapti.

Et, *Mortem misericors sæpe pro vita dedit.* — *Senec in Troade.*

Fœlicitatem cito morienti um, metior, qua ex { 1. *Miseriis vitæ;* / 2. *Peccatis,* / 3. *Scopo viuendi;* / 4. *Senectutis malis.* } — Quam beatam putant ex quatuor.

* j. *MISERIIS.* Illas enim ceu ignium flammas præteruolando, sentire vix tùm possunt. — Miseriis vitæ.

Beatitatis certe species est quædam, non diu esse infælicem & indolenter vixisse.

* 2. *PECCATIS,* quæ non centuplicant, qui præripiuntur, vt faciles omnes ad lapsum sumus. — Peccatis.

* 3. *SCOPO VITAE,* beatitudine, ad quam rapi melius, quam lente duci. — Scopo viuendi.

Vt satis pugnauit, qui vicit: Satisque iaculatus (& sine bis quidem) qui scopum adtigit, & Rex salutatur: Ita (iudice me) satis vixit, qui nascendi finem adtigit gloriam: cuius terminata est virtus, qui acrioribus ventis, citius delatus in portum. — *Senec Consol ad Marciam c.20*

Vno modo multum est quod viuimus, si satis est.

Cani sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata.

Senium multi mature,& ante senectutem, adipiscuntur: plerique nunquam,qui etiam senes vitia retinent puerorum.

Isaiæ. Hinc illud: *Puer centum annorum morietur.*

Senectutis incommodis. Satius moribus,quam annis senuisse.

* 4 *SENECTVTIS malis*, quæ malorum ara, ac morborum asylum quoddam est.

Aristot. *Senectus naturalis morbus est* ait Aristoteles.

Teren. in Phormi. *Senectus ipsa*, quamlibet sana,*per se morbus est*, vt non sit febrium, catharrorum, & eiusmodi quasi sentina.

Cic. in Cat. Maiore. *Senectus plerisque senibus sic odiosa est, vt onus se AEtna grauius dicant sustinere.... quam vt adipiscantur omnes optant, eandem accusant adeptam.*

Vietum, & caducum omne est, quicquid Senectus habet.

Vnde & Senex dictus quibusdam,quasi seminex: aliis senes, quasi segnes,& ad res gerendas iam inutiles.

Auson. cidil. 14. *Expectata diu, votisque ipsa senectus optata malignis.*

Obiicit innumeris corpus lacerabile morbis.

Si subtrahitur huic malo, qui moritur puer an non beatulus?

Natura ceu fera ex aliorum mēte optabilior, causa duplici. * ij. *MATVRESCERE* contra malit aliquis, ab his causis.
- 1. *Promissis Dei in vet. lege:*
- 2. *Senectutis bonis.*

* 1. *A PROMISSIS Dei*, qui,seu boni aliquid, grandeuitatem Bonis promisit, Malis contra immaturitatem est interminatus.

Psal. 90. Exod 20. Leuit. 18. *Longitudine dierum replebo eum qui habitat in adiutorio Altissimi.*

A promissis Dei. Filiis in parentes piis, merces decreta, longæuitas.

Bonis omnibus dicitur: *Custodite leges meas atque iudicia, quæ faciens homo viuet in eis.*

Abra-

Abrahæ prædictum diuinitus: *Tu autem ibis ad patres tuos in pace, sepultus in Senectute bona.* Gen. 15.

Et de Dauide dictum: *Mortuus est in senectute bona plenus dierum.* 1. par. 29.

Simeon iustus, & timoratus responsum accepit à Spiritu sancto non visurum se mortem, nisi videret Christum Domini. Luc. 2.

Vox Ezechiæ dolentis: *Ego dixi in dimidio dierum meorum, vadam ad portas inferi.* Isai. 38.

Votum iusti: *Et videas Filios Filiorum tuorum.* Psal.

Contra Mortem immaturam impiis interminatur scriptura. *Anni impiorum breuiabuntur.* Prou. 10

Viri sanguinum & dolosi, non dimidiabunt dies suos. Psal. 54.

* 2. *A SENECTVTIS bonis*
1. *Diuinorum scientia pleniore;*
2. *Prudentia;*
3. *Paßionũ quiete;*
4. *Vita meliore;*
5. *Reuerentia;*
6. *Morte molliore.*

Senectutis commodis sex.

* 1. *A DIVINORVM scientia pleniore;* Nam dum in senibus corporis oculi caligant: mẽtis, acuuntur. Sapientia. Senec ep. 26

Viget animus, & gaudet non multum sibi esse cũ corpore.

Abisac illa, egregia forma, atque ætate integra, Dauidi iam seni quæsita Hieronymi senso (notat, senum indiuiduam comitem esse Sapientiam. D. Hier. ep. ad nepot.

Sedendo, iam ac *quiescendo*, ætate illos cellis ac sellis adfigente, *animus* Senum *fit sapiens.* Iob. 12.

In antiquis est sapientia.

* ij. *ET PRVDENTIA*, quæ de rebus agendis est, & senum quasi dos propria. Prudentia

Seni verba dare difficile est. Teren. in Andr.

Experientia Magistra sc. didicere. Legere, audiẽte, & videre illi multa.

Ouid. 6. Meta.

Seris venit vsus ab annis, consilium, ratio, sententia.

Cic. de Senect.

Quæ nisi essent in senibus, non summum consilium maiores nostri adpellauissent Senatum.

Idem ibidē

Apud Lacedæmonios quidem ij, qui amplissimum magistratum gerunt, vt sunt, sic etiam nominantur senes.

Cic. ibi. ex Homero. Iliad. 2.

Et Senes 70. Moysi adiutores.

Agamemnon *Dux ille Græciæ nunquam optat, vt Aiacis similes habeat decem, at vt Nestoris: quod si acciderit, non dubitat, quin breui sit Troiæ peritura.*

Hinc prouerb *Iuuenum lanceæ senum consilia.*

Affectuum trāquillitate

* iij. *PASSIONVM quiete*, Irarum Libidinum &c.

Senec. Agamen.

Quod ratio nequit, sæpe sanauit mora.

Vitia senescente homine senescunt, sola auaritia iuuenescit.

D. Hier. in quodā ser.

Teren. in Adel.

Ad omnia alia ætate sapimus rectius. Solum vnum hoc vitium affert senectus hominibus.

Attentiores sumus ad rem omnes, quam par est.

Per calcatos pergunt hostes, Amores, &c.

Senec. ep. 26

Vitia & vitiorum ministeria senuerunt.

Hoc se Cato ille maior consolatur apud Cic. *Si voluptatem aspernari, ratione & sapientia non possemus magnam habendam senectuti gratiam, quæ efficeret, vt id non liberet, quod non oportet.*

Cic. de Sen. Ibid.

Ea voluptates nullas magnopere desiderat, caret epulis, exstructisq; mensis, & frequentibus poculis, caret vinolētia, & cruditate, & insomniis.

At Iuuentuti, si æstus omnia Ætna insunt flagrantiores, oculisque mentis magnas tenebras obfundunt.

D. Hier. ad Nepotian. P. 3. ep. 7.

Adolescentia multa corporis bella sustinet.

Vita sanctiore.

* iiij. *VITA meliore à*
- *1. Natura,*
- *2. Pudore,*
- *3. Metu Mortis iam instantius.*

1. NATV-

1. *NATVRA*, quæ ineptos vitiis illos iam tandem facit.

Vitia ipsos deserunt, si forte ipsa ab ipsis non deseruntur.

2. *PVDORE*, qui deseri porro ab illis vitia iam serio iubet. Oculi enim, in eos, omnium, velut in scopum, intenti.

Episcopi scilicet illi quidam iuuenum sunt, & qui inspiciantur illis, ad exemplum: & vicissim inspiciant illos, ad emendationem. *Isai 65.*

Coguntur nuces deserere, ne vulgi fabula fiat, & per iocum audiant: *puer centum annorum morietur:* *Ouid lib. 1. Eleg: Cor. Gallus. 1.*

Turpe senex miles turpe senilis amor:
Turpe seni, vultus nitidi vestesque decoræ:
Crimen, amare iocos: crimen, conuiuia, cantus:

Adolescens luxuriosus peccat: senex luxuriosus insanit. *Senec. lib. 2. declamat. decl. 6.*

Longiores factæ sunt vmbræ vesperi, *Hier. 6.*

3. *METV Mortis iam instantis,* quem ad castigandos mores potentissimum late iam diximus.

* v. *REVERENTIA*, quæ illis, ab aliis, magna. *Salutari, appeti, decedi, assurgi, deduci, reduci, consuli* eos vbique in more, maxime Lacedæmone. Reuerentia. quæ Senibus ab aliis multa & magna penditur.

Et lege cantum: *Coram cano capite consurget.* *Cic de Senect.*

Magna fuit quodam capitis reuerentia cani.
Credebant hoc grande nefas, & morte piandum.
Si iuuenis vetulo non assurrexerat, & si Barbato quicunque puer. *Ouid. 5. Fast.*

Vt onerato currui cedit è via qui exoneratus est: ita seni annis & æuo iam graui iunior de via putat decedendum. *Iuuen. sat. 13.*

Sedere, & loqui seni imprimis datum.

Apex est senectutis autoritas: Consilia senum, prope Oracula: *Non in sententia solum, sed etiam in nutu autoritas.*

Multa

Cic de Senect.

Multa in nostro collegio præclara (ait Cato Maior) *sed hoc de quo agimus, imprimis, quod vt quisque ætate antecellit, ita sententiæ principatum tenet: neque solum honore antecedentibus sed iis etiam, qui cũ imperio sunt, maiores natu augures anteponũtur.*

Senec. ep. 26.

Denique si qui Senectutis sunt morbi, magna pœnarum meritarum sunt portio.

Morte leniore.

* VI. *MORTE MOLLIORE.*

Cic de Senect.

Quis exitus est melior, quam in finem suum, Natura soluente, dilabi? Non quia aliquid mali est ictus, & è vita repentinus excessus: sed quia lenis hæc via est subduci.

Non subito frangitur senex sed diurnitate extinguitur.

Lux distinctionis pręmissa censurę.

Ergo (inquit aliquis) Maturã ego Mortem malim, ab his causis.

Mors aut Finis, aut initium.

Cui contra sic ego: Mortem bifarie adspectari, qua
- 1. *Finis*
  - 1. *Entis,*
  - 2. *Bonorum vitæ huius.*
  - 3. *Peccandi.*
- 2. *initium Vitæ nouæ vel*
  - 1. *Beatissimæ,*
  - 2. *Miserrimæ,*
  - 3. *Mediastinæ*

1 Si Finis aut Entis, & Bonorum præsentiũ. Ita optima, quæ tardissima.

2 Aut finis peccãdi tũc optima, quę citatissima.

* 1. *SI QVA FINIS* vel Entis. j. qua illa, compositi est destructrix, ac quidem destructrix violenta, Mors adspectatur:

Et bonorum vitæ huius, quorum ipsa prædatrix est: melior mors sera, quam properata.

1. Nam, si est melius, esse, quam non esse, etiam in integro diutius esse, quã pauxillum esse, est melius.

2. Deinde, molliter desinere, quam violẽter præstat. Senum autem (vt ante diximus) Mors omniũ mollissima, minimeque violenta.

3. Et Senibus ita diuturnior Bonorum horum vsura, si tamen illi fęlices: alioquin, miseris Mortem Misericors cito pro vita dabit. *Dulce mori miseris.*

Vel

Vel qua Mors peccandi finis; tuum optima,quę citatissima.

* 1. *SIN qua initium vitæ novæ*, erit vel { 1 *Beatissimæ*, 2. *Miserrimæ* 3. *Mediæ*.

Si initium beatitatis, optāda citissima.

* 1. Si quà beatissimæ est initium, quo Mors properantius venit, hoc melius.

— *Ignauum est, rediturę parcere vitæ.*

Lucan. li. 1. Pharsal.

Optanda si aliquo dum deducit, vbi sit futurus æternus.

Cic. de senect.

Nisi forte, illisdem Mors tarda melior, qua coronarum incrementa, ab adiectis vita productiore victoriis.

* 2. *SI MISERRIMAE*, id est, qua illa est Transitus ad Infernum, ego Improbis Mortem præmaturam, nunc bonam censeo, nunc malam, pro improborum diuersitate.

Si pœnarū; etiam citissima optāda pertinaci.

Improborum enim alii { 1. *Pertinaces*, 2. *Resipiscētes*.

* j. *PERTINACIBVS*, ac Pharaonem olentibus aut Manassem, Mors ea optima, quæ citissima, scelera alioqui sua ac pænas aucturis, viuendi mora.

Ætatem habituri illi quidem Senum, sed vitia adolescentiæ nunquam deposituri.

Vt fructus putridos nulli, non vel septem æstatum, Soles coquent: sic nulla ætas, mentem dabit meliorem desperato.

Ad mētem redituro, tardissima, optima.

* ij *RESIPISCENTIBVS*, quibus bona illa speranda, Mors optima, quæ tardissima: ne per immaturam resipiscere non sinatur.

Nec *Senectus ipsa per se morbus*, & ara venientium à luxu prisco pœnarum, formidanda. His enim ictus, & sapit simul, & luit.

Quod libidinosa, & intemperans fecit adolescentia, senectus effœti corporis dolet.

Quæ corpus lædunt, animam iuuant.

Quæ

Quæ nocent, docent.

Vti aggere quaſſato, atque interrupto, facilior in vrbem irruptio; ita, corpore laſſo, ac fracto, facilior gratiæ ad mentem adceſſus.

Miche.1. *Infirmata eſt in bonum quæ habitat in amaritudinibus.*

D.Aug. Hinc illud magni viri votum: *Hic vre, hic ſeca, vt in æternum parcas.*

Si Limbi aut Purgatorii, etiam tarda optãda ante Chriſtum natis.

* 3. *SI MEDIAE*, qualis in limbo olim, nunc in Purgatorio, quibus in locis calamitates quidem; multæ, ſed ſpe certa meliorum reſperſæ: putem tempora etiam tum diſtinguenda.

Temporum aliud { 1. *Ante Chriſti mortem* / 2. *Poſt eandem.* }

* 1. *ANTE CHRISTI MORTEM*, Cœli ianuis nondum, per clauem Dauid, id eſt, Chriſti crucem, reſeratis, bonum Bonis tardiſſimè mori; vt nondum alio ituris quam ad Limbum.

Vita enim iſta etſi miſera, multis, tamen bonis eſt reſperſa: Limbus vero aut nullis, aut ſola meliorum ſpe certa.

Hoc adſpectu, bene olim iuſtis promiſſa lõgæuitas, muneris magni loco: & ipſis etiam ardenter optata.

* 2. *POST CHRISTI MORTEM*, Probis optimum cito mori, vt quibus paratus ad Deum nunc ſi tranſitus, Cœli iam portis bipatentibus.

Poſt Chriſtum natis citiſſima.

Itaque nunc Probi Mortem vouent, Vitam horrent, parati tamen in vtrumque cum Martino, populo eſt neceſſarium.

Sed (inquis) pulchrum eſt ſeneſcere.

Sap.4. Ego contra: *AEtas ſenectutis vita immaculata.*

Proba vita, Senectus optima.

Cani ſunt ſenſus hominis

Proba vita, Senectus omnium pulcerrima.

Dotibus Senectutis diues abunde, qui coluit Deum,

Deum, qui prudenter vitam instituit, qui à passionibus nihil passus, bene vixit. Et reuerentia plane vberiore dignus, quisquis ante annos fuit senex. More potius, quam crines reuerendi.

Condẽnat Iuuentus celerius consummata longam vitam iniusti. *Ibid.*

Cur optet quisquam, à Natura sero dari, quod cito Gratia, ac sua virtus illi iam pridem dedit.

Et porro gloriosius, virtute sua, quam, temporis dono, senuisse, j. bene vixisse.

Laus enim illius, tũc proprie nostra, alias aliena, & & vectigalis annorum.

Et vtilius. Conatum enim maiorum, merita ampliora.

Sed non pro Senibus illi honorantur,

At is honos plenior illis, ac verior, à Cœlitibus, Deoque ipso, propemodum è solio adsurgenti. Et honorãda.

Satis (senso meo) satis vixit, qui bene.

Breue tempus ætatis satis longum, ad bene viuendum, *Cic. 1. Tuscul.*

Satis se gloriæ vixisse aiebat Cęsar, actionum suarum solam desiderans gloriam.

Quicunque ad extremum fati sui venerit, hic moritur senex. *Idem orat. pro Marcello.*

Nemo (aiebat ille(*nimis cito moritur, qui victurus diuitius, quam vixit nõ fuit*; imo (vt ego sentio) *qui melius non victurus.* *Senec. ep.* *Idem consol. ad Marciam. ca. 20.*

Satis etiam, vel Ephebus, vixit qui virtuti, qui æternitati, ad quam natus. *Annos æternos in mente habui Consummatus in breui, expleuit tẽpora multa. AEtas senectutis vita immaculata.* *Psal 76.* *Sap. 4.*

An non satis dixit, qui etsi verbulo vno tantum, aut nutu, tamen persuasit?

Aut non satis pugnauit, qui, etsi gladio vix dum stricto, vicit?

Aut, non satis in scopũ is iaculatus, qui, etsi telo primo, Rex tamen sagittariorum salutatur?

Aut,

Aut, non satis cucurrit, qui brauium ac palmam adprehendit?

Quid refert (imo refert) citone, an tarde deferaris in portum? Optime enim omnium qui citissime.

Cic. de Senect.

Hoc demum, vixisse est, bene vixisse.

Neque enim histrioni, Vt placeat peragenda fabula est, modo, in quocunque fuerit actu, probetur: neque sapienti, vsque adplaudite, veniundum: breue enim tempus ætatis satis est longum, ad bene honesteque viuendum.

Senec. li. de breui. vita.

Quomodo fabula sic vita: nonquam diu, sed quam bene acta sit, refert.

Ioh. Damasc. in vita Barlaã.

Acutè id vidit Barlaam ille senex septuagenarius, qui Iosaphato de ætate sciscitanti: 45. annum agere se dixit, ac miranti adiecit: tacuisse se studio 25. annos, quod eos, in seculi vanitates impensos, crederet omnino perisse.

Improbis nulla ætas longa.

Iob. 7.

Hi Iobo dicuntur *menses vacui.*

Et Similius optime, qui sepulcro adpingi, iussit: *Hic iacet Similius vetulus septennis:* perisse scilicet cæteram ætatem ratus, quam Deo ac pietati non impendisset, curis Curiæ sepultus, & potius Imperatori suo viuens, quam sibi.

Isai. 38.

Ac forte etiam, hoc ipsum adspectauit Rex Ezechias, cum dixit: *Ego dixi, in dimidio dierum meorũ vadam ad portas Inferi*, vt qui media ætas in nugas euanuerat.

Genes.

Glossa in illud Isai. Ego dixi in dimidio.

Iustus, etsi vitę diariæ, audire tamen merito possit: *Mortuus est in senectute bona.*

Psal. 72.

Mortuus est Abraham plenus dierum.

Ephemerica, ac dialis sit, licet, vita Sanctorum, implent tamen dies suos (ait glossa.)

Probis vel dialis sufficit.

Dies illi suos viuunt, sed hyemales dixeris, quia breues.

Audi Regẽ prophetantẽ: *Conuertetur populus meus hic* (j. sapiet) *& dies pleni inuenientur in eis.*

Quid-

Quidni pleni dies illorum dicantur, quibus diei nihil perit, & nullus dies? *Nulla dies abijt, quin linea ducta superſit.* Fauſtus Andr.

Quo nihil actum boni, diem illum perire boni æſtimant.

Quidni pleni dies eorum, qui nullos ſibi certo promiſere, atque ideo, quouis die Morti ſe parauere.

Quidni pleni dies, etſi ante meridiem, aut primulo vitæ diluculo moriantur? veſperã enim nullius diei ſancti expectant.

Aliter *viri ſanguinũ & doloſi,* qui *nõ dimidiabũt dies ſuos.* Illis n. dies quot præteriere, periere, atque vtinam tantum in otio! non etiam damnoſo negotio! Alii ſperati dies Morte reſcinduntur. Pſ. 54.

Improbi, aut numerandi imperiti, aut (vt aiunt) Soli & hoſpite abſente, pro arbitrio numerantes, ſæpè falluntur.

Itaque vides, à fronte intuendum, Mors cuiuſquam bona ne an Mala? atque etiam à tergo, ſi id bonum, aut malum, quod ſequitur mortem.

III.

De tribus vltimis Subitâ, Lentâ, Violentâ, quid cenſendum.

De ſubita autem, ac Lenta Morte, fortè dubitetur, vtra melior, quod vtrique commoditas, & incommoditas ſua.

Scilicet: *Omnis commoditas, ſua fert incommoda ſecum.*

Equitas enim? citiùs tu quidem iter expedis, ac leuiore pedum labore; ſed ſumtus equitantis maiores, pericula lapſus plura, inquietudo corporis, & equo-

& equorum curæ maiores. Habet etiam peditatio sua bona, ac mala.

Et mortes istæ sua quoque.

Subitæ mortis cōmoda varia.

Subitæ enim Mortis hæc ferè bona.
1. Non timere Mortis irruptionem;
2. Vix sentire dolores;
3. Non territari spectris;
4. Non tentari, de Infidelitate, Desperatione, Præsumtione, &c. quod omnia fieri vix possint, momento.

Lentæ Morti contrà, illa eadem omnia insunt mala.

An non in bonis numeres, *sine metu Mortis mori?*

Plutarch. in apophe.

Epaminondas certè numerabat, cùm diceret: *Pulcerrimum mortis genus, in bello mori; primùm, quod cum laude fortitudinis, si pro patria deinde, quod breuis, neque diu crucians hominem. aut paulatim extabefaciens.*

Sed contrà, hoc mali Subitæ illi inest, quod ferè dedecorosa ipsa, ac suspecta.

Iob 34. *Idem ca. 21.* *Erasm. li de præpar. ad mortem.*

Audin' tu Iobum insinuantem? *Subito morientur.*

In puncto ad Inferna descendunt.

Et ni peior Lenta, quo solenne illud Ecclesiæ: *A subitanea & improuisa morte, libera nos Domine?* etsi nullam posse dici improuisam, multis conetur Erasmus, & id precis genus adrodat.

Eiusdem incommoda.

Subitæ verò mortis
1. Consolatione, qua
1 Ab amicis visitantibus, & orantibus, &c.
2. Ab inimicis vltro citroque pacem dantibus, & cupientibus.

mala

mala sunt carere
- 2. Auxilio Sacramentorum
  - 1. *Pœnitentiæ,*
  - 2. *Eucharistiæ,*
  - 3. *Vnctionis, armis magnis.*
- 3 *Mora, ad statuendum de re familiari.*
- 4. *Languore, qui supplicij meriti pars magna.*

Nam, *Quod nocet corpori, iuuat spiritum*, ait ille. *D. Amb.*

At contra, omnia hæc Lentæ morti insunt bona: Visitationes, Sacramenta, Consilii spatia, Languores, & id genus mile.

Cæterùm, hic mihi rursus frontem, ac velut palearia mortis vide, id est, antecedentia, ex quibus de catastrophæ est censendum. De Subita censendum ex anteacta vita.

Bona igitur fuit cuiusquam vita. & quæ mortem antecessere? Eidem ego auguror, à Subita nihil mali.

Media licet *nocte venerit Sponsus*, tamen, *quæ parata erant, intrauerunt cum eo ad nuptias.* *Matt 25.*

Neque eam deprecatur Ecclesia, sed ab affectata, aut supina cœcitate improuisam. Subita, tempus ad spectat, ac moriendi moram: Improuisa, noxiam securitatem, & ignaua otia morientis.

Si venerit Dominus in secunda vigilia, & si in tertia vigilia, beati serui, dummodo inueniri vigilantes. *Luc. 12.*

Sapientibus, nihil subitum, nihil improuisum, qui mortalia ex alto prospectant: Malis vniuersa, qui vix, quæ ante pedes sunt, prospiciunt.

Sanctum Antistitem audi: *Quantumcunque sero, de hac vita tollantur iniqui, subito & repentè tolluntur, quia finem suum cogitando præuidere nesciunt. Subitum est autem homini, quod antè cogitare nō potuit. Subito diues sublatus est, qui horrea, quæ præparauerat, deseruit, & Inferni locum, quem non præuidebat inuenit.* *D. Greg. in illud Iob 34 Subito morientur.*

Imparato mors omnis improuiſa, etiam ſi centenario veniat.

Fruantur licet iſti Lentæ Mortis commodis, Cõſolatione ſcilicet ab amicis, ab inimicis, auxilio Sacramentorum, languore, &c. non audes dicere, an aliquis illorum ipſis vſus.

Bonos ſubitò mori, vix dici poſſe video.

D. Anſelmus. D. Anſelmus mihi autor: *Non enim ſubito moriuntur, qui ſemper cogitauerunt ſe morituros.*

In illa quid probis ſolatii. Conſolatione, quæ ab amicis, Boni carent? ſed abundant illa maiore, quæ ab Angelis, quæ à Deo, quæ à Conſcientiæ pace.

Matt. 5. Carent illa, quæ ab inimicis? ſed nullos habent pacifici filii Dei. Nec ipſi quenquam odere, nec merito illos quiſquam.

Carent illa, quæ à Pœnitentiæ Sacramento, Euchariſtia, & Vnctione? At Sacramentorum rebus, imò & Sacramentis etiam illi maximè fruuntur, qui his indies vſi, ac ſæpè; neque, in vltimum diem, rerum tantarum (vt olim perperam quidam Baptiſmi) vſum diſtulere.

Virg. 6. Aeneid. Non differt iuſtus *fateri*, aut expiare, *in ſeram commiſſa piacula Mortem.*

Somnum ſeu capturus, ſeu relicturus, Mortem cogitat, idemque peccata vixdum commiſſa mox deplorat!

Pſ. 76. *Exercitabar, & ſcopebam ſpiritum meum,* inquit vnus.

Vita eidem agitur, aut tota ſine peccato, aut in luctu perpetuo de peccato.

Vnctione vltima illi carent? At Infirmis illa, & Peccatoribus, & Pugnaturis, vnctio maximè optanda: Hi autem, neque infirmi, neque iam in peccatis, neque in certamine vllo, aut valde paruo, victo iam olim hoſte, & milies ab illis fracto. Quo remedia

Luc. 5. non vulnerato? *Non egent qui ſani ſunt medico, ſed qui male habent.*

Aut, quò arma non pugnaturo? quanquam (si tẽpus sinat) nolim sine his abire vel sanctissimum.

Solebat enim dicere D. Augustinus *neminem etsi nullus sceleris sibi conscius esset, committere debere, ut sine pœnitentia migraret è vita.*

Poßidonius Calamens. Ep.

Neque infamia vlla ab hac Morte, si frons illius bona fuit. Illustrissimum huius rei exemplum en tibi, ex magno autore; Vir quidam, eruditione ac sanctitudine magnus, in Musæo suo repertus est mortuus, quà re cum plurimi scandalizarentur, sublatum mox offendiculum: Inuentus enim est qui mortuus erat, aperto libro, & indice tãgens versum hunc: *Iustus, si Morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.*

Quidam Doctor Theol. in lib Sap.

Ab illa nihil incommodi Probis esse, probat exemplum Illustre.

Sap. 4.

De violenta porrò eadem ferè censura, nisi quòd ea naturæ paulò aduersior, quàm Subita, aut Naturalis. Mala tamen non est, si frons eius bona:

Violentam parem cęteri.

Audi Censores magnos: *Non multum curandum est eis, qui necessario morituri sunt, quid accidat, vt moriantur, sed moriendo, quo ire cogantur.*

D. Aug. l. 1. ciu c. 1.

Non nocet Bonis, si occidantur vel subita Morte rapiantur, ait Anselmus.

D. Anselmus

Et Propheta. *Virum iniustum mala capient in interitu.*

Ps. 139.

Denique (o popelle) audi vel teipsum: *Qualis vita, talis finis*, inquis Prouerbio.

Virgil. 2. Aen. Idem 9 Aeneid.

Cura frontem mortis tuæ, & quæ eam antecedunt, & viues *in vtrumq; paratus*, imò audentior ibis in casus omnes.

Et Deo te hic credens, dicens: *fiat voluntas tua.*

Matt. 6.

Eam tantùm Subitam, Improuisamque Mortem deprecare, quæ dicit improuidentiam; nõ, quæ moriendi breuem moram.

Qualislibet *Mors peccatorum pessima.*

CONCIO IX.

Heb. 9. Them. *Statutum est hominibus semel mori, & post hoc Iudicium.*

FActa repetitione, sic propositum.

Propositio. Dicendum hodie.
1. *Quos vt plurimum feriat Deus, Morte aut Immatura, aut Subita, aut Violenta.*
2. *Cur quandoque etiam optimos, aut non malos.* Potentia ad bene viuendum calcaria.

AVE.

I.

Quos vt plurimum feriat Deus, Morte aut Immatura aut Subita, aut Violenta-

Prou. 10. Improborum ferè vitam esse breuem. Ita ferè se res habet: *Timor Domini apponet dies: & anni impiorum breuiabuntur.*

Eccles. 7. *Ne impie agas multum, ne moriaris in temp. non tuo.*

Viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos.

Apoc. 17. *Oportet illum Regem* (cui mulier insidet) *breue tempus manere.*

Matt. 20: *Propter electos breuiabuntur dies illi.* Principis improborum.

Cic. de Nat. Deorum. Lucan li. 2. Phatsal. Etsi fallit plerumque hæc regula. Senuerunt enim, neque subitò, neque per vim mortui, multi ex pessimis, vt Dionysius Tyrannus, & *Marius omnium perfidiosißimus.*

Vir feris, & Romam cupienti perdere fato, Sufficiens,

Felix,

Felix, euersa Consul moriturus in vrbe.

Impiis istis fere mors aut Subita, aut Violenta aut vtraqua:
- *1. Peccãtib in ipsũ Deum vel*
  - *1. Immediatè.*
  - *2. Mediatè*
    - *1. In sacra ea*
      - *1. Vsurpãdo,*
      - *2. Impurè tractãdo,*
      - *3. Adspectãdo.*
    - *2 Seruos Dei illustres*
      - *1. Sacros*
      - *2 Profanos.*
- *2. Sæuientibus in proximum.*
- *3. Sui nimium amantibus, per*
  - *1. Gulam,*
  - *2. Auaritiam,*
  - *3. Libidinẽ*

Maximè si insigniter improbi.

1. PECCANTIBVS immediate in Deum, vt blasphemis. — Vel in Deum. *4. Reg.*

Sic Sennacheribi Assyriorum Ducis in Deum blasphemia, Deo impotentiam liberandæ Hierosolymæ à se obsessæ obiectantis, castigata, cæde castrorum 185. milium ab Angelo. In armis enim ac loricis suis mortuus miles omnis repertus, & Dux ipse fugiens, ab altero filiorum, ante aram ipsam cæsus.

Puer quinquennis blasphemus, è sinu patris abreptus. — *D. Greg. l. 4 moral c. 18.*

ij. MEDIATE. vt sacra vsurpando. — *Num. 16.* Vel in Sacra.

Vulgatum, Chore, Dathan, & Abiron cum aliis 250. simul temerè sacrificantibus, cœlitus cõflagrasse, terraque absorptos malè perisse: — *Leu 10.*

Et Nadab quoque & Abiu, Aaronis filii, offerentes ignem alienum igne consumtos esse. — *Et Sophronio in prato spirituali.*

Et puerulos aliquot gregum pastores, in agro Consecrationem mysticã, & Missam perperam imitantes, cœlestib. flãmis pœnas dedisse.

Et ex recentioribus Iconoclastis quempiã, Crucis effigiem ab alto detrahentem, ab eadem ruente oppressum fuisse, fama accepi: & è Sacramentariis aliũ aliquem, qui sacras hostiolas, sputo, ad equi lupatum velut ad ornatum adfixerat, mox in fluuium ab equo delatum, absorptumque esse.

* iij. *SACRA impure tractando.*

2.Reg. 6. Oza Sacerdos, Arcam Domini, calcitrantib. bobus ruituram, importunè fulciens, percussus à Domino. Hebræorum enim sensu, cùm illa nocte vxorem adtigisset, illi sacrum illud feretrum adtrecta-

Matt 27. re nefas fuit, illo die.

Iudas à Communione corporis Christi indigna peior effectus, *abiens laqueo se suspendit.*

Et ex Pauli mente: *Ideo, inter vos multi infirmi & dormiunt* j. mortui multi.

D.Cypr. ser. Ex Cypriano aliquot tibi exempla.

5. de lapsis. * *SACRA* contra fas adspectando.

Num. 4. Lege ita cautum: *Aaron, & filij eius intrabunt sanctuarium, ipsi quoque disponent opera singulorum. Alij, nulla curiositate videant, quæ sunt in*

1.Reg. 6. *sanctuario, alioquin morientur.*

Percußit Dominus de Bethsamitibus 70 viros, eo quod vidissent arcam Domini, & quinquaginta millia plebis.

Sacra ideò mysteria j. secreta nominantur.

Tob. 12. *Sacramentum Regis abscondere bonum est.*

Lex æqua, ne ignari non intellecta contemnant scilicet, aut nota blasphement.

Actæonem ob visam Dianam sine veste cum Nymphis, in Balneo ferunt, in ceruum repẽte mutatum, & à canibus suis ipsius mox discerptum.

Nil accidat ausis sacra vsurpare, diripere, de mystarum manibus, è capsulis effundere proculcare?

Quoties aut terra tremit, aut tonat, aut fulgurat, toties sibi putent singula illa, ob illa minitari.

*iiij. *IN SERVOS Dei illustres*, vel Sacros, vel profanos. Vel in Sacerdotes aut Prophetas.

**IN sacros*, seu Sacerdotes, seu Prophetas, &c.

Quinquagenarii duo qui semel atque iterum cum suis temauere, Eliam ad Regem superbius adducere, ignibus cœlitus immissis conflagrarũt, cum quibus conflagraturus etiam fuerat tertius, ni piis blanditiis Prophetam deliniisset. *4. Reg. 1.*

Nàm cur Regem terræ potius audiat quisquam Aulicorum, quam Deum, *per quem Reges regnant?* *Prou 8.*

Regibus quidem parendum, sed *vsque ad aras:* quicquid vltro est, in vitio est. *Act. 4.*

Regibus Sacrorum censura: *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus.*

Summo ac Principi Regi, parendum potiùs, quàm Pro-Regibus, si forte aduersa imperia. *Vide Gellium li. 1. Noct. c. 3 de Periclis responso.*

Si *nemo potest duobus Dominis seruire. vnum sustineat, alterum contemnat.* Hæc alias. *Matth. 6.*

Pueri etiam 42. qui irrisorie Elisæo iàm annis graui, adclamauere: *ascende calue, ascende calue*: ab vrsis e sylua de repente egressis, deuorati. *4. Reg.*

Aiax Oileus, quod Cassandram, Priami Regis filiam, Vatem, Sacerdotemque Palladis, in templo ipso violasset, in mare, cum classe vniuersa, fulmine est correptus. *Virg. 1. Aeneid.*

Ananias quidem Azariæ filius, pseudopropheta (quòd falsò, quasi Domini oraculo, reditum Ieconiæ filii Ioachim. cum pop. e Babylonica captiuitate, instare prædixisset, confregissetque catenas, quas e collo Hieremias, Domini iusso, maioris captiuitatis signa, gestabat) audiit à Hieremia: *Quia confidere fecisti pop. istum in mendacio: idcirco, hoc anno morieris*, atque ita mortuus est. *Hier. 28.*

Achabi Iesabela illa, & crudelitate, & meretricio *4. Reg. 9.* bis lupa, e Curiæ fenestris eiecta est, & canibus pa-

bulo fuit, & mulier, & Regina, quod in Eliam, ac cæteros Prophetas, crudelior.

F. P. F. Ioã, Molanus Leodius. Loumæus ille, crudelis nuper Sacerdotum in Hollandia lanio, & viuorum infossor ad globorum ludum barbarum, à suo etiam cane morsus interiit, vt mihi retulit, qui mortuum Tyrannum, Mezentii genus vidit, & Molossum Tyrannicidam, viuum mortuo adsidentem.

Valesiæ stirpis pudor, merito, numeroque Rex vltimus, Guisiani Cardinalis, vncti, & vnctoris quōdam sui parricida, cultello Clementis confossus, debita immanibus factis fata subiit.

Ps. 104. *Nolite* (Profanæ manus) *nolite tangere Christos meos, & in prophetis meis nolite malignari.*

Isai. 6. *Semen sanctum erit illud.*

Sanctum nolite tangere.

Daniel. E Vasis sanctis, etsi inanimis, impurè potasse. Balthazarem Babylonium perdiderit: alios, templa saxea diruisse: & Moysi calceato vetitum sit accedere; & terram sanctam liceat cuicumque profano *Exod. 3.* Iudici, viua Dei vasa, ac tēpla, impunè violare?

Denique quæ facies æquitatis, ab armatis, inermos inuadi?

Vel in Reges; * *IN profanos*; quales Reges, ac Principes.

Num. 16. Ex iis, qui de Occidione Chore, ac sociorum, in populi Ducem Moysen obgannierat, dicētes: *Vos interficitis pop Domini &c.* (quasi dicerēt; plures, causa vestri, pereunt, quam hostili gladio?) quatuordecim milia cæsi, sexcingenti-præter cæsos cū Chore.

2. Reg. 1. Amalechites ille, qui Saulem, à se occisum Dauidi referebat, ab ipso Dauide, mox iussus occidi: Dauid, à mortis huius metu, religiosus, Saulem Christum Domini (quod potuit sæpe, nunc subrepta ad caput dormientis Regis lancea, sopitis custodibus: nunc adciso in spelunca pallio, etsi etiam ab eodem Dauid ipse de capite periclitaretur, & Saul Rex, à Deo reiectaneus esset) nunquā est ausus trucidare.

Perire

Perire si illum aut fato suo, aut externatium gladio maluit, quàm suo: imò & sic perisse doluit, & vltus est.

*v. SAEVIENTIBVS *in proximum*, vt Tyrannis.

Viri sanguinum, & dolosi, non dimidiabunt dies suos. Ps. 56.

Virum iniustum mala capient in interitu. Ps. 139.

Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt. Mat. 26.

Ethnicis id visum: *Ad generum Cereris, sine cæde, & vulnere pauci* Iuuenal. sat. 10.

Descendunt Reges, & sicca morte Tyranni, Senec. in Octauia de Nerone.

---- reddunt suis

Animam nocentem sceleribus, iugulum hostibus Idē in Herc. furēte act. 4.

Inquiunt enim multi: ---- *victima haud vlla amplior.*

Potest, magisque opima mactari Ioui,

Quam Rex iniquus.

*vj. GVLOSIS NIMIVM. Aut si ventri immoderatè dediti

Qui fastidiè remanet, veram Angelorum ambrosiam, carnium auidi, cæsi, cùm *adhuc carnes essent in ore ipsorum.* Num. 11. Psal.

Propheta nō malus (quod suasu pseudo-prophetæ, contra præceptum Dei pauisset: Leoni, in reditu, prædæ fuit. 3. Reg. 12.

Filii Iob, recurrentia cotidiè in orbem conuiuia agitantes; & Scopas (& quibus erat conuiua Simonides, etiam ipse interiturus, ni diuinitus antea esset euocatus, mercede sepulturæ) in mensa, ruentibus tectis obpressa. Iob. Valer. l. 1. cap 8.

Baltazar Rex, è sacris calicibus, in mensa potans, in mensa captus, cæsusque est. Daniel. 5.

Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad Infernum descendunt. Iob 2.

Gula protoplastos, & genus omne futurum, fecit mortales.

In qua-

Gen. 2.

In quacunque hora comederis ex eo, morte morieris, id est, iam inde mori incipies, aiebat Dominus.

Vel auaritiæ.

Act. 5.

* vij. *AVARI NIMIVM.* Ananias, ac Saphyra coniuges repente mortui, quod de agri sui prætio, aliquid, in fraudem publici Apostolorum marsupii, sibi subtraxissent.

Luc. 12.

Et, quà nocte, multos annos, repositis bonis, quietem sibi auarus Euangelicus promittebat, eadem *repeti animam suam à se* audiit.

Vt ostendatur scilicet, stultum vel de crastino tàm incerto, tam solicitum esse, vel maiores congerere commeatus, quò minùs restat viæ.

Gen. 38. Vel libidinibus. Gen. 1.

* viij *LIBINE crassa infamibus*, An non Her & Onam fratres vnius vxoris vicissim mariti, voluptates, quam prolis (quæ prima Legislatoris finis? *Crescite enim & multiplicamini, &c.* ait cætera, velut accessoria, silens) auidiores, in lectulo prope in vxoris sinu, à Domino percussi?

Quę etiam in coniugatis castigatæ.

Et olim Filii Dei, Diluuio redundante, omnes extincti, qui *videntes filias hominum, quod essent pulcræ, acceperunt sibi vxores ex omnibus, quas elegerant.*

E Sanctis orti scilicet, in impias familias (vt nunc Catholici, in Hæreticorum domos) inserabantur, magno corruptelæ sui-ipsorum, prolisque periculo.

Illis delectus vxorum & nimius, & nullus; Nimius, quà à forma; nullus, qua à moribus. Et Finis vna aut præcipua ineundarum nuptiarum voluptas.

Quod alii nuptiarum fines.

Septem maritos vnius Saræ, primos illos, voluptatem e Sara, non liberos captantes, an non dæmonium extinxit?

Matrimonium remedio esto & propagationi, nō voluptati.

Quasi ad potionem, aut catapotium, illo adcedendum.

Vt medicæ sorbitiunculæ vsus sobrius: ita & cõiugii. Aut tu Æger, aut ad ægram, aut causa prolis accede.

Augustino censore: *Complexus carnalis, propter filios gignendos filios, adhibendus est.* D. Aug l. 2. de consens. Euangel. cap. 1.

Denique steriles illi, ac stercorosi masculorum concubitores, ac Sodomitæ, *homines coram Domino pessimi nimis*; an non repentino cœli igne frixi, quo adhuc conflagrant, aut fumant? Genes.

Expedit, expedit, citò citissimè, condi tumulo tã turpia, tam fœda cadauera, humani generis pudenda, pestes, atque vredines.

Quandoq; & à Regũ peccatis, mortes illę

Accidunt etiam hæ Mortes à peccatis alienis plerumque, { 1. *Regum.* 2. *Parentum.*

1. *REGVM.* Etenim & hic verum illud? *Quidquid delirant Reges, plectuntur Achiui.* Horat. l. 1. ep. ad Lol-lium.

Alieno sæpe auro illi alea ludunt; & tergori tergoque suorum Magnates Patres insaniunt.

Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores. Psal. 128.

Pharaonem, Tyrannis sua, & Ægyptum prope omnem, in mare rubrum depressit. Exod.

Ob Sennacheribi vnius blasphemias, 185. milia armatorum internecione deleta.

Vnius ob noxam & furias Aiacis Oilei Græcorum militum partem magnam tempestas hausit. Virg. 1. Aeneid.

Quòd Dauid populum describi iussisset, cæsus ab Angelo, triduana peste, populus ingens. 1 par. 21.

Itaque hoc, aliaque multa adspectans Ecclesia Mater, sæpe orari iubet, pro Regibus, ne velut capite piscis corrupto, totum deinde corpus corrumpatur: aut ne strumoso, ægroque capiti j. Principi curando, brachium id est popellum, venę sectionem oporteat pati. (Vnde & orãdum pro Regibus.)

*2. PA-

Et à parentum:

*2. *PARENTVM quoque*, quorum vel peccata præterita, filiorum morte multantur; vel futura alioqui, tempestiuè procul arceantur: vel filiis, praue scelerum paternorum imitationis, via præcluditur.

Hier. 8.

Patres vestri comederunt vuam acerbam, & dētes filiorum obstupescunt.

Et hoc, ex arte. Nam, vt cui cancer pedem, serpēdo, adrosit, sensuque destituit. chirurgia, ad viuam vsque carnem. putrida, recidit: Ita Deus peccatorē, ad rerum externarum iacturam stupentem, neque dum satis sentientem, ad filios vsque, quasi ad viuam carnem, secat, vt sentiat.

Exod. 11.

Pharaonem certè, quem plagæ cæteræ vix vllo doloris sensu adfecerant, primogeniti mors maximè exulcerauit. Sed de Parentum culpis, nuper mihi rursus dictum.

Ab his ergò causis, non rarò illæ mortes.

II.

Cur quandoq; etiam optimos, aut non malos.

Bonos, aut non pessimos etiam Subitò plerumque mori.

Sed optimi quinque (inquis) vt paulò antè est dictum, aut non valde mali, etiam Subitæ mortis prędā. Quid causæ?

Huius tripartita mihi causa.
- 1. *Exclusio dolorum,*
  - 1 *Metus,*
  - 2 *Sensus.*
- 2. *Purgatio delictorum leuiusculorum,*
- 3. *Terror Improborum.*

1. Ad exclusionem dolorum.

*1. *EXCLVSIO dolorum.* Nam sic, aut breues, aut nulli propè, mortis Metus; & Sensus eius si quis, certè breuis ac lentus; qui celeritate ipsa moriendi, percipi vix potest.

An

An fortè hoc voluit Scriptura, quæ, de Bonorum morte loquens, ait, *non visuros, non gustaturos mortem.*

Vt, is vinum gustare negatur, qui in stomachum illud, velut in ocream iniicit potiùs, quàm infundit: contrà, qui sensim, ac pitissando velut sugit: (Nam gustationi certè vel aliquantula mora necessaria:) ita mortem dicitur gustare, qui moritur sensim, ac lentè: non gustare, qui Subitò ac raptim. *Luc.2.& 9.* *Matt.16.* *Ioan.8.*

Subitò correptum, quis, de morte veniente, horror? aut quis, de recessu dulcis vitę paulatim abeuntis, dolor adfliget? Mortuus, se inter beatos tàm subito locatum, potiùs stupens demiratur, nesciens propè, quà Cœlo irrepserit.

Raptus est huiusmodi in cœlum, siue sciens, siue nesciens, *nescio, Deus scit.* *2.Corin.12.*

In cœlum, quasi ex alio cœlo, sibi cecidisse videtur.

* 2. *PVRGATIO leuiusculorum delictorum*: Nam nonnunquam mors illa non adeò subita, quin, à maiuscula mora, dolor sit intẽsior, & corporis violenta quædam quassatio. 2. Ad expiationẽ venialium.

Deinde: apud Idiotas, ignominiosa ferè mors ista. Itaque Probi, ignominia immerita, meritas alioqui pœnas luunt.

Ozæ Sacerdotis temeritas (sensu meo) genere hoc mortis dumtaxat castigata. Nam certè, leuicula Ozæ temeritas, lance mea. *2.Reg.6.*

Primum.n. is Sacerdos: Itaque sacræ rei tangendæ potens, & capax. Deinde: Religio, ac Zelus, & si *non secundum scientiam*, illum temerarium fecit; timuit.n. arcæ iam nutantis casum. Denique: si mulierem tum adtigerat, certè non aliam, quàm suam: biberat, sed *aquam de cisterna sua, & fluenta putei sui.* vtinam, non, tempore non suo! *Rom.10.* *Prou.5.* *Gen.19.* *lib.Reg.*

Vxor Loth retrospiciendi curiosior, in statuam salis mox versa, huius ordinis.

De

De Propheta Domini, à Leone, præfocato in reditu, par Censura. Deceptus enim pseudoprophetæ mendacio (cum ieiunus iam, iusso Domini, recessisset) rediens, ieiunium soluit, in quo non contemnentis crimen, sed error decepti, fuit.

Ouid. *Simplicitas certè digna fauore fuit.*

Quid, si de cæsis Ducum quorundam exercitibus, populoque Dauidis, peste percusso, idem iudicem? Nam popellum, dictis Regum plerumque iniquis, incunctanter (etsi sæpè incōsultè) parentem quis grauiùs incuset?

Senec in Thyeste. -----*Facta Domini cogitur populus sui*
Quam ferre tam laudare.

3. Ad terrorem Improborum

*3. TERROR IMPROBORVM, nullius damno. Nam, etsi Probis nihil damni, ab hac morte (vt diximus:) tamen Improbis, hinc terroris plurimum.

Insueta profectò plus territant. Vides enim vt aduentantibus Noctis tenebris nemo territatur (sunt enim quotidianæ) vt terrentur omnes Solis Eclipsi meridiana, qualis in Christi, aut Cæsaris morte.

Virg. 1. Georg. *Ille etiam extincto miseratus Cæsare Romam.*
----*caput obscura nitidum ferrugine texit.*
Impiaque æternam timuerunt sæcula noctem.

Vbi seruius: *Constat occiso Cæsare in Senatu, pridie Idus Martias, Solis fuisse defectum, ab hora sexta, vsque ad noctem.*

Sed Naturales illæ populi Mortes, in frequenti vsu, & quotidianæ: Vnde & lentiùs, & molliùs mouent: Subitæ verò illæ, vt Ecclipses illæ Solis, rariores, vnde seriò ac potenter feriunt, maximè si eæ illustrium, ac proborum, quorum casus peruulgantur, & terrent: *Magnis subeunt animos autoribus.* *Iuuen. sat. 14.*

Qui tam argutantur secum.

Tum enim sic improbi mirando argutantur: Ita occidit

occidit iste tam probus? Tam subito? Inconfessus? Impastus mystico cibo? Inunctus? Bone Deus? *si in viridi ligno hac: in arido quid fiet?* Sed benè habet: Vir probus ex sæculo adhuc illo aureo erat; Pridiè rursus illo, ex aure Sacerdotis pependit, &c. Quam opportunè! Luc. 23.

Quid si mihi misero hæc sors, quotidiè furanti, fornicanti, &c. tot annos iam inconfesso? &c. Et *homo sum, humani à me nihil alienum puto.* Terent.

Redi igitur ad te (ô anime) & huic sorti citus obcurre.

Hæc si Deo finis (vti reuera est) Sequere Deum.

CONCIO XI.

Them. *Statutum est hominibus semel mori, & post hoc Iudicium.* Heb. 9.

Dicendum hodie mihi:

1. *Quanta hominum Improborum dementia, meliora in crastinum reie ctantium.*
2. *In Mortis periodo, ægrè licere per hostem pœnitere.*
3. *Deum, Angelosq; aut Sanctos, tum propositio parũ ad futuros pœnitudinis procrastinatoribus.* AVE.

I.

Quanta Improborum dementia, Resipiscentia procrastinantium.

Christianorum mira dementia.

Si iam Risor ille Democritus, aut Deplorator aliquis Heraclitus viuant: Deus bone! quam hic rideat, iste deploret, Christianorum dementiam; si tamen primum illi fide nostra imbuti, scirent è fide

nostra esse, Æternitatem tam Gloriæ, quam Pœnæ, pendere, ex momento vitæ benè terminatæ!

Dementia profectò nostra affatim ridenda, qui, in friuolis, ac seculi rebus, tam acutum cernimus; in summis, ac rebus lucis, adeo caligamus.

Temporariis adcuratissimè.

In friuolis enim quā studemus.	*1. Ordini!* *2. Celeritati!* *3. Certitudini!*	In summis quā eadem negligimus!

Studendo ordini.

* 1. *ORDINI.* In victu enim, ordinè cibos, potusque sumimus, hos in prandio, istos in cœna; hos primis, istos secundis mensis.

Fori in orationibus, quam scitè argumenta locamus!

Militiæ, quale benè ordinandæ aciei studium! Sanè enim fronti melior hic miles, iste alis, ille claudendo agmini.

In Agriculturâ, quam sciscitamur, quid primum serendum aut spargendum; quid primum euellendum, aut metendum!

* 2. *CELERITATI.* Primulo enim diluculo, Mercator in portu; Viator in itinere; Æger in medicinis.

Pers. sat. 3. *Elleborum frustra, cum iam cutis ægra tumescit Poscentes videas,* inquit.

Pub. Mimus. Opes, Honores, Dictaturas, Consulatus, &c. propè imberbes, canditati ambimus. *Mora omnis odio est.*

Quin, & tam citi ad perperam indicandum, sinistrè loquendum, ac detrahendum, vna omnes sumus; vt, serpentum instar (tam celeri scilicet linguæ motu pollemus) linguas plures vna habere videamur: præcipites quoque ad iras, rerumque censuras, nescii, quod ad pœnitendum properat, citò qui iudicat.

Idem.

* 3. *CERTITVDINI.* Certos amicos, quibus in re incertâ vtamur, opes certas, fundósque optamus. Certitas

Vendimus? Aut certum, notumque emptorem quærimus, aut fideiussorem: syngrapha, latifundia, vadimonia exigimus.

Fœneramur? aut commodatò pecuniam damus, dari malumus ar:has, quam aras tangi.

Aurum subæratum metuimus? mox ad aurifabrum nos, ac Lapidem Lydium.

Peregrinamur? terrâ malumus, ac boum ponte (vt aiunt) quam mari, & damnamus eos, qui primi ausi vitam credere exiguo ligno, in tantâ barbarie Maris, Ventorum, Scopulorum, Piratarum.

Flumina gelu stricta calcamus? singulo gressu tentamus.

Ciuitates, castra molimur? contra vim munimus. Præliamur? exploratores præmissitamus, qui rerum hostilium certiores reddant.

Vbique omnia vel tuta timemus.

Prouerbiis nostris fatemur: Accipere, beatius, quam accepturum esse inquimus.

Et illud: *Oculatæ manus, credunt quod vident.* Ex Plauto.

Et: Passerculus vnus in manu, melior, quàm duo in virgulto.

Et: Auis pulcra graculus, quod Galli captiosius dicunt: (*c' est vn bel oyseau, qu' vn geay* (vbi) (*geay*) abusiuè capitur, pro (i'ay) j. habeo, aut teneo.)

Adeo vbique, incertis relictis, certa sectamur.

At Virtutis studium, aut Resipiscentiam, proh dolor! in futurum relegamus. Vxoratus, senex, resipiscam (inquit) adolescens. Æternis in-curiosissimè prouidentiũm.

Nam *sera nunquam est ad bonos mores via* Senec in

Et, *quod ratio nequit, sæpè sanauit mora.* Agamemn.

Ah! Res adiaphoras tam Ordinatè, tam Citò, tam Certò curamus: Virtutem, Animam, Nosipsos, tam Confusè, tam Tardè, tam Dubiè?

Itàne (*ô ciues, ciues,*) *quærenda pecunia primum, Virtus post nummos.*

Proh hysteron proteron! proh Chaos indigestũ! Temporaria, Æternis anteferri? Tam seria, in tempus incertum relegari.

An verò Senectus, aut crastinum, iuris tui? Ecquis vas huius tibi, aut sponsor?

Seneca lib. 6. natu. quæst.

Fluit tempus, & auidissimos sui deserit. Nec quod futurum est, meum est: nec quod fuit, in puncto fugientis temporis pendeo, & magni est modicum fuisse. Eleganter ille Lælius sapiens, dicenti cuidam, Sexaginta annos habeo: Hos (inquit) dicis sexaginta, quos non habes?

Et ea relegãtium, à tempore certo, ac nostro, in incertum, & iuris alieni.

Præteritum enim euanuit: Futurum nondum est, neque illud arbitrii est nostri, sed Numinis.

Præsens tempus verè nostrum, quod prædo (cum opes eripit) eripere non, si velit, possit; sed illud ipsũ (ni citò vtimur) labile, ac lubricum valdè, & elapsum semel, nullæ reducunt preces.

Et tu, Tempori alieni arbitrii, salutem credis; ac non magis tuo, hoc est, præsenti?

Martial. lib 1.

Sera nimis vita est crastina, viue hodie.

Qui de iis loquendũ.

Fœlix, qui, de salute animæ, id loquitur secum, quod quidam, de cœna crastina, ad conuiuatorem.

Guido Bituric. ex hist. Eccles.

Messodamus enim ille iam senex, cum ab amico in crastinum vocaretur conuiuium; *Cur me vocas in crastinum (inquit) qui, à multis annis, crastinum non habui, sed Mortis aduentum in singulos dies expectaui, quæ nobis nunquam non insidiatur, donec nos incautos etiam interdum opprimat?*

Psal. Exod. 8. In Vitis PP.

Hodie, si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.

Apage, apage, ab ingenio Pharaonis, qui dicenti Moysi

Moysi, *Constitue mihi tempus, in quo deprecer pro te: respondit, Cras.* Dixisset potius miser, cum sancto olim sene: *Non cras sed hodie.*

Vt superstiosis omnis non admodum boni, auiũ nigerrimarum illa crocitatio,& feralium; à quibus his prouerbiis locus (*Coruo nigrior*; *Ad coruos* est,in malam crucem:) ita pœnitentiæ illa procrastinatio, & coruinum illud cras,nil admodum præsagiunt boni;atque haud scio, an præter procrastinatores,alios ex Christianis Infernus hauserit. Crocire & procrasti- nare omnis mali.

Quid,quod crocitantes corui ipsi, quamuis cras suum ingeminent, in aliud cras tamen à periculis auolare non differunt?

Procrastinant illi,in ramis cantillantes,si minantem videre sagittatorem, scilicet. Sed nec piscium quisquam, ita lentus, aut sopitus, qui visis retibus piscatorum,non mox pinnis, vt auis pennis, ocyus aufugiat.

Mugil certe, è piscatoris reti, tam citus exsilit, vt auolasse ille potius,quam exsiliisse videatur.

Et tu cessas,aut moraris, neque à Mortis æternæ periculo impendente,mox fugis?

Bone Deus! Hominem esse, aut auibus cœli, aut piscibus maris,in periculis suis,segniorem!

Quod genus hoc hominum,potens sub hoc casu ducere somnos? Virg.1.&2. Aeneid.

Iam,si temeritatis illi damnantur, qui exiguo, latique pollicis asserculo vitam hanc credunt; næ tu magis, qui æternam tuam salutem credis tantillo quidem.

Ecquantillo vita distat à Morte? quantillo Anima ab Inferno? ne asserculo quidem, sed spiraculo breui: & securus tamen in peccato viuis, aut futurum incertum expectas? *Potes hoc sub casu ducere somnos?* Quãtulo vita distat à Morte. Virg.4. Aened.

Quanto prudentior sanctus ille senex, qui cogita-

Ex Vitis PP.

gitationi suæ dicenti, *Cras penite:* respōdebat: *Non cras, sed hodie. Crastina enim dies non est nostra, sed tantum hodierna, & præsens, huic rei data. Cras enim voluntas Dei fiet.*

Vt Tempus futurum sit nostrũ; non tamen secura pœnitentiæ procrastinatio.

Sed esto. Futurum tempus sit (fideiussore etiam Deo) certissimè tuum: tamen neque sic ego tibi autor pœnitudinis procrastinandæ.

Quod ad eam altero rursus opus alieno Gratiâ Dei sc.

Ah! Demens! An ad resipiscentiam, Tempore solo, ac morâ est opus? An non (ac maximè quidem) & Gratia Numinis, sine quâ, frustrà omne tempus teras, conante libero arbitrio?

Philip. 1.

Deus est, Deus est, qui operatur in vobis velle, & perficere, pro bona voluntate.

Rom. 9.

Non est, Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei.

Conuerte me, & conuertar ego.

D. Aug. de grat. & lib arbitr. c. 17.

D. Augustino censore: *Ipse, vt velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens Vt velimus, sine nobis operatur: cum autem volumus, & sic volumus, & faciamus, nobiscum operatur.*

Idem ad Simpl. lib. 1. q. 2.

Idem: *Vt velimus, & suum esse voluit, & nostrũ: suum, vocando: nostrum, sequendo.*

Si Peccatum verè nuper Mortem dicebam: Certè, vt occidere, iugulare corpus potes; suscitare non potes (Opus enim illud, Dei solius. *Digitus Dei est hic*)

Exod. 8.

Vtque in lacum ac puteum, iniicere ipse teipsum potes; adtollere, solus non potes:

Virg. 6. Aeneid.

---- *Facilis enim descensus Auerni,*

Sed reuocare gradum, superasque euadere ad auras,

Hoc opus, hic labor est: Ita peccare, atque animum internecare solus potes; excitare, id est, resipiscere salubriter, non adiutante Deo, non potes.

Senec. in Herc. furente.

Non est, ad astra, mollis, è terris, via.

Deinde

Deinde: ipsa auersi peccatoris conuersio, qua ipse materia est admodum repugnax, laboriosior, quam mortui suscitatio. Non enim tantum in mortuo nihil repugnat, sed materia ipsa etiam valde adpetens formæ; quin & forma rationalis, resurgendi adpetentissima, si ei, post Mortem aut iam est malè, aut mala instant. In scelerosi autem conuersione, omnia pernicacissime conanti Deo resistunt.

Difficilem etiam tum Deo ipsi nostri conuersionem. Difficiliorē excitatione mortui. Et qui. Ratam esse.

Denique: vti raros ab Orco mortuos reuocat Deus (paucos enim admodum in vet. lege, tres in nouâ, Christus legitur excitasse) & dumtaxat Diui infrequentes, atque illos, non pro mortuorum voto, sed pro agentis arbitrio (id est, cum ei, cui licet, libet:) ita raro Peccator veteranus, verè ad Deum, Deo trahente reducitur, nec quisquis voluit id, aut sperauit, sed cum libuit, & de quibus libuit, cui licuit.

— Pauci, quos æquus amauit Iupiter, aut ardens euexit ad æthera virtus. Virg. 6. Aeneid.

Et tu, animam toties iugulatam, tot mortibus enecatam, tam facile, & cum tibi collibuerit, reuiuiscere[j. resipiscere] posse arbitraris?

Rem incertam, atque ex Dei maximè pendentē arbitrio, sibi stato tempore promittere, ea demum ingens insania.

An huius tibi fideiussor, atque obses, Deus?

Incertis igitur relictis (si me audies) certis vtêre; viues, viues nunc, iam, cum licet, neque animam toties, incertâ spe renascendi. j. pœnitendi, iugulabis.

Eleborum frustra, cum iam cutis ægra tumescit. Pers. sat. 3.

Poscentes videas. Virg 3. Georg.
Continuo culpam ferro compesce, prius quam
Dira per incautum serpant contagia vulgus.

II.

In Mortis periodo, ægre licere per Hostem pœnitere.

Sed demus, tibi & Temporis, & Gratiæ communis, ad hanc rem, fideiussorem Deum: Obices tamē pœnitudinis multi ac magni, in Morte, ab hoste magno ac potenti.

Dæmonē, in Morte; conuersioni nostræ obluctaturum Conatu maiore.

In Morte enim hostis sæuior.
1. *Conatu,*
2. *Numero,*
3. *Vultu.*

* 1. *CONATV*, quo nunc ille magno quidem, ac molesto (vt scitis) vtitur, sed tum longe acriore.

Senec. In Agamen. *Extrema primo nemo tentauit loco.*

Non enim ille ex illis, quorum initia feruor, media, tepor. fines, languor.

Vide Iuliū Front. lib. Stratagem.

Et, vt nunc sit acerrimus, non tamen illud Philosophi, de illo est: *Acres in principio franguntur in fine*, quales ferè Galli (Iulio Cæsari) initu præliorum ferocissimi, & plusquam viri, Leones primum; mox, si resistis, minus quam fœminæ, & ne agni quidem.

Cambus adsimilare illos possis, qui naturæ quidem procacis sunt; at mox, vt icti sunt, fugacissimi, quod apud Homerum, in Agamemnone, Achilles vituperat.

Incorporem illum hostem nostrum nihil fatigat.

Quem excicbit.

Conatus tunc acrior, qua ab
1. *Occasione.*
2. *Pudore,*
3. *Cardine rerum.*

* j *OCCASIONE*
1. *Angustiarum,*
2. *Ordinum turbatorum.*

Occasio angustiarū.

Occasiones certe multos vocant, & prosunt, ad victricem pugnam.

* *AN-*

ANGVSTIAE *Viarum*, Pontes, Montes Syluæ, Sol puluisque hostibus aduersi &c. magna pugnæ irritamenta, & momenta victoriæ.

Sol contra Gabaōne .... votum Iosue Balaamū extestat Angelus, hac arte, in angustiis geminæ maceriæ, ibique vbi nec in dextrā, nec in læuam, flexioni locus, vibratum gladium intentat. *Iosue 10.*

Angustiæ autem moribundi quantæ!

Animus, inter macerias duas, hinc vitæ huius, & hinc alterius, vnde nec diuertere, nec retrocedere, nuoquam potest. Propior Inferno, quàm Cœlo. *Angustiæ vndique.*

Spemque metumque inter dubius seu viuere credat. *Virg. 5. Aeneid.*

Siue extrema pati. Deinde desertus ille à defensoribus Deo, Angelis. *Omnes amici eius spreuerunt eam, & facti sunt ei inimici.*

Ergo, ab angustiis istis, tunc animosius hostem hostis geret. Dicet: *Deus dereliquit eum, perseq. & comprehendite eum, quia non est qui eripiat.*

Omnes inimici eius adprehenderūt eam inter angustias. *Thren. 11.*

Murilegi instar, murem suū Versipellis iste, in angusto hoc exitu, stricta vnguium acie, præstolabitur. *Psalm. 70.*

Dan coluber in via, & sicut cerastes in semita vt mordeat vngulas equi, vt cadat ascēsor eius retrorsum. In via (inquit) non in aperto campo. *Gen 49.*

* *ORDINIBVS* deinde turbatis, quanta occasio acrius irruendi; & quam tunc in promptu victoria! *Ordinum turbatorū.*

Terribilis castrorum acies, ordine potius, quam numero, in quo sæpe turba. *Cant. 6.*

Itaque Ducibus, bene ordinandæ aciei prima cura, & desertoribus, aut turbatoribus ordinum, sua supplicia.

Ordines autem suos cuncta in homine dese-

ruêre,Morte instante,Intellectus,velutCoryphæus, læsus,ac de gradu deiectus,cum Memoriâ &c.

Occasionibus igitur, ad pugnam acriorem hostis prouocatus, acrius etiam nunc impugnabit.

Et pudor toties victi.

* ij. *PVDORE*, qui, naturâ,Superbis magnus præsertim victis,iam sæpe,& nunquam,vel raro, ac serò victoribus.

Virg. 5. Aeneid.

Victis redit in præcordia Virtus, dispudentiâ.

Nihil autem Dæmone superbius, quem superbia deiecit,& eadem deiectum adhuc tenet.

Is si aliquoties à te victus, aut se à te moriente,& ad meliora conabundo,vinci timet; pudore præteriti,ac futuri metu,sæuior venit,ac dicit: *méne incepto desistere victum.*

Virg 1. Aeneid.

Nec posse, Italia, Teucrorum auertere Regem?

Vt vincar ego? Angelus ab homine?

Genes.

Vt luctetur Iacob cum Angelo, & complexu ita suo vinctum teneat?

Luctam illius vltimam, in Iobum iam sæpè victorem,vide:quam sæua illa, ab hoc pudore iam toties victi!

Et card. rerum.

* iij. *CARDINE RERVM*, vtrisque: illi, ac nobis.

Vincimus tum? æternum,nullo metu redintegrandi prælii,de hoste triumphamus.

Vincimur?sub iugum æternum missi sumus.

Vincimur vnâ,& vincimur

Quales conatus, impressionesque bellatorum vltimæ(vti Turcarum, iam aliquoties repulsorum, in Constantinopolim, Rhodumque) tales & Dæmonum,in cuiusque Morte:id est,acerrimæ.

Lucan. l. 1. pha.

Certatur totis concussi Viribus orbis.

Quales

Qualis futurus ille, in decliuio mundi magni,
aduersus omnes; talis in Microcosmi, aduersus singulos.

Sed (si magnis fides) is tum maxime sæuiturus.

Audi Prophetam: *Descendit ad vos Diabolus, ha-* *Apoc.* 12.
bens iram magnā sciens quia modicū tempus habet.

Audi interpretem magnum Greg. *Considerat* *D.Greg l.*
quippe, q iuxta sit vt licentiam nequissimæ liberta- *34.c.1. in*
tis amittat, & quantum breuitate temporis angu- *40.c. Iob.*
statur, tantū multiplicitate crudelitatis expāditur:

Nullus perniciosior hostis est, quam quem audacē *Senec.l 2.*
angustiæ faciunt. *nat. quæst.*

Maiora aut certe paria, conatur animus magnus *Silius lib.1.*
ac perditus.--Fractis rebus, violētior vltima virtus.

Quod extendere non sinetur, intendet.

Vt militaris insolentia maior, instante pace, quā
toto belli æstu; aut, cum receptui iam canendum,
quam prælio æstuante.

Vt epilogi orationum feruentissimi, & Catastrophæ tragicæ funestissimæ;

Vt agrorum fines maximè hostis infestat: ita &
in Mortis quasi vltimo conflictu, vitæque epilogo,
ac Tragediæ huius catastrophæ, & regni huius nostri temporarii fine, Dæmon toto furoris œstro debacchabitur.

Vt persequutio illa finalis magni mundi futura *Matth.* 24.
est *qualis ab initio non fuit, neque fiet,* Dęmonis Inuidiâ, Malitiâ, Astutiâ, experimentis cotidianis, succrescente: (Non sentis? Machinas æui huius vide, vel
audi. Nullæ sæculis vllis prioribus, tam terribiles, tā
sæuæ, tam potentes. *Virtutes cælorum* ipsæ propè i- *Idem ibid.*
psis *mouentur.* Et Hæreseon iam vis tanta, *vt indu-*
cantur in errorem etiam, si fieri posit, electi:) Ita Microcosmo j. homine quolibet moriente, maximè
sæuit hostis noster.

Prædictum iam olim: *Tu insidiaberis calcaneo e-* *V Beda in*
ius j. Fini vitæ, vel Christi, vel alterius (Bedâ autore.) *3 Genes.*

Item:

Psal 15. Item: *Ipsi calcaneum meum obseruabunt*

D.Greg l.6. moral. D. Gregorius in hac sententia: *Antiquus hostis, ad rapiendas peccatorum animas, tempore Mortis, crudelitatis effrænatur violentia; & , quos viuentes blanditiis decipit, sæuiens moriendo rapit.*

Exercitu pleniore. * 2. *NVMERO* etiam maiore sæuiturus. Tunc enim omnium mænitum solida acie concurret. Acheronta mouebit vniuersum; viresq; omnes extentabit

Luc.11. *Adducet spiritus alios nequiores se.*

Concilium deforme vocat, glomerantur in vnum
Innumeræ pestes Erebi, quascunque sinistro Nox genuit fœtu
Complentur vario ferrata sedilia cætu,
Toruaque collectis stipatur Curia monstris.

Iob.19. *Simul venerunt latrones eius, & fecerunt sibi viam per me, obsederunt in gyro tabernaculum meum.*

Thren.1. *Omnes inimici eius adprehenderunt eam, inter angustias*

Psal.55. Partim *hostes eius in capite:* partim *calcaneum* alii *obseruabunt:* coronabitur hostibus miser.

Psal.6. *Inimici mei animam meam circundederunt: adipem suum* (j. prædam pinguem) *concluserunt*

D.Greg hō. in Luc 1. Gregorius pulchrè illud Christi, de Hierosolymorum obsidio (*Circundabunt te inimici tui vallo*) de animæ, ex corpore emigrantis, obsidione à malignis spiritibus, interpretatur.

De Imperio, ac re summa, certaturi Reges, non modo ciues, sed fæderatos, sed socios accitos armant, quisque quos potest, ad hostem funditus delendum semel.

Pharao

Pharao quidem ille ſemper in Iſraelem ſæuus, nunc maſculos vix dum natos præfocando; nunc operas luti ac lateris improbas exigendo; nunc paleas negando; ad hæc, parcè nutriendo; & hæc quidem omnia ipſe ſolus, aut pauci cum illo dentifrangibuli exactores emoliti: At cum fugientem illum ex deſpoliabulo, Aegyptique ergaſtulo perſequi voluit, tum Aegyptum vniuerſam armauit equitatum, peditatum, ac currus coegit; *Exod.*

Certatum totis concuſſi viribus orbis. *Lucan. 2. Pharſ.*

Aſſimiliter non faciat, in hac rerum ſumma, hoſtis noſter?

Faciet, profecto faciet, & *tota certabit opum vi:*

Haud tanto ceſſabit cardine rerum. *Virg. 4. Aeneid.*

Tantis, tot, aliumque hoſtium conatibus, tu ſuperior, aut par eris, turbatus, fractus, ineruus; qui iſthactenus, integris etiam viribus, armatus, imbellia mera, ſub vnius iugum toties iſti? Scilicet.

* 3. *VVLTV*, quem varium ſibi, ac centiformem tunc adfinget. In ipſo certè hoc ſitum. Specie horribiliore.

In Angelum enim ſe lucis transfigurat. *2. Cor. 11.*

D. Mattino Imperatoria ſpecie viſus, Chriſtum ſe iactans, & latriam adfectans.

Ecqua non ille forma quondam Magno illi Antonio adparuit?

Imo, qua non figura & Chriſto ipſi? Primum enim, Eremitæ ſpecimine: aut alicuius ex Philoſophantium grege (vt opinor) ac tandem Imperatoris, aut Regis (vt olim alibi à me latius dictum, ac ſcriptum.) *In libro, cui titulus Monomachia.*

Multipatens hoſtis huius pectus, mille nocendi artes, ſpecies mille: è quibus tum quas volet, induet, veras, fictas, deformes, pulcras, (vt è re futurum illi)

hydras, apros, Chimeras: quasdam ad territandum, alias ad mulcendum, Proteo, tum ac seipso mutabilior.

D. Bern de interiori domo cap 38.

Quod probatum autoritatib.

Bernardum illum suauem audi, de re non suaui: *Laruales illæ facies animam in exitu præstolantur. Et, ex omni parte terrebant eam Dæmones terribiles, & horribiles.*

D Chry. hō. 54. in 15. c. Matth.

Exemplis seriis.

D. Chrysostomus, ex gestu, relatuque morientium id probat, cuius ecce tibi aurum purè sonans: *Terribiles visiones narrare solent morituri, quarum speciem nullo modo ferentes, & lectulos plerumque ipsos, magno, iacentes, impetu concutiunt, & toruis eos, qui adsunt, adspiciunt oculis, vel quia, vi à corpore rescinditur reluctans anima, vel quia spirituum speciem ferre non possunt.*

Seu Sulpitius in vit. B. Martini.

B. Martino adspectabilem adstitisse, ex Seuero disco, apud quem hæc vox illius, fidenter morientis: *Quid adstas cruenta bestia? Nihil in me funestè reperies.*

Diuorum.

Apud Aug. ep. 206. c. 3. & Cyril de obitu Hiero ad Aug. si tamen is autor. Et Marul l. 5. exempl. c. 10.

Passim lego, Eusebium quendam D. Hieronymi discipulum, quâ horâ migraturus erat, mirâ agitatione, circumstantes Monachos territasse. Nam nunc, transuersis, ac pauitantibus oculis, manibus compressis, facieque horridâ, clamitabat: *Non faciã, non faciam:* nunc, *Mentiris, mentiris.*

Mox faciem in terram, vi totâ, obfirmans, clamabat: *Adiuuate me [fratres] adiuuate me, ne peream,* quorum postea rogatus causam, à fratribus, respondit: *Non videtis Dæmonum agmina, parata ad me debellandum?* Non faciam, ingeminabam, cum me vrgerent in blasphemiam. Vultum terræ adfigebã, terribilia ora non sustinens.

Hugo. Cluniac.

Odiloni quoque Abbati Cluniacensi ægrotanti, Diabolum, tetrâ, horrendaque specie, propius adstitisse, est fama.

Quid

Quid? & glossa quædam in Abacuc, videtur opinari, hostem illum, etiam Christo, in Morte, insidiatum, à quo toties, ac tam fœdè anteà fuerat repulsus. Et Christi ipsius.

Quod ipsum, ista, quæ de Christo maximè est, prophetia insinuat: *Insidiaberis calcaneo eius*, sc. seminis, quod ex muliere nasciturum iam tum prædicebatur. Genes. 3.

Quò fortè spectat & illud Dauidis: *Ipsi calcaneũ meum obseruabunt*. Psal. 55.

Et illud Christi, de se: *Venit princeps huius mundi, & in me non habet quidquam*, j. pendenti e cruce mihi adstabit, & (si quà fortè aliqua illi ex me præda) opperibitur, licet frustrà. Ioan. 14.

D. Gregorius satis fauet: *Quia hunc mortalem hominem vidit, suum in illo mundi princeps aliquid inuenire posse credidit. Sed, sine vllo peccato à mũdi corruptione exiit, qui sine peccato in mundum venit.* D. Greg. hõ. 39. in Euag.

Iam, *si in viridi ligno hæc; in arido quid fiet?* Luc. 23.

Sic sic in columnam arietat, quid in arundinem?

Si canis ille trifaux Cerberus toties à mensâ (vt sic dicam) repulsus, redit ad optimos quosque in Morte importunus, vel tandem offam medicatum frugibus sperans; Quantò is magis ad improbos rediturus, à quibus sæpè blandiusculè, exceptus est? Et similitudine opportunâ.

Nam, & canum hoc cacoëthes, vt ad eos etiam inuitos importunè redeant, à quibus aliquoties in mensâ liberaliter sunt excepti. Fugas minis, fugas pede, fugas cultro in nares impacto, redeunt tamen; maximè cum animalia cæduntur, exenterantur, euiscerantur, si fortè os aliquod carnosum, aut ex intestinis aliquid, illis cedat.

Et Lupi, & Leones, sæpè ad ouilia illa recursant, à quibus

à quibus,aut in quibus bene pasti; Fugitant, in quibus egregiè pultati.

A Peccatore toties ille liberalius excipitur, quoties peccat(ille enim peccata nostra singula, pro offis,pro iusculo,atque in deliciis habet) &, cum moritur homo, illi rationale animal velut cæditur? & dubitetur, tunc homini vel inuito importunè adstiturum illum,ac præstolaturum,si fortè pingue illud hominis intestinum (anima inquam) illi cedat, aut porrectum,aut neglectum?

Plato lib. 10 de Rep. Imo mirarer magis, si tunc naturæ oblitus non rediret.

Valer. Max li 1 c.8 Macrobius in somnium Scip. Sed Ethnicis testibus etiam id firmemus. Ex Platone,& aliis aliquot, id videtur. Cum enim Erus Pamphilus nescio quis, in acie cecidisset, decemque diebus iacuisset, biduo post, quam inde sublatus est, impositus rogo,reuixit, ac mira quædam, tempore mortis,visa narrauit.

Et profano exemplo.

Et ratione ducta àTyrannorum praxi. Ratione etiam(si nondum campo cedis) peruincamus.

Principem huius mundi, sæpe Dæmonem dici lego,etsi vsurpatione ac Tyrannide,non iure. Verus enim nostri omnium Princeps Deus, sed & Dæmō nonnunquam, tentando,blandidoque, à Deo ad se, plerosque,pellectos,abduxit.

Quare bellaturos grauius premunt. Tyrannorum autem ars ferè ista Præsidiis, recenter captos tenent sub iugo:iugo autem iam adsuetis,præsidia aut omnino educunt, aut minuunt. Mox verò vt leuis fama, tyrannorum aures,aut suspicio læua mentem perculerit,victos,iugo excusso, libertatem capsare, aut,à vero Rege, pacem poscere:simulac exploratores, colloquia, literas vltro citroque mitti, quamlibet obscure, olfaciunt: tum Tyranni ipsi ad illos aduentantes; præsidiis auctioribus iniectis, obstruūt aditus omnes libertatis.

Senfistis ipsi, Tyrannos ac Satrapas Batauorum

(simul-

simulac, popellum suum, pacem sperare, ac spirare, In Nuptiis Sereissimæ Infantis Isabellæ, hæredis veræ (sensere) nil non molitos, ne qua via pateret ad Pacem: Etiam, de ipsa pace loqui quemquam, pæna capitis (vt audio) vetuerunt.

Sed Diabolus Tyrannorum astutissimus: Igitur ille mox, vt victos nuper, aut deditos, moleri, iam tandem in Morte defectionem à se, ad iustum Principem Deum, ex suspiriis, lachrymis, occultis cum hoste, per Sacerdotes, quasi exploratores colloquiis, odoratur veterator; *Arma viri, ferte arma, vocat lux vltima victos* (inquit) adest & ipsus, præsidiis firmioribus comitatus, ne Dominum mutent. *Virg. 2. AEneid.*

Excutiunt Dominos vrbi seruire parata. *Lucanus*

Vti Laban, Iacob generum suum aufugitantem est persecutus, seruis armatisque stipatus. *Gen. 31.*

Et Pharao Israëlitas, *viam trium dierum* in desertum meditantes, nouis oneribus grauauit, paleas minuit: & mox serio, siccis per medium mare vestigiis, fugientes tota Ægypto ad arma excita, est insequutus. *Exod. 3. et seq.*

Ita, si tu de fuga, ac *via trium dierum* cogitas, id est de Contritione, Confessione, Satisfactione: Si Ægyptum, eiusque tenebras serio videris desertu-rus, iamque es mare rubrum pœnitudinis, & sanguinis Christi, ingressus: totis te Inferni legionibus Hostis persequetur.

Et tu tum speres aut erumpere, aut erepere, aut eripi? Aut falso, aut dubie admodum, qui nunc tam es pertinax.

III.

Deum Angelosque, aut Sanctos tum parum adfuturos pœnitudinis procrastinatoribus.

N Sed

Cant.3. Sed Deus, sed Custos me meus, aut è Diuis aliquis adiutabit (inquies.)

Psal. *Lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt, propter timores nocturnos.*

Non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel.

Bonos in Morte adiutari, Obstinatos deseri à Deo & Angelis.

Et Israël, victor erupit, Pharaone atque acie in mare depressis.

Adiutari ego quidem tum Bonos, tota fide credo: Pertinaces contra aut deseri, aut raro insuetaque Dei clementia propugnari.

Psal 90. *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te* quidem *in omnibus viis tuis:* At Viæ tuæ labi, ac mox surgere. Labi autem, ac iacere velle, Diabolicum est non humanum.

Deinde: Cur audiat Deus & Dominus, seruum inuocantem, qui sæpe ad Dei & Domini intus, ac foris, per seruulos Concionatores vocantis, magnos iteratosque clamores, tam studiose obsurduit?

Prou.1. Audi hoc ex ore Dei: *Vocaui, & renuistis, ego quoque in interitu vestro ridebo.*

Baruch.2. Et ex propheta: *Quia non audierunt vocem tuam (Domine) ecce mortui sunt in doloribus pessimis.*

Thren.1. *Omnes amici eius spreuerunt eam, & facti sunt*

Prou.8. *ei inimici.*

Psal. *Sancta Sãctis: Digna dignis.*

D.Aug. *Qui mane vigilauerit ad me, inueniet me.*

Iure optimo. *Pro hoc orabit ad te omnis Sanctus, in tempore opportuno.*

D.Hier. in illud Hieren. 2 in tẽp. afflictiõ. suæ dicent. Surge, & libera nos.

Israëlem adiutauit, sed sæpe conatum ad libertatem: Tu toties luctatus in Deum, ne abduceret, cũ collibuerit, adiutabere? Vix reor.

Egregie duo illi Soles: Aug *Non facile inueniuntur in aduersitate præsidia, quæ non fuerunt in pace quæsita:*

Et D. Hierony: *Imprudens (inquit) postulatio, tẽpore necessitatis & angustiæ, ab eo quærere auxiliũ, quem in prosperitate contempseris.* Ciuita-

Ciuitati, quæ Præsidia, seu hybernatura, seu contra casus omnes, à Princ pe missa, prosperis rebus, respuerit, iactans ciuium centena signa: si, hoste, post aliquot dies, de subito irruente, viribus iam suis ipsius parum confisa, Principi supplicet, de milite præsidiario immittendo, petita (si iure agitur) Principem daturum putas? Ne potius hostem sinet arietare, tonare, muros solo æquare, ipseque, è specula despectans, irridebit.

Videbit quod infirmata sit manus, & clausi quoque defecerunt: residuiq; consumti sunt. Deut. 32.

Et dicet: vbi sunt Dii eorum, in quibus habebant fiduciam?

Surgant, & opitulentur vobis, & in necessitate vos protegant.

Itaque, hoc ipso efferatius hostis fodicaturus, irruiturusque in morientem. Psal. 70.

Audin' *Dixerunt inimici mei mihi, & qui custodiebant animam meam, consilium fecerunt in vnū dicentes: Deus dereliquit eum: persequimini, & cōprehendite eum, quia non est qui eripiat.*

Non est salus ipsi, in Deo eius.

Igitur, certa incertis præfer, & cito ad Deum, atque ad te redi. Itaque pœnitudo festinanda.

Memento Creatoris tui, in diebus iuuentutis tuæ antequam veniat tempus afflictionis tuæ.

Ante Iudicium, para iustitiam tibi, ante languorem, adhibe medicinam. Eccles. 12.

Non modo reditum voue sed iam redi ac citissime. Eccli. 18.

In cloacam proiecto, ac, sub iugo Pharaonis, posito, omnis sit longa libertatis mora.

Tam prudens in negotiis sæculi, in iis, quæ lucis sunt, caligabis? Non etiam illic Ordini, Celeritati, Certitudini studebis?

Velis quod possis, & cum possis velis.

Iam si libet, licet.

CONCIO XII.

Heb. 9. Them. *Statutum est hominibus semel mori, & post hoc Iudicium.*

Dicendum hodie rursus
1. *Pertinaciter Improbos, à Deo atque Angelis, in Morte desertum iri*
2. *Cogitationi de salute, tunc aduersatura multa.*
3. *Cur Morientes, redire vix possint ad Deum. Itaque sanis ad meliora festinandum.* AVE.

I.

Pertinaciter Improbos, à Deo, atque Angelis in Morte desertum iri.

Vnũ hoc rursus inculco, & repetens, iterũ iterũque monebo, quia magnum, & contra illum late patentem multorum, magnorumque morbum, pœnitendi procrastinationem: nemini scilicet pertinaciter improbo, quidquã, in Morte, de Dei, aut Angelorum præsidio, sperandum.

Vti plane, is miser, sed haud scio, an etiam miserandus, qui *in die bonorum, malorum memor nõ est:* neque æstate nidum componit, neque serit, aut metit, dum ius fasque est: Ita peccator miser (eoque miserior, quod mali sui ignarus) *qui in hac die, quæ ad pacem* (i. qua pacis fœdera, cum Deo icere potest: vel, qua, velut alta pace fruens, suauiter viuit) insolescit.

Luc. 19.

Improbos à Dæmonib. grauissimé impugnatum, iri in Morte.

Etiam Christo ipsi ciuitas huius farinæ Hierusalem: lachrymas extorsit.

Caue sis tibi, ac propera senire. Tanta enim tentationum, in Morte, tempestas, vt morum egregius ille

ille Magister Gregorius, quæ de Hierosolymorum obsidio, excidioque vaticinabatur olim Christus Dominus, ad hominis emigrantis calamitates moliter detorserit. *D. Greg. hom. 39. in Luc 19.*

Circumdabunt te (inquit) *inimici tui vallo*, i. Dæmones, ipsi nostri odio capitali flagrantes, & nostro pariter digni.

Nam qui sunt humanæ animæ maiores inimici, quam maligni spiritus qui hanc à corpore exeuntē obsident, quam, in carnis amore positam, deceptoriis delectationibus fouent? *Idem ibid.*

Quam vallo circundant, quia, ante mentis eius oculos reductis iniquitatibus, quas perpetrauit, hanc ad societatem suæ damnationis trahentes coarctant, vt in ipsa iam extremitate vitæ deprehensa, & à quibus hostibus circumclusa sit, videat, & tamen euadendi aditum inuenire non poßit, quia operari iam bona non licet, quæ cum licuit agere contemsit.

De quibus adhuc aptè quod sequitur, intelligere valet.

Circumdabunt te, & coangustabunt te vndique, Maligni quippe spiritus vndiq; animā coāgustant quādo ei, nō solū operis, verum etiā locutionis, atque insuper cogitationis iniquitates replicant, vt quæ prius per se multa dilatauit in scelere, ad extremum, de omnibus angustetur in retributione.

Circumdant, adambulant, obequitant morientem, & agminantim, *ad terram prosternūt*, non corpus modo, ante Mortem, è lectulo, nonnunquam proiicientes in terram; aut, post Mortem, è lecti ferculo, in feretrum ac sepulchrum; sed & animum certe tum vehementissimè fodicant, deiiciunt, ac consternant,

(Senso meo) hæc tantæ deiectionis prognostica, auxilium vniuersim omne omnium, morienti defuturum notant.

Coangustabunt plane, & scelerum factorum, infecto-

fectorumque, & Iudicis ſeueri commemoratione. Deum enim illi, quem olim agnum, pro te Iſaaco mactatum, &, amore tui, crucifixum, tractabilem, omnique lana ac cera molliorem iactitabant; tunc durum, ſeuerum (Draconis inſtar) legum exactorem: non Deum, ſed Leonem declamitabunt. Ita Pictores illi dubii, bifrontem pingunt Deum, quem, alio atque alio tempore, aliũ aliũque hominibus oſtentant.

Qui olim confidētiæ ariete vtebantur.

Prima tabella: Patris indulgentiſſimi ſpecie, ſereniſſima fronte, & quaſi ad leuiuſcula cõniuentis *cognoſcentis figmentum noſtrum*, amplexantis, oſculantisque prodigos quamlibet ſero reuertentes, demum ad pœnas pigerrimi, ac cum dolore, auerſoque vultu punientis figurant, quam viuentibus nullo non momento oſtentant.

Pſal.

Luc. 15.

Altera, Iudicis ſeueriſſimi, non ampilius Sereniſſimi, omnia rimantis, nihilque miſerentis, ſpecimine (Manlium aliquem Romanum putes, aut Atticum Draconem, aut Rhadamantum) quam in agone poſitis (altera iam aut ſubducta, aut obducta) importune obtrudunt.

Peccata deinde multa grauiſſima, & quæ iam olim in confeſſo, & quæ nunquam in confeſſo apud Sacerdotem fuere, & (quorum ne meminiſſes, tot artibus hactenus vtebãtur, ne in aurem Sacerdotis, per Confeſſionem effuſa, delerentur) enumerando amplificabunt atque ita *ad terram proſternent te*, & conſternabunt. Tum dubitas? Iſta etiam in optimos quoſque iſti conantur.

Luc. 19.

D. Greg. hom. 39. in Euang. Luc. 19.

Audi Regem ſacrorum Gregorium:

Ad electos quoque egredientes veniunt, & ſuum in illis ſi an præualeant, requirunt.

Probatum Autoritate Exemplis fide dignis Stephani Monachi

Climacus certe refert Stephanum quẽdam, monachum ſanctiſſimum (etſi annos 40. iam eremi incola, ieiuniis, lachrymis, orationibus ac virtutibus aliis, ſerio incubuiſſet, tamque proximè pri-

mæuam Adami innocentiam adtigisset, vt illo altore Leopardus, fera alioqui intractabilis, instar catelli cicuris, vereretur) in agone vitæ vltimo, à Dæmonibus, criminum multorum adcusatum, obstupuisse.

D. Bernardus quoque, prope, de spei arce, à Dæmone deiectus, coactus est vrgenti, qua spe tandem, aut iure, Cœlum expectaret? respondere *se quidem meritis suis illo non adspirare sed Christi, cuius Cælum esset, duplici iure: Filii primum, deinde Emtoris*; vel (si mauis) iure Hæreditatis, & iure Passionis, quorum, altero sibi seruato, alterum Bernardo cessurus esset. D. Bern. in vita

Iam, si istos muro quouis aheneo firmiores, illi, machinis huiusmodi, prope deiecere non iisdem *ad terram prosternent te* infirmum, Improbum semper, atque hactenus pertinacem? *Luc. 19.*

Quin forte etiam tum tibi facient nimis misericordem Deum, &, ex hæretico errore, sola fide contentum, aut, ex Atheismo, fingent nullum: vt ne vel sero timere incipias. Nunc confidētia nimiâ, aut Atheismo.

Qua, qua id demum illi præstent, ceu dolo, seu virtute, *ad terram* tamen *prosternent te*, maxime à nullis adiutum. Desertum tūc iri hominem ab Angelo custode.

Nam porro nota illustri dignū, quod, ante Hierosolymorum excidium, auditæ per aëra voces istæ (*fugiamus hinc, fugiamus hinc*) velut Angelorum illos deserentiū, quos custodire soliti essent, & Sanctos, velut fida præsidia, ab indignis euocantium.

Opinor enim tum etiam custodes ipsos nostri Angelos, procul ab obstinatis, quasi, ex indigna vrbe, præsidia, iri reuocatum; ipsosque, Dei iusso, inuicem se hortaturos, ne deinceps, contra edictum Dei desertum tueri quisquam audeat.

Hoc audi ex Isaia: *Expectaui, vt faceret vuas & fecit labruscas* (i. dissimulaui, spe meliorum, & ecce *Isai. 5.* Quod Isaias insinuat

omnia in penis ruere, & retro sublapsa referr.). *Igitur nunc ostendam vobis, quid faciam vineæ meæ. Auferam sepem eius*(gratiæ meæ præsidium) *& erit in direptionem* (patebit prædæ Dæmonum) *diruam maceriam eius*, (Angelorum præsidia reuocabo (*& erit in conculcationem*) id est, quod Christus ait, *Ad terram prosternent te.*) *Ascendent super eam vepres, & spinæ*(peccatis magis, magisque intricabitur, &(quod malorum est extremum) desperatione salutis, quasi occultis in corde veprib. lancinabitur.)

Luc.19.

Saul primum à Deo, ac deinde à suis, aut absentibus, aut dormitātibus desertus: mox quàquàuersus hostili Dauidis gladio patuit, nisi clementissimi victoris manus parceret: idēque tandem, à Philistęis victus, suo se gladio exspes occidit.

Et tu, animam Improbi non desertum tunc iri, à Deo, Angelisque nunc custodibus, putes? aut Dæmonum, nihil Dauidis spirantium, crudelitati tunc patentem, neges fore in direptionem, in conculcationem? experire id, sodes.

Imo & à se ipso.

Quid? etiam (senso meo) ipsus se ipsus est desertus, menteque totus, in Hispania vltima peregrinabitur, sui rerumque suarum oblitus.

Terribile id quidem, sed tamen ex mente viri maximi : *Percutitur etiam hac animaduersione peccator, vt moriens obliuiscatur sui, qui dum viueret, oblitus est Dei.*

D. August. ser.3. de Innocentibus.

Lethargo scilicet imbuitur miser, & Lethe tota illi, cœlitus, occultis meatibus, infunditur.

Somnum Epimenidis interdum indormire illum dicas?

Quin, & frenesi, apoplexique linguæ plerique iuste flagellantur, vt cogitare, aut loqui salutariter tum non possint cum velint maxime, qui alias sapiendi fandique potentes recte aut sapere, aut fari, noluerunt.

Vna sensus internas externasque tollitur, euanescit intellectus.

Prædictum id iam olim: *Lucerna Impiorum extinguetur.* *Prou.13.*

Et in confesso: *Lampades nostræ extinguuntur.*

Iure summo, lux, à Deo velut exsufflatur, cum ea maximè opus: & auditus, ac linguæ vsus illis adimitier, qui, aut *ambulare dum lucem habent, ne tenebræ eos comprehendant* aut audire, & sapere, aut lingua vti ad aurem Sacerdotis omnino nunc nolunt, cum ius, fasque est. *Ioan.12.*

Certe ferunt, è fœneratorum grege quempiam, multa, multis in Morte legantem, fassum se animæ suæ oblitum, cum Sacerdos illum animæ etiam procurandæ admonuisset.

Quid mirum? *si non est in Morte, qui memor sit Dei,* cum sæpe etiam multi obliuiscantur sui? *Psal.*

Tutane igitur dilata in illum diem pænitudo?

Serum, Serum est cauẽdi tempus, in medijs malis. *Senec. in Thyeste.*

Ergo, *ambulate dum lucem habetis, ne tenebræ vos comprehendant.* *Ioan.12.*

Operamini, dum dies est.

AEstas non semper fuerit; componite nidos.

II.

Cogitationi de salute aduersatura tunc multa.

Sed esto: non sit crudelis adeo, vt rideat in interitu tuo Deus: neque te Dæmon terriret, aut spectris, aut suggestionibus horrendis: sed te tibi sinat Deus: nihilominus (sensu meo) tunc *sera* nimis ad bonos mores via. *Animum moribundi præoccupatum iri variis.*

Cur? *Præoccupabunt scilicet mentem alia multa,* { *1. Formido,* *2. Dolor,* *3. Mæstitia.* *4. Cura,* } { *Magnitudine, & Numero ingentes* } *Senec. in Agamem.*

1. Formidine: ex Spectris.

* 1. FORMIDO ab externis, internisq;, quã multa.
* J. *AB EXTERNIS*, quà à spectris (quæ dixi) quantumlibet illis taciturnis; quà abs vbique Mortis imagine atque adparatu: Cereis accensis: Crucis porrecta effigie: Sacerdotum, Medicorumque adfluxu; allatisque Eucharistia, quasi commeatu, & vnctione, quasi armis, ad Morte superandam.

Virg. 3. AEneid

Præsentemque Viris intentant omnia Mortem.

Psal.

Plane inquies: *Timor Mortis conturbat me*

Timor & tremor venerunt super me, & formido Mortis cecidit super me. & contexerunt me tenebræ.

Ex Sceleribus.

* *AB INTERNIS*, scelerum scilicet importuna recordatione; vndequaque, qua Numero; qua sui Vastitate; qua Turpitudine autorem magis ad stuporem terrentium, quam ad emendationem.

Numerum enim scelerum, arenis Maris Vastitatem, Alpibus ipsique Olympo; Turpitudinem, horrendis Dæmniorum laruis censebit æquari posse, aut etiam superare. *Non sum dignus videre altitudinem cæli, præ multitudine iniquitatis meæ.*

Psal. 17. Gen. 4.

Peccaui super numerum arenæ maris.

Torrentes iniquitatis conturbauerunt me.

Iudice Irato.

Maior est iniquitas mea, quam vt Venia merear.

Ad hæc Iudicem, stricto gladio minacem, ipse intus sibi pinget, ac finget.

In AEt. apud Virg.

Patere iam *Inferni AEtnam, ruptosque canis fornacibus, ignes* iam sibi paratos (velut crucem seruo) iudicabit.

Æternitate pnarũ.

Æternitas denique illa pœnarum, quarum ille hactenus semper oblitus, quanta quanta est, animo recursabit: & tam serio, quam sero, dicet:

In Inferno nulla est redemptio.

Plane *foris gladius, & intus pauor.*

Quis non inter tot terribilia terreatur miser? terrebuntur scelerosi tum sane, sed iã non terrore illo, qui sapere mox iubet, sed illo, quo quis stupet.

His

His velut Medusæ capite conspecto, in Persei clypeo, in statuam lapidescent. Os illud Medusæ patens, pro oculis; flammas, pro crinibus serpentes, ostentantis perhorrescent, stupebantque, memores terribilium, rogandæ Pacis immemores, Memoriam enim, Iudiciumque interire à metu magno, in tonstrinis etiam scitur.

Et vulgo Consilii exortem ferunt, qui Metu stupet.

Nocturnæ te vrbium captiones id docent, quibus perticam, pro hasta: saccum, pro veste: æs, pro auro alterum pro altero, à territis metu magno subitoque, capi passim vides *Furor arma ministrat.* 2. *Virg. AEneid.*

Vidi, qui ad crucē iam damnatus, rogandæ veniæ & pacis (isto metu, opinor) non meminisset.

An non tu igitur demens, qui, in hoc adeo turbatum. Tempus pænitudinem reiectare audes, ac sperare? Censore me etiam dementissimus.

* 2. *DOLOR* vero quàm tum varius, atque animum interturbans! 2. Doloris.

Moriturum te, morbo vno, forsan putas, Peste, Pleuritide, Dysenteria, &c.

Quam falleris miser! Etsi morbum fere vnicum Medici in quolibet notant, non tamen vt solum, sed vt multorum Ducem, Illustrem, Antesignanum, Prædominantem. Ab illustriori denominãt.

Principi morbo (quasi Duci) sedes sua, magno loco, in capite, pectore &c. cæterum agmen, per totum corpus (quasi miles per agrum) fusum ac sparsum.

Artus singulos singuli morbi, ac sæpe plures (vt multus miles casulam vnam) occupabunt.

Asylum quoddam morborum est moriens quisque. Sed ibi manus, vbi dolor; ibidem & animus ipse, sympathiæ ductu.

D.Hieron. *Illuc illuc rapitur intentio mentis, Vbi est vis doloris.*

Tu, hactenus corporis amantior, quam mentis, tibi in Morte, Corporis doloribus, quæstibus, & curationibus occupatissimo, collibiturum putas, curare mentem à tot, tamque altè suffusis peccatorum morbis, tãtulis tempusculi reliquiis?

Quis credat? Nam, si modo, corporis dolore nullo vrgente, tanto otio, non vacat, aut molestat animum nõdum adeo alte morbosum curare: qui id præstes tanta temporis angustia, aliis acrius vrentibus occupatissimus, & morbis animi, numero & viribus longe auctioribus? Distractus in plura mortalis sensus, est minor ad singula.

3. Mæstitudine, á variis causis. * 3. *MOESTITIA* vero, quãtus pœnitendi obex! Illa vero, nequeat non esse summa, discessione à charis omnibus æterna.

Relictu-rus n. homo in Morte { 1. *Sibi nata.* 2. *Ex se nata* 3. *Se ipsum.* } Sibi nata. { 1. *Vxorem, aut Cõcubinam.* 2. *Aut Opes, aut honores, aut Palatia, aut Equos, aut Arma, aut vestium pompas, aut libros, aut Hortos,* vt fuere cuiusque amores, ac studia. }

D.Greg. Adeo. *Sine dolore non amittitur, quod cũ amore possidetur.*

Genes.

A Separatione ab vxore. Vel amata. * 1. *SIBI NATA* vxor (si amata, & amãs) Mœstitiam ingeminabit. Arcte enim adglutinata ęgrè diuelluntur. Hactenus *duo in carne vna,* hactenus adglutinato Corpora, Animique alterius ad alterũ. Itaque nõ nisi ægerrime feret, animæ dimidium suæ à se tunc auelli.

Bos, ab aratro raptus auulsus à coniugali boue, tristè vlulabit, ac mugiet, scilicet, non cruciabuntur rere, vxores à viris, aut viri ab vxoribus auellendi?

Dolebit vir, vxorem liberis, ac forte an ære alieno grauem, ac litum modis plusquam Gordiis intricatissimam (vt fit) relinqui.

Et humanitus metuet, ne secundas ineat nuptias, & ignotus nescio quis successor, è collo aut sinu dilectę pendeat.

Iam: si vicissim vxor viri redamantior, ecce altera rursus ab vxore mœstitia. Et redamãte.

Alcestæ instar, è lectuli subsellio, Admetum Regem ac Dominum suum deplorabit, premet manus, figet oscula, & quid non?

Vxor amans flentem flens acrius ipsa tenebit, qua quà licebit, miscebitur, & lachrymas, viri lachrymis interfundet. *Ouid. 1. Trist.*

Sæpe valedicto, rursus, tum multa loquetur

Inculta, sparsis crinibus, tundens pectus, Euripo similis, abibit, redibitque: Ingeminabit. *Siccine separas amara Mors?* *Idem ibid.*

Ibi tum, reuerberatâ sua ipsius, ab vxoris mœstitudine, mœstitia, intus rursus altè sanciabitur.

Vt crucifixus foris Christus, intus Matrem crucifixit: idemque mox, de crucifixa intus Matre repercussus, iam pæne secundo est crucifixus, intus nempè ac foris; foris patiendo, intus compatiendo: ita, moribundus, suis ipse doloribus satis sancius, vxoris condolentis doloribus, iterum vulnerabitur, ac forte grauius, quam suis ipsius.

Hæc igitur dolorum vicissitudo morituro, à chara vxore. Vel minus chara.

Contra, chara non est? & hinc dolor. Aut enim videt, aut non temere suspicatur, illam mariti doloribus parum adfici; Mortem optare; ac iam toto animo, votoque complecti maritum nouum. Opes

vero

Luc.12. vero suas, ac liberos, propemodum hosti relinqui.

2.Reg.12. *Quæ autem congregasti cuius erunt.*

Dormiet proximus ac forte hostis meus, *cum uxoribus meis, in oculis Solis huius?*

Ab opibus &c. quæ reliquit.

* *OPES* vero, & cætera id genus, quam mœstitiam adferent!

Opes enim aliquis tam anxie quæsitas, nunc tamen auctas; aliquis, Consulatus, Triumuiratus; aliquis Sceptra, Diademata; aliquis, Mitras: aliquis illos Hortos Hesperidum: aliquis, Palatia, Arces Bossutanis in Hannonia mea aut Scoriallicis in Hispania pares: equos Bucephalo Alexandri acriores, Vestes illa, libros iste, ac dulces Musas (quisque pro genii sui ratione nemo sine mœstitudine ingenti) est relicturus.

Bossu. Escorial.

Luc.8. Vere tum *spinæ diuitiæ*, bonum semen SS. cogitationum, & monitionum, inspirationum, suffocaturæ:

Spinis illis caput ægrientis coronabitur, cerebroque ab his contacto, ac læso, cogitare de resipiscentia non sinetur.

A liberis, Legitimis, Spuriis, Probis, Improbis. Vix natis, Posthumis.

* ij. *EXSENATA* etiam, visa aut cogitata, quam tunc ęgrum adflictabunt! Liberi (inquam) ceu Legitimi ceu Spurii illi: ceu Probi, ceu Improbi: quidam vixdum nati: quidam etiam Posthumi futuri.

* A Legitimis Probisque, quid nisi Patri Dolor?

* Ab Improbis, ac Spuriis, quid nisi eidem pænitudo? Pænitebit aut genuisse, aut minus excoluisse.

* A vix natis ac posthumis, quid nisi solicitudo anxia, quo Vitrico illi sint vsuri?

Ab in fœcūdis nuptiis.

Nullos relinquit? optabit ac vouebit dulces natos, legitimæ Veneris præmia, Hæredes, Imagines, & quasi viuas statuas mortuorum.

Virg.4. AEneid.

Saltem si qua mihi (o vxor) *de te suscepta fuisset*
Ante fugam Soboles, si quis mihi paruulus aula
Luderet AEneas, qui me tantum ore referret.

Tam

Tam à multis, quam à nullis liberis, lachrymæ morienti.

iij. *SE IPSUM* denique à seipso Mors relinqui iubet; Animam scilicet à corpore quorum hoc relinquitur; hæc relinquit. A dissolutione animæ à corpore.

Dissolui tu has nuptias, tam concordes, tam arctas, tot annorum, sine ingenti molestia putes?

Censore Gregorio, *fortasse laboriosum non est homini relinquere sua* (sibi nata, ex se nata) *sed valde laboriosum est, relinquere semetipsum.* D. Greg. hō. 32. in Euag. detertiu.

Minus quippe est, abnegare quod habet, Valde n. multum est, abnegare quod est. Quæ separationum omnium molestissima.

Cætera certe, quasi vestes viatori à furibus, facile homini exuuntur: hoc vero, quasi pellis & Bartholomæo, aut Sisamni, ægerrimè detrahitur, aut deciditur.

Cætera, vt folia ac fructus ex arbore, decutiuntur: hoc, vt cortex aut medulla, extorquetur.

Cætera, vt capilli viro aut fęminæ, detondentur: hoc quasi viscera viris, aut quasi abortiui, aut asperi partus fœminis disruptis carnibus à necessario crudeli obstetrice, auelluntur.

Ibi dolores, Vt parturientis, dum animæ, è repagulis corporis, exiguo cancello, magnisque angustiis erumpendum, aut serpentis euanescentis instar inter lapidum angustias, erepe͏ndum.

Ægre viator comitem triduanum, qui *facundus in Via pro vehiculo fuit*, relinquit: & non ægerrimè deserat animus Improbi, comitem octogenarium Sole ipso iucundiorem, idest, corpus suum? Psal.

Mortem horret non opinio, sed natura. Quapropter, si animalia cætera quæ ita creata sunt, vt suo quoque tempore moriantur, mortem fugiunt, diligunt vitam: quanto magis homo, qui sic erat creatus. Vt si Viuere sine peccato voluisset (sine termino viueret? Animātib. vniuersis. D. Augst. ser 32. de verbis Apostoli.

Pascatur licet asinus carduis: aranea venenis; serpens terra; aëre Cameleon; Cetus salso mari;

ignibus

ignibus Salamandra: nullum non animal tamen à Buccella Mortis abhorrens.

Homini maximè.

Homini vel sola eius recordatio amara, olfactusque ipse (vt ita dicam) ac fumus: qui igitur non amarissimus, ipse gustus, ac moriendi sensus?

Aquæ Mortis ex Marath, aquæ verè amarissimæ.

Cum gustasset, noluit bibere, de quolibet moribundo dici queat.

Cui hinc liberi arbitrii in Morte paruus vsus

Iam, nonne sensitiuæ partis Dolores, Timoresque illi maximi, libero arbitrio, ratione ac voluntate, libere vti imprimis vetant?

Vide Scotũ in 4. dist. 20

Augustini senso, quæ à tristibus sunt Passiones, plus mouent, quam quæ à Lætis.

D. Aug. lib. 83. q. 33.

Cic. de Senect.

Architas autem Tarentinus, incitatum aliquem voluptate corporis, quanta posset maxima, censebat, tam diu dum ita gauderet nihil agitare mente, nihil ratione, nihil cogitatione consequi posse.

Et tu, te in Morte, tot Doloribus Timoribusque, à tot ac tam tristibus causis circumseptum, speres posse de salute, ac pænitudine cogitare, aut loqui?

4 Et Curis innumeris.

* 4. *CVRAE* vero, tanto tunc agmine, quasi de compluris montibus amnes irruitare, & mentis alueum ita occupaturæ, vt cogitationi de salute nullus supersit locus.

Curæ tunc Morbi ac Medicorum, si fortè saluent: sin spes nulla, aut exilis, tum tota actio cum Hæredibus, cum Tutoribns, cũ Testamenti testibus, cum Legatariis & captatoribus, cum Creditoribus ac Debitoribus: cum Dote vxoria, cum liberorum benedictione, æquatione, supplemento, vt, quod negauit vni vel Claudo, vel Cæco natura, refundat Cura Patris, cum Oeconomiis & famulis, cum Amicis, cum Inimicis, cum Pompa funeris &c.

Quæ turba tũ Menti, à tanto turbarum turbine!

In hoc

in hoc inferno ac chao *quis confitebitur tibi?*

Non est, non est in morte, qui memor sit tui, Bone Deus! *Psalm.*

Differ igitur tu sodes, pœnitudinis curam, in hāc tempestatem; & non potiùs, placido ac tranquillo mari, mente adhuc serena; otio multo; *quod facis, fac citius?* *Ioan. 13.*

III.

Cur Morientes redire vix possint ad Deum. Itaq. sanis ad meliora festinandum.

Sed demus, sedatum mare ab his, quas diximus, turbis; sitque oleo futurum illud tranquillius; neque tamen ego sic tutum putem, illò pœnitentiam relegari.

Nimium. n. inter te ac Deum, tunc interuallum ac Chaos. *Luc. 16.*

Nimiùm *Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos, & Deum vestrum.* *Isai 59.*

Tuam fidem! Nonne (si idem vtrobique ambulandi tenor) abeunti, & idem iter recurrēti, par saltem tempus necessarium? Credo, non inficiabere:

Ego verò non par modo, sed redeunti dari iubeam longinquius.

Reditu moribundi ad Deum, ferè prohibet, viæ nimia tum longitudo.

Peccatum enim omne, iter magnum, auersio exitusque à Deo, & conuersio, ceu aditus ad creaturas. Pœnitudo verò, secessio à creaturis, & Conuersio ceu reditus ad Deum.

Peccando igitur, à Deo abiens, ad Creaturas 30. & ampliùs, annos profectus es; non modo lento gradu, sed cursu, sed volatu. Proh iter longum!

Psalm. *Appropinquarunt persequentes me iniquitati: à lege autem tua longe facti sunt.*

Pedes eorum in malum currunt.

Pedes eorum veloces ad effundendum sanguinem, equi cursorii in prælio. Suspirabas vesperum, ad fornicandum; diluculum, ad vlciscendum, &c.

Ergò, vt demus, te pari celeritate, eodemque itinere reuerti, an non 30. saltem annis opus, vt adtingas ad Deum? Stultè igitur, reuersurum te putas in momento.

Septenis horis effluum mare, septenis refluit: tu tot annis effluus, refluas vno die?

Iam, quid si ista adcesserint { 1. *Laßitudo?* 2. *Sarcinæ?* 3. *Montes?* } in reditu?

* 1. *LASSITVDO* certè adcedit. Ætas enim profectò, luxus quiuis, ac tandem ex illo morbi erumpentes fatigant.

Cic. de Senect. *Libidinosa enim, & intemperans adolescentia effœtum corpus tradit Senectuti.*

Sap. 5. *Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles.*

* 2. *SARCINAE iniquitatum, quæ supergressæ* (vt calathus grauis) *caput tuum*, *& velut onus graue grauatæ sunt super te* (vt taceam annorum, dolorumque Mortis irruentis pondera molestissima.) Psalm. 31.

Nam nisi Sarcinæ graues peccata, vnde tam curuæ in terras animæ peccatorum? vnde tanta in hæc inferiora propensio?

* 3. *MONTES* quoque, quos in reditu esse necessarium est, si in exitu valles fuere, quorum tam difficilis redeunti ascensus, quàm facile decliuium abeunti fuit.

Virtutum sedes certè in montibus, vti contrà Vitiorum, in vallibus ac speluncis (vnde & scitè Cacus in antro fingitur hospitari.) Itaque quisquis pec-

peccat, ex alto in ima, præceps per valles ruit.

Igitur si peccando, per valles ac decliuia ambulasti; pœnitendo, montes superandi, redeuntiq; ampliori opus labore ac mora.

-----Via virtutis dextrum petit ardua callem, Apud
Difficilemq; aditum primum spectantib. obfert. Virg de lit. Pythagoræ.
Facilis descensus Auerni,
Sed reuocare gradum, superasq; euadere ad auras, Idem 6. Aeneid.
Hoc opus, hic labor est.

Tunc igitur sapiens, qui te iter 30. annorum, lassum, oneratum, montibus aduersis, momento remensurum putes?

Nisi fortè tu vnus ignota nobis viarum compendia moueris, & *per aliam viam reuertaris in regionem tuam cum Magis*, aut cum Propheta, quem occidit Leo in via; vt properes, hortor, & moneo. Matth. 2.

Propera *propera, nec te venturas differ in horas;* Naso. 1 de remedio.
Qui non est hodie, cras minus aptus erit.

CONCIO XIII.

Them. *Statutum est hominibus semel mori, & post hoc Iudicium.* Hebr. 9.

FActa repetitione, sic propositum.

Dicendum hodie
1. *Difficilem esse seram illam pœnitudinem, & cur.*
2. *Homines ferè mori vti vixere.*
3 *Deo etiam, si sic dicere liceat difficilem seram illã peccatoris trãsformationem.* Propositio.

AVE.

I.

Difficilem esse seram illam pœnitudinem, & cur.

Difficilem esse serā pœnitudinem. Rursus ego in hanc arenam. Hostis enim iste tàm magnus, tàm latè effusus, magnos paruosque molestans, internecione mihi, quà licet, delendus.

Adspectu nimię consuetudinis peccandi. Ergò desperandi de pœnitudine hac sera, habitus ipse peccandi, etiam mihi autor.

In prædicamentis. Vulgo in ore; *Ex frequentatis actibus generatur habitus difficulter mobilis.*

Senec. in Throade. vox Andromaches. *Dediscit animus sero quod didicit diu.*

Prouer. 22. *Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.*

Iob 20. *Ossa enim implebuntur vitiis adolescentiæ eius, & cum eo in puluere dormient. Cum enim dulce fuerit in ore eius malum, abscondit illud sub lingua sua. Parcet illi, & non derelinquet illud: & celabit in gutture suo:* id est, morietur in sceleribus suis, inconfessus, immutabilis.

Difficile. n. curantur morbi quicunque inueterati. Morborum corporis, vlcerum, vulnerumque ea maximè incurabilia, quibus vetustas iàm gangrænam, ac nescio quam carnem emortuam, albentem primò, deinde nigricantem, induxit.

Ouid li. 2. de Ponto. *Soluere nodosam nescit medicina podagram,* chiragram, mētagram, lepram, & id genus multa, postquam radices iam in ossibus aut medullis egerunt.

Pers. sat. 3. *Elleborum frustra, cùm iàm cutis ægra tumescit,*
Poscentes videas.

Naso. 1. de remed. Hinc illa celebria! *Principiis obsta sero medicina paratur,*
Cum mala per longas inualuere moras.

Per. sup. Eccle. 18. *Venienti occurrite morbo.*
Ante languorem, adhibe medicinam.

Et

Et tu morbos animi, tot annis, tum altè subfusos, curari tàm facile, ac cicatricari putes?

Vt quercum annosum nullus conatus, non etiam Milonis, aut Æoli ipsius cum tota ventorum vi, euellit, quam virgulam leuiculè vel puer detraxisset:

Vt rubiginem iàm scabram: leui lima, non eradas, sed acri fornace ac malleatrone:

Vt eruderare non possis, momento vno, rudetum, ruderibus centum annis collectis:

Vt Augeæ stabulum, totis 30. annis, fimo non repurgatum, nemo præter Herculem, Alpheo fluuio immisso, mox eluat.

Ita, ægerrimè, inueteratis tot vitiis, hara conscientiæ, vna diecula repurgetur.

A puero scilicet adsuetus vitiis, tàm promtè eliciat, aut extorqueat verum dolorem, tot vetustis voluptatibus aduersum? & deploret, quæ tam diu adriserunt?

Naturam tàm diù victricem impugnare, & momento vno expugnare, diuinum quiddam est, & homine altius. *Horat. in ep. Pindarus in Olympiis hymno 11.*

Audin'? *Naturam expellas furca licet, vsque recurret.*

Et mala perrumpet furtim vestigia victrix.

Ingenium, natiuamque indolem, nec astuta vulpes, neque prævalidi leones mutare quiuerint. *Arist. l. 7. eth. c. 10.*

Sed ex Philosophi mente, *consuetudo est altera natura* (vel) *ad naturam proximè adcedit consuetudo:* quin & hanc sæpè peruincit. Vetustatis enim & cõsuetudinis vis magna,

Lycurgi canes tibi testes, quorum ille (etsi matre venatrice natus) enutritus in coquinis, in patinis, venationem planè est oblitus: alter (etsi ex illo Molossorum, & domus custodum genere, ad venationem tamen eruditus, venandi studio semper est delectatus. In media enim Lacedæmonum corona, naturæ vterque obitus, & vsum sequutus, oblatum Probata exemplis. *Plutarc. tõ. 2. Moral. in apopht. Lacedæm.*

ille leporem, alter offas adpositas est insectatus.

Tu, egregius Naturæ vsusque victor scilic. ad Virtutem quidem natus, sed ad Vitia eruditissimus atque adsuetissimus, à Vitiis mox desuescas?

Hiere. 13. Scriptura. Audi Vatem magnum, aut in Vate Deum Opt. Max. *Si potest Aethiops mutare pellem suam, & pardus varietates suas, sic vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum.*

Hiere. 2. Oceano toto Æthiopem non laueris, neque *si multiplicaueris tibi herbam borith.* & si à pardo maculosos pilos auulseris, certe renasci turos.

Vitia inueterata tonderi quidē, sed renasci.

Tondere vt possis vitia tua, tamen renascentur.

Vt Simia illa tripuudiatrix (vt est in fabulis) & induta virginem; visa quidem ad tempus non Simia; Sed mox nucibus proiectis, exuta virginem, Simiam detexit: Simia enim semper Simia:

Et vt murilegus, occupatissimus licet, viso musculo mox irruit:

Ita, etsi hactenus pertinacem, in Morte ad momentum pœniteat; proiectis tamen tùm à Dæmone nucibus, aut muscul (id est, tentatione leiuicula) ad ingenium mox redibit.

Luc. 8. *Hi radices non habent: ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.*

Intermiserit equus graduarius quadrupedantem illum mollemque gressum; mox resumet.

Intermittuntur sæpè consuetudines, raro omittuntur.

Clauus crebris ictibus incussus, non vnico excutitur.

Senec. ep 4. lib 9. *Tigres, Leonesque nunquam feritatem exuunt, aliquando submittunt: & cum minimè exspectaueris exasperatur toruitas mitigata: sic vitia nunquam bona fide mansuescunt.*

Si inuita ratione cœperint, inuita perseuerabunt. *Ibidem.*

II.

Homines fere mori, vti vixere.

Vti solent conclusiones naturam obtinere præmissarum (Nam si hæ necessariæ, si apparentes, si falsæ, huiusmodi & illæ:)

Et vt, ex capite, totum animal censetur; (Nam si Ouem, Equum, bouem, aut lupum, animal gerit in fronte; ouem, equum, &c reliquo corpore æstimabis; Mortem ferè vitę similem.

Rari enim Bucephali, quibus caput pigri bouis in equum generosum desinat, vt de Alexandri equo passim lego:)

Ità, qui ouem vitæ initio gessit, nunquam, aut rarò lupum in Morte exhibet: Neque contrà, qui lupus mane, ouis erit vespere. Si hæc beneacta, & ista: & contrà.

Vita cuiusq; anteacta, mortis futuræ regula certissima, raro admodum fallens.

Rarus Beniamin, mane lupus rapax comedens prædam, & vespere diuidens spolia. *Gen. 49.*

Vt illàc arbor ruit, quà propendet, dextra aut læua, & miraculo simile, si in dextram proclinata, in læuam ruat, aut contra: Sic in dextram, virtutemq; propensi, raro in læuam aut vitia desinunt; vt nec contrà, in læuam vitiorum hactenus inclinati, facile in dextram Virtutis, in Morte vergunt. Exemplis illustribus probatum.

Susannæ proci, quorum intemperans fuerat Adolescentia, etiam Senes procabantur. *Dan. 13.*

Audi Iudicem illorum senum iuuenem, Prophetam: *Inueterate dierum malorum, nunc venerunt peccata tua, quæ operabaris prius.* 1. Procorũ Susannæ.

Latrones illi duo, Christi latrones, iamiã moPrituri, vterque è cruce initio certatim Christo conuitiabantur, & blasphemabant, rapinis scilic. cædibus, 3. Latronũ Christo concrucifixorum.

bus, ac blasphemiis eiusmodi (vt fit) adsueti.

Matt.17. Matthæum audi: *Prætereuntes blasphemabant eum mouentes capita sua, & dicentes: Vah, qui destruis templum Dei, & in triduo illud reædificas, &c. Idipsum autem & latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei* (Marcus dicit *conuitiabantur ei.*) *Marc.15.*

Neque tamen Lucas mendax; qui id de vnico videtur asserere, cùm ait: *Vnus blasphemabat*: ipse enim finem (à mutata iam vnius mente:) alii initium adspectauere.

Vterque naturam sequutus & vsum, blasphemabat: vnus, naturæ relictus, blasphemando expirauit: alter, gratia omnipotente adiutus, resipuit: telam omnem vitæ ità texturus, vti fuerat exorsus, si sibi fuisset relictus.

3. Iuliani Imp. apostatæ. Illustre est, quod de illustri Apostata, atque Imp. Iuliano lego: Illum enim iuratissimum Christi hostem (à quo is Galilæus, ac Fabri filius contemtim vocitabatur) cum in expeditione Parthica, vel Mercurius Martyr, iusso B. Virginis, ad preces D. Basilii, lancea (vt quidam scribit) vel telo, nescio quis obuius miles (vt Orosio placet) vel Angelus, in castris grauissimè sanciasset: *vulnere accepto, implesse manum suam ferunt sanguine, &, sparso illo in aera, dixisse: Vicisti Galilææ simulq; & victoriam confessum, & maledictum ausum esse, ita erat ille attonitus.*

Policrat. l.8 c.21. Orosius. Verba Theodoreti. li. 3. hist. Eccles. c.25.

Scilicet aliter, quàm vixerat, mori Apostata non potuit.

4. Exemplis apocryphis. Notior mihi vnguibus meis, mercator ditissimus fuit, quem moribundum, calculos vel aurum numerare, ex pollicis indicisque motu æstimasses, adeò ille vir (cæteroqui optimus) ratiunculis huiusmodi in vita fuerat occupatus.

Lepidulos illos, quàm lepide videmus, vel in crucem actos, mori.

Ferunt fuisse, qui, è scala Iudici diceret: *mirari se vbi is ocularia senex adfigeret, cum naso, valde simo esset.*

Fuit, qui *poculum etiam è scala hausturus, spumam studiosissimè efflaret, adijciens è spuma calculum generari,* quasi metueret, ne se senem calculus molestaret.

Molinæum illum, lepidulorum æui nostri Principem, ferunt, *moriturum Canonicatus illud sui insigne, quod (Domino) passim vocant, postulasse, atque eo indutum caput, dixisse: Beati, qui in Domino moriuntur.* *Apoc.*

Socratem ipsum lego, morientem apud Critonem suum (hausto iam poculo ferali) etiam iocatum, adeò viro illi innata erat vrbanitas quædam. 5. Rursus illustribus, Socratis scilicet & Christi.

Christum ipsum vides, natura Clementem, & officio Doctorem, etiam è cruce docendo, & clementer pro hostibus, adeoque crucifixoribus suis, orando, mortuum esse. *Sup. concione, de nō timenda morte.*

Ex cathedra enim Crucis, voce viua, septem illa illustria verba, velut septem mundi miracula, docuit: & exemplo, alia multa.

Et clementer desiit, supplex factus Patri pro hostibus; & Latronem indulgentissimè donans Paradiso 6. Similitudine Somniorum.

Adeò quo pede cœpimus, semper imus. *Arist. l 5. de generat. c. 1.*

Disce vel ex Somni Mortisque; item Dormientis, Morientisque similitudine, quæ tanta est, vt somnum, fratrem mortis, nuncuparint Philosophi (vt ante dixi.)

Et Aristoteli: *Somnus viuendi, & non viuendi interliminium.* *Cic. in somnio Scip. Vide Galenū. c 3 de Sympto. differentiis.*

Ciceronis autē sensu: *Fit sæpe, ferè vt cogitationes sermonesque nostri pariant aliquid in somno tale, quale de Homero scribit Ennius, de quo videlicet sæpe vigilans solebat cogitare & loqui.*

 Macro-

Macrobius ἐνύπνιον vocat, *quoties cura oppressi animi, vel corporis, sine fortuna, qualis vigilantem fatigauerit talem se ingerit dormienti.* Sic quæ viuenti in deliciis fuere, eadem morienti recursant.

Macrob. l. 1. c. 4. in somniū Scip.

7. Similitudine fluminum.

In Naturalibus, flumina si in caput recurrūt; Sol, si conuersis equis, decem gradibus remeat (vt Iosue pugnante, & in horologio Achabi quondam:) Miracula sunt, ac portenta.

Et rerū artificialium.

In artificialibus etiam, quæ præter institutum accidunt, ridicula. *Amphora cœpit.*

Horat. in Arte.

Institui currente rota cur vrceus exit?
Humano capiti ceruicem pictor equinam,
Iungere si velit, & varias inducere plumas,
Vndique collatis membris, vt turpiter atrum
Desinat in piscem, mulier formosa superne,
Spectatum admissi risum teneatis amici?

Tu verò vnus improbe viuens, mori probè, ac Morte iustorum, speres?

Genes.

Mane rapax scilicet, *vespere diuides spolia*: &, Lupus toto capite ac corpore, in ouillam caudam (opinor) es desiturus.

Contingere vt possit, miraculis sanè hoc, monstrisque persimile, quæ vti sunt rarissima, ac Naturæ viribus altiora; ita Malorum, Bonorumque ille repentinæ, in morte, mutationes, & *dextera Excelsi*, & raræ.

Psal.

Dismas ille, ex latrone, primus Paradisi, (collatione Pontificis summi) Præbendarius, mihi lectus quidem, sed vnicus. Aliquis tamen, ne fieri posse desperem; vnicus vero, ne, vt commune, adrogem.

III. *Deo*

III.

Deo etiam ipsi difficilem feram illam peccatoris transformationem.

Denique quòd Lothum è Sodomis (quas aliquã-diù incoluerat) ęgrè tandem vel Angeli extraxere, satis probat, quadragenarium peccati ciuem, vix (nisi Dei opera) de peccati fæce educi posse. *Genes. 19.* Imo Angelis, Deoque ipsi difficilis inueterati peccatoris conuersio.

Et, quòd discipuli dæmonem, ex homine (quem iam tum ab infantia possederat) exturbare non potuere, sed Christi opera opus fuit; idem probat. *Matt. 9.*

Digitus Dei est hic, qui vt adsit, opus tamẽ ipsum valde difficile, & ipsa suscitatione mortuorum, nouiq; Orbis creatione, maius. *Exod.*

Maius (inquam) non quà ab opifice, cui facilia æquè omnia; sed quà, à materia (vt iã ante diximus) repugnate.

Cæterorum non ita difficilis couuersio: istorum laboriosissima. Ostenditur à difficili suscitatione Lazari, præ cęteris.

Hinc disce: Mortuos, pęccatorum imagines esse quis nescit? suscitationemque eorum, Conuersionis eorum exemplar?

Itaque ex variorum varia suscitatione, vide quàm toto cœlo mutatio peccatoris inueterati, ab aliorum mutatione differat.

Ex tot mortuis, tres à Christo suscitatos lego: Puellam, adhùc ferè in lectulo calentem: Adolescentem, sarcophago clausum, domoque iam ad portas Naim elatum; Lazarum quatriduanum iam, ac fœtentem: sed aliter atque aliter singulos, pro significatorum varietate. *Matt. 4. Marc. 5. Luc. 8. Luc. 7. Ioan. 11.*

De recenter mortua puella (*Non est mortua Puella, sed dormit*) aiebat, facilitatem indicans suscitãdi, quàm iussis ęgredi Præficis, Tibicinibus, ac tristi illa obscuraq; (a tympanis funebri panno obtectis) Musica, solo hoc verbulo (*Puella tibi dico surge*) mox animauit. *Luc. 8.*

Ado-

Luc 7. Adoleſcentem ſuſcitaturus, inquit Matri (*Noli flere*) quaſi non magnæ molis opus eſſet, iacentem excitare. Nam & illum mox, ſimili imperio, ſuſcitauit, tactu tamen etiam vſus, quaſi opus illud, ſuperiore paulò difficilius eſſet.

Ad quam magnus multusque adparatus. *Ioan. 12.*

Lazarum verò ex Inferis ad Superos reducturus, Deus bone, quanto vſus adparatu!

* 1. Primum: aduentans domum, *infremuit ſpiritu, & tarbauit ſemetipſum.*

* 2. *ET DIXIT*, non ſolum circumſtantibus (vt reor) ſed etiam, & maximè quidem Adæ ipſi atque Æuæ abſentibus:

Vbi poſuiſtis eum? q. d. à peccato veſtro, hæc corporis ſolutio, ac tabes: itē ipſis Lazari peccatis, quæ animam iam eius ad Orci portas deduxerant: *Vbi poſuiſtis eum?* quaſi diceret: cui periculo animum Lazari obiecistis? altero iam pede, Inferno incluſiſtis.

* 3. *ET lacrymatus eſt Ieſus*, in via ſc. ad monimentum.

* 4. *RVRSVM fremens in ſemetipſo venit ad monimentum.*

* 5. *TOLLITE Lapidem* (ait.)

* 6. *ELEVATIS ſurſum oculis dixit: Pater gratias ago tibi*, &c.

* 7. *VOCE magna clamauit (Lazare, veni foras)* inſtar inclamantis, valde abſentem. Et certe, intercapedine immenſa abfuiſſe videri poſſet Lazari animus, vel iam in Inferno, vel in ianuis.

* 8. *DIXIT eis Ieſus. Soluite eum, & ſinite abire.*

Deus bone! quot, quàmque magni adparatus! Dubitas, quin ad opus humana mente altius? non vt vno ſuſcitare nutu non poſſet; ſed vt Peccatoris obdurati conuerſionem, maximæ molis opus eſſe, aptius oſtenderet.

Cum alios ſuſcitaret, luſitaſſe illum dicas Lazarum ſuſcitando, ſudaſſe.

Scili-

Scilicet; *Tantæ molis erat Romanam condere gentem.* *Virg. 1. Aeneid.*

Vin' verò tu scire, quorum, quarumque rerum, isthæc sint notæ? *Tres mortui à Christo suscitati, simulacra triplicium peccatorum.*

Puella domi adhuc iacens; illius imago, qui consensu solo peccator est. Ea, solo verbulo, suscitata; innuit, huiusmodi peccatoris resipiscentiam facilē, neque operosam.

Adolescens domo vrbeque iam elatus, exemplar aliquod eius est, qui post Consensum, etiam in Opus ipsum inlapsus est, j. qui voluit cædem, furtum, adulterium, &c. & perpetrauit. Dictum, factum. Is verò, adiecto ad vocē etiam tactu, suscitatus, indicat, maiores cuiusdam esse operæ, talem à peccato reuocare.

Lazarus verò ligatus pedes & manus institis, facie velatus, lapide superposito obtectus, quatriduanus ac fœtens, aliquod peccatoris iam inueterati simulacrum. *Lazarus, in ueterati, & quo modo.*

Vinctus enim est pedes quisquis est impotentis affectus, vt velit bonum; & *vinctus manus*, qui non possit, quod velit.

Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur. *Prou. 7.*

Audi ex vinctis illis vnum: *Tenebar, non alieno ferro, sed mea ferrea voluntate* *D. Aug. l. confess.*

Funes peccatorum circumplexi sunt me. *Psal.*

------*Video meliora, proboque Deteriora sequor.* *Apud Ouid. lib. 1. Meta.*

Et *velatus facie.* j. cœcus: *lapide obtectus*, j. obstinatus, & adamantem, non cor, gerens in pectore: *quatriduum mortuus.* j. multos iam annos desperatè perditus: *fœtens.* j. publicè, & impudenter scelerosus, tam Deo, quàm hominibus iàm grauis.

Totus verò Christi, ad Lazarum excitandum, hic adparatus, frementis, lacrymantis, clamantis, orantis, aliorum opem inclamantis ibi: *Tollite lapidem, soluite eum*: notæ sunt illustres, velut horren-

tis

tis tanti operis molem, & quasi non benè sperâtis, Patrem auxiliarium aduocantis, Sacedotes, Vicinos, & vnà omnes adlaborare iubentis, transformationi inueterati peccatoris.

His notandis, tanta hypocrisi tùm Christus vsus.

Ad quorum firmiorem memoriam, disce versiculos:

Incerti Autoris.

Mens mala, Mors intus; Malus Actus, Mors foris, Vsus,
Tumba: Puella, Puer, Lazarus ista notant.
Hanc, Verbo; hunc, Motu, Lachrymando, suscitat illum.
Christus, & in medico noscitur æger homo.

Difficilior peccatoris talis conuersio, Lazari suscitatione.

Imò sanè minùs operosa Lazari suscitatio, quam talium conuersio, ab adspectu, quà Materiæ, quà Formæ.

Materia tractabilior, artificum labores operasq; in operibus minuit; intractabilior auget.

Quà à Materia.

D. Hier. ep. ad Paulinũ de omnibus d. hist. lib.

Mollis cera & ad formandum facilis, etiam si artificis & plastæ cessent manus: tamen virtute totum est, quicquid esse potest.

Sartor pannum, aut telã ad vestem secans, ludit: leonis aut apri tergora premit: bubalinũ corium, ad paludamentum, conatu etiam ingenti vix secat. Impares artificiis eiusdem conatus ad opus idem, imparitas materiarum facit.

Materia autem in Lazaro tractabilissima, nõ modò non resistens, sed etiam impensè fauens, Naturæ ductu, quo Materia quælibet, Formæ suæ est adpetentissima.

Lutum figuli, formæ poculi auidissimum: tignũ, formæ sedis: pannus formæ vestis.

Quid verò si Materiam, sua iam quasi sponte ad Formam adcurrentem, etiam trahas, aut ducas? nõne ea ad illam aduolatura, vel quamlibet tenui filo tracta?

Materia autem suscitandi Lazari, corpus aut cadauer humanum fuit. Igitur animæ, id est formæ, reducis ad Materiam propriã, corpus Lazari adpetens fuit, adeò vt Christo id conanti non modo nõ obluctaretur, sed, quà posset, etiam adiutaret.

Forma vero (id est, animus ipse corpore exutus) sensuum in corpus, seu corporis ad se reditũ, quàm anhelat! siue iam sit infœlix, speretq; ex reditu meliora: siue iã beata, vt beatitate pleniore perfruatur? Quà à forma, Corpus enim animusque Lazari, vnionis cupidissima.

Quàm auidæ illæ Beatorum animæ, palingenesios, ac renascentiæ illius omnium, vltimæ ac publicæ, quam, in fine mundi, affore, è fide nostra est?

Semibeatulas nunc se putant: at tum, integerrime beatum iri.

Ergo nec anima Lazari (reditus & ipsa percupida) quidquam suscitanti Deo obsistebat: eoque minus, quod iam tum fortè miserrima, aut in Inferno altero iam pede.

Contrà: Peccatoris inueterati cõuersioni omnia reluctantur. Materia omnis rebellis, Animus verò ipse, ac Voluntas, Deus bone! quàm ferrea, atq; adamantina! quàm sternax! quàm repugnax! Corpus verò animusque peccatoris conuersioni obluctantur.

Ipsa caruncula, mollibus lætisque adsueta, quàm lachrymas insuetas, ac dura auersatur!

Mollib. adsuetus, loricam ferre recusat, ait ille. *Bapt Mãt. ni fallor.*

Nihil labori illi fauet, aut adspirat. Venti, Remigesque, Anchoræ, Vela, ac saxa ipsa (vt ita dicam) velut in Deum coniurata obluctantur.

Igitur transformatio inueterati peccatoris, vel ipsius Lazari suscitatione operosior, ab his causis.

Tu verò Deum hos, cùm voles, pro te conatus suscepturum speras?

Sicut tu clamanti Deo sæpè *Trade ratem ventis*, paruisti: ita tibi pariturus Deus inclamãti: *Trade rati ventos.*

Vt ostium tuũ pulsanti toties, semper respõdisti, dormire te, aut domi nõ esse. sic vicissim tibi inclamanti

Psalm. manti (*Qui Regis Israel, intende:*) Dormiet, & domi non erit.

Deus nobis, vlna nostra remēsurus.

Prouerbium ex Basilio: *Qui non vult, cum potest; non poterit, cum volet.*

Apud Policrat. l.8.c.17. *D.Aug.* Adcinit alicubi Aug. *Cum vult Improbus homo non potest: quia, quando potuit, noluit: ideo per malum velle, perdidit bonum posse.*

2.Cor.6. Vox Dei: *Tempore accepto exaudiui te & in die salutis adiuui te.*

Itaque, *Fili, ne tardes conuerti ad Dominum, neque differas, de die, in diem.*

CONCIO XIV.

Hebr.9. Them. *Statutum est hominibus semel mori, & post hoc Iudicium.*

FActa repetitione, sic propositum.

Propositio. Dicendum hodie.
1. Trium defectu, defecturam etiam in Morte pœnitudinem.
2. Vt haberi ea possit, futuram tamen parùm securam, parumque gratam.
3. Crudelitati, ac Tyrannidi similem illam fore. AVE.

I.

Trium defectu, defuturam in Morte pœnitudinem.

Tribus maximè, homo in officio continetur.
1. *Lumine,*
2. *Timore,*
3. *Verecundia.*

Tria

Tria enim illa Deus, magnaque rerum parens Natura, vicaria Opificis magni, qui in necessariis nunquam defuere, hominibus vniuersis ingenuerunt.

*1. *LVMINE.* Corporeis enim hominum operis vti necessariam lucem dedit; adfigens Cœlo luminaria multa, Solem diurnis operis, Lunam ac Stellas nocturnis; & vicarias Solis ac Lunæ faces, lampades, carbunculos, & lumina in frõte hominis gemina adiiciens; ità, cum Ethicis operis etiam luce aliqua opus esset, quæ cœcæ dux præiret voluntati, eam hominibus multifariam prouidit.

Lux homini duplex à Deo data.
- *1. Naturalis, rectæ rationis, vniuersis.*
- *2. Supernaturalis quibusdam.*
  - *1. Legis, ac præceptorum, Mosaicis, & Euangelicis differenter.*
  - *2. Fidei, vocatis Sanctis.*

*j. *NATVRALIS* illa nulli non genti, quamlibet efferatæ, data, etiam Turcis ipsis qua scirent generalia quædam morum bonorum axiomata, quæ sequuti, errare non possent.

Qualia hæc: *Quod non vis tibi fieri, alteri ne feceris. Quod tibi vis fieri, alteri feceris.*

Illuminat Deus omnem hominem venientem in hunc mundum. Ioan. 1.

Signatum est super nos lumen vultus tui (Domine.) Psalm.

Syndæresin vocant, quæ adcusat, testatur, iudicat throno insidens rationis, atque intellectus: & inde, quid sequare, quid fugias; quid probes, quid detestere, velut è Pharo, ostentat. Vide Scotũ in 2. sent. dist. 39.

*ij. *SVPERNATVRALIS*, Legis scriptæ ac præceptorum scilicet lux etiam nonnullis adiecti, Lex lux, volentibus sequi, seu Moysi, seu Christi, quælibet æuo suo. Legis diuinæ.

Psalm. Hinc illud: *Lucerna pedib meis verbum tuum*
Et: *Præceptum Domini lucidū illuminans oculos.*

Fidei. * iij. *FIDEI* quoque; quæ vocatorum est propria, qua credimus, apud summam illam Bonitatem, malitiam in tanto odio esse, vt inultam nunquā sinat: magnum nequitiæ frænum.

Hinc illa: *Per fidem, purgantur peccata.*

Prouerb. 25. Et: *Diabolo resistite fortes in fide*

1. Pet. 5. Et: *Deus fide purificans corda eorum*: id est, his homini persuasis, ad sceleris puram, integramque vitam compellit.

Itaque hi Soles, hæ Lunæ, hæ stellæ; morum nostrorum duces: hæ Cynosuræ, ac Phari, qui sanis, atque vtentibus adeo non subtrahuntur, vt etiam augeantur.

Prouerb. 31. De proba matrona dictum: *Non extinguetur in nocte lucerna eius.*

Prouerb. 4. *Iustorum semita, quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectam diem.*

Vbicunque habitabant filij Israel, lux erat.

Exod. 10. Sap. 18. Israelitæ *ignis ardentem columnam ducem habuerunt ignotæ viæ*: & Magi stellam noui luminis, quę (quamdiu ad palatium Herodis non diuertere peregrinātes) semper *antecedebat eos, vsquedū veniens*

Matt. 2. *staret supra, vbi erat puer.*

Isai. 9. *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam.*

Quæ scelerosis in morte extinguuntur Dei vltione. Subtrahuntur verò tandem, aut frequenter abusis, aut omnino non vsis, vlciscente Deo, in morte, cum maximè lumina illa necessaria *habitantibus in regione vmbræ mortis.*

Priuilegia enim certè ac beneficia, iure, abutendo amittuntur.

Isai. 9. Sapienti Hebræo, sic visum: *Lucerna impiorum*

Prouerb. 13. *extinguetur*, inquit.

Iob 38. Et Iobo Regi: *Auferetur ab impiis lux.*

Et

Et Doctorum Antisti: *Prauaricatorem diuinæ legis lux deserit veritatis.* D. Aug. li. de nat. & grat. Sopho. 1.

Ambulabunt vt cæci, quia à Domino peccauerunt.

Via impiorum tenebrosa, nesciunt vbi corruant. Prouerb. 4.

Errauerunt in solitudine, viam ciuitatis habitaculi non inuenerunt. Psalm.

Excæcauit eos malitia eorum.

In Ægypto tenebræ, per quas *tribus diebus nemo vidit fratrē suum, nec mouit se de loco, in quo erat.* Exod. 10.

Sodomitas Angeli percusserunt cæcitate, à minimo vsque ad maximum, ita vt ostium Loth inuenire non possent. Genes. 19.

In Atrei Thyestæque conuiuio ferali *Vix lucet ignis, ipse quin æther grauis.* Senec in Thyeste.

Inter diem noctemq; desertus stupet.
- - - magis magisque concussi labant.
Conuexa cæli: spissior dentis coit
Caligo tenebris, noxq; se in noctem abdidit,
Fugit omne sydus.

Quærela virginum fatuarum: *Lampades nostræ extinguuntur.* neque emunctæ suo, neque oleo fotæ tempore.

Denique, de magni huius mundi fine dictū: *Sol conuertetur in tenebras.*

Et: *Nigrescere faciam stellas, Solem nube tegam, & Luna non dabit lumen suum.* Ioel. 2. Ezech. 32.

Et Christi oraculo, *Sol obscurabitur, & Luna nō dabit lumen suum, & stellæ de Cælo cadent,* id est cadere censebūtur Stella enim quandoque *etsi non cecidit, potuit cecidisse videri:* vel: *cadent,* id est, erūt quasi non essent, omnis scilicet luminis expertes. Matt. 24. Ouid. in Metam.

At dictum iam mihi (ex Patribus) multa de fine illius dicta, fini Microcosmi huius congruere.

Ergo, tum Sol Fidei; Luna Legis diuinæ; Stellæ scintillæque Rationis humanæ, in morte hominis hactenus nequam, tenebris horrescent, ita Deo permittente, ac dæmone obumbrante.

Luc. 18. *Filius hominis veniens, putas, inueniet fidem in terra?* Fidei Solem tenebræ Atheismi obnubent: Lunam Legis, Parentum cura præpostera & quædam interpretatiunculæ Iuris callidæ, ac fallaces, torquentes illud aliò, aut à rigore deflectentes, vertent in sanguinem: Stellas rationis, affectus in peccata præceps, è Cœlo in terras trahet.

Psalm. *Non est, non est in morte, qui memor sit tui,* sed nec, pœnè quì sui.

Exod. 10. Tenebræ. Tenebræ, palpabilibus illis, in Ægypto tenebris tunc spissiores.

Et dæmonũ, fraude. Adde & dæmonum tunc in hoc adcuratam diligentiam.

Nam vt viris Iabes. Galaad, iam ad fœdus, seruitiumque paratis, respondit Naas Ammonites: *In hoc feriam vobiscum fœdus, vt eruam omnium vestrum oculos dextros:* (vti olim & Galli ab aureis calcaribus celebres, Anglis ad deditionem iam paratis ad Agincurtum, eluscationem omnibus imperabant.)

Iudic. 16. Vt Samsonem captum Philistæi excæcauere, &c.
4. Reg. 26. Vt Sedechiæ Regi, capto Rex Nabuchodonosor oculos expunxit, catenatumque in Babylonem traxit: Vt Antiochus, è Hierosolymitano templo, lampadem semper ardentem extulit, ignemq; illã flamma extinxit: Vt cruciariorum cadauerib. corui oculos primùm expungunt, vt fruantur.

Ita Infernates illi Philistæi, Nabuchodonosores, Principes tenebrarum, ac corui, captiuos peccatores, (ne qua erumpãt, aut crepant) multo ante mortem excæcant.

Salutare. In morte maximè, puluere nescio quo inie-

cto, tenebris oculos offundunt; & aut distantia rerum, aut vicinia nimia, quam iactant, res verè videri non sinunt. Æquata enim distantia visioni, præter lucem atque oculos, est necessaria. lumen extinguētiū.

Prospectiuæ fallacis magni artifices, adcurabūt, vel mortem moribundis videri velut valde procul distantem, ne miseri mox resipiscant, sed aliquas morandi in sordibus causas inuectant: vel nimis vicinam, iamiamque imminentem, vt in desperationem impellant, quasi tantillum tempusculi non sit satis ad salutem.

Falsis ludet imaginibus: his, vt spe vana lactet: aliis, vt vano metu terreat. *Virg 1. Aeneid.*

Augustini enim senso, *Licet difficile sit, vt tunc sit vera pœnitentia, melior est tamen sera, quam nulla.*

Tum continget miseris, quod olim Heli Sacerdoti, de quo sic legis. *Factum est in die quadam, Heli iacebat in loco suo, & oculi eius caligauerant, nec poterat videre lucernam Dei antequam extingueretur.* *1. Reg. 3.*

Digni quidem illi carere luce, & pati carcerem tenebrarum, qui inclusos custodiebant filios tuos, per quos incipiebat incorruptum legis lumen seculo dari. *Sap. 18.*

Fumo, tenebrisque pasti, in tenebris morientur.

Interim subtractis Menti, partim à Deo vltore, tot luminibus; partim ab ipso Hoste exsufflante extinctis, nescio quod rationum, humanarum dicam? an diabolicarum? lumen ferale hostis idem moribundis præferet, quasi ad adiutandum, re vera autem vt illud sequuti grauiùs rursus impingant. Et prætendentium fallax.

Sic *Nox nocti indicat scientiam: & Cæcus cæco ducatum præstat.* *Psalm. 18.* *Matt. 15.*

Manplium illum Palamedis Patrem, qui fallaci face, è scopulo, velut è Pharo aliquo salutari, prætēsa, bonam Græcæ classis partem, in Capharea saxa, scopulosque tractam, perdidit, Dæmones, in

morte procrastinatorum istorum, planè imitaturi.

Isai. 59. *Expectauimus lucem, & ecce tenebræ: splendorē, & in tenebris ambulauimus. Palpauimus, sicut cæci parietem: &, quasi absque oculis, adtrectauimus. Impegimus meridie quasi in tenebris, in caliginosis, quasi mortui*, serò inclamabunt procrastinatores: Matt. 25. seroque fatebuntur: *Lampades nostræ extinguuntur. Sol iustitiæ luxit nobis.*

Tenebrosa Improbis in morte omnia, quamlibet cereum ritu Catholico sacratum, manu ardentem gerant.

Igitur, in tantis tenebris Pœnitudo nulla (opus tantæ motis, tanquam subtili acu pingendum) tūc speranda.

Operamini, operamini dum dies est, ne tenebræ vos comprehendant.

Venit nox, in qua non licet operari.

Hier. 13. *Date Domino Deo vestro gloriam antequam contenebrescat: & antequam obfendant pedes vestri ad montes caliginosos. Expectabitis lucem, & ponet eam in vmbram mortis, & in caliginem. Quod si hoc non audieritis, in abscondito plorabit anima mea, à facie superbiæ.*

Isai 55. *Quærite, quærite Dominum, dum inueniri potest: inuocate eum, dum propè est.*

2. Timore. * 2. *TIMORE quoque, non filiali modo, sed & seruili velut lupato asperiore iuuencus, homines a peccando compescuntur.*

Hinc illud: *Timor Domini expellit peccatum.*

Qui timet Deum, faciet bona.

Prouerb. 15. *Per timorem Domini declinat omnis à malo.*

Horat. *Oderunt peccare mali, formidine pœnæ.*

Doctor. Seraphicus in 3. sent. dist. 34. Timor Dei, donum gratuitum Spiritus Sancti valde magnum, à quo paulatim amor recti, & odium mali (ait noster Bonauentura.) Quod seta filo, hoc timor iste Charitati.

Vid-

Viden', vti filius vxorem, quam inuitus primùm abdicationis Metu duxerat, visam tandem honestam, tractabilem, castam, valde amet? Meretricem verò, primum dolenter eiectam, tandem, detectis paulatim dolis, tantum odit, quantum antè deperiit? Qui multos adducit ad caritatẽ.

Ita, *Multi timore correpti sunt sed per tremorem timoris, peruenerunt ad amorem charitatis.* D. Aug. ser. 94. de tẽp.

Furaturus ille, crucem intuetur, & abstinet.

Turbo Reipub futurus, adpensos securibus Coss. fasses videt, & fit oleo tranquillior.

Sententiam capitis dicturus Iudex, cùm sedet pro Cambyse, in solio pelle Sisamnis iniusti Iudicis obtecto; aut cum fortè nescio quem Tenedium hominem habet, stricto gladio tergo imminentem, iniustam dicenti caput demessurum; iustam vel metu solo pronunciat. *Vide in Chiliadis Erasmi: Tenedius homo.*

Cogitat etiam aliquis vltorem peccati Deum, Morbis, Bestiis, Fame, Fulminibus, Inferno? abstinet, & astinendo sæpius, abstinere incipit cum nonnulla voluptate.

Diogenis senso: *Ipsius contemtus voluptatis, si nos assuefecerimus, iucundissimus fit.* Diogẽ. Laert. l. 6. de vitis Philos.

Et Seneca: *Paulatim voluptati sunt, quæ necessitate cœperunt.* Senec. l. de prouident. c. 4.

Vnde & Doctorum Antistes: *Cum per timorem gehennæ, continet se homo à peccato; fit consuetudo iustitiæ; & incipit quod durum erat, amari; & incipit excludi timor à charitate, & succedit timor castus.* D. Aug. in psal. 127. to. 8.

Non illum amor legis aut recti; sed pœnæ timor, correxit.

Et is quidem Numinis ac Pœnæ Timor, etiam homini à Deo ac Natura datus. Idem ingenitus nobis.

Nam is Adamum Euamque, initio, aliquantisper continuit, starentque etiam nunc, ni serpẽs Euam, mortis metu liberasset.

Genes. 3. Et post peccatum, etiam, reliquiæ in illis quædam metus illius: Adam enim vocanti Deo tum respondit: *Timui, & abscondi me, eo quod nudus essem.*

Minuitur peccandi frequentia. Decrescit vero is Timor tantum, quantum ad-crescit audaciæ.

Huic si adiicis, illi detrahis.

Lancium, ac sitularum altera adscendente, alteram deprimi necesse est.

Habitus contrarii, contrarios planè explodunt.

Nulla conuentio Timori, cum Audacia.

Audaciæ autem habitus, ex factis audacib. sæpè repetitis: & Timores sæpè superando, Timor ipse tandem aut grauiter soporatur, aut emoritur.

Toties, tamdudum, tàm audacter, tantæ audaciæ facinora in Deum, Peccator inueteratus designarit, & non sit tandem audacissimus? Aut toties, Timorem Iudiciorum, Inferniq;, peccando, superarit; & illi in morte, vncia Timoris restet? Non opiner.

Ergò, nec pœnitudinem seram sperem, in tanta audacia, omnique absorpto iam metu.

Qui sine timore est, non poterit iustificari.

Cum is aliquantulus adhuc superesset, non reuocabat, reuocabit nullus?

Iona. Ne Ionas ipse quidem, post desertum semel audacter Deum, cæteris præsentaneam in mari mortem horrentibus, quidquam timuit, securè certè vnus dormiebat.

Sed nouus aliquis eripuit timor.

At contraria altis iam fixa radicibus, contraria ægrè admittunt.

Lanarum nigræ nullum colorem bibunt.

Madefactum altè ac diu iam est lignum? Quàm serò, quàm ægrè ignes concipit! conceptos quam citò, quàm nulla propè causa, suffocat!

Victrix tui, atque in Capitolio iam atque arce, regnans. Audacia iam tot annos, Timorem nullum admittet, quamlibet nouus aliquis velit irrūpere.

Adde,

Adde, & *fortem illum armatum, qui custodit atrium suum*, timori obluctaturum, confirmaturum qua poterit, Audaciam. *Luc.11.*

I nunc ergo, & tunc sodes spera pœnitudinem.

Timenti, timenti Dominum, benè erit in extremis.

*3. VERECVNDIA quoque, quæ Virtutis ac famæ magna custos est, & Laus Naturæ. 3. Verecũdia quoque

Vbi illa, Spes boni magna: vnde exulat, nulla.

Erubescit (ait ille) *salua res est.* *Terent.*

Diogenes, bene, de adolescente verecundiore sperauit, ruboremque, tincturam Virtutis adpellauit. *Diog. Laert. l.6. vit.*

Rubens oris color ac purpureus, Virtutis quædã est nota, etsi non propriè Virtus. Quæ si abest, desperata omnia

Adam nuditatem erubescens, foliis prætegens, ac dumeto obcultans à conspectu Dei, Deo ipsi non planè salutis desperatæ. *Vide Arist. 4. Eth.*

Virginitatis ferè, atque Innocentiæ dos, Verecundia: Meretricum, ac perditorum, Inuerecundia. *D. Tho. 2.1. q 144.*

Ciceroni. *Moderatrix cupiditatum verecundia est.* *Cic. 2. de Finibus.*

Et Seneca noster, *De altero* (inquit) *non satis fiducia, excepto eo qui adhuc peccare erubescit.*

De desperate malis dictum: *Quinimo confusione non sunt confusi, & erubescere nescierunt.* *Hiere. 8.*

Et: *Frons meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.* *Hier. 3.*

De Plauti mente est, *illum periisse, Cui perit pudor.* *Plaut. in Bacchid.*

A mellifluo Bernardo mellitum istud: *Cum impudentia, & frontositas cor hominis obdurauerit, vt non paueat, non horreat, non contremiscat, ea iam de mum desperatio est.* *D. Bern. l de colloquio Simonis & Iesu.*

Sed Verecundia à peccatis, velut ripa à fluctib. aut asser à flammis adlambentibus, sensim adroditur. Ea autem sæpius peccando, fit Impudẽtia.

Quæ enim osculum primò horruit, eadem decerpto semel ac delibato assuescit. Quæ tactus, actusq; nefarios, ne fando quidem in aurem primum erat admissura, eadem in illos semel illapsa, patitur qualia, ac quoties, adultero collibuerit, ac fortè adeo omnem exuit verecundiam, vt facta, atque infecta iactare ausit, atque in compitis, in tonstrinis, in medicinis, cæterisque officinis, nequitiarum suarum ipsa sit præco.

Eccli.19. Audi expertum. *Qui spernit modica, paulatim decidet.*

Prouerb 18. *Impius cum in profundo venerit peccatorum, cõtemnit.*

Prouerb. 2. *Lætantur* (domi) *cum malefecerint, & exultant* (foris) *in rebus pessimis.*

Isai.3. *Peccatum suum* (etiam foris apud alios) *sicut Sodoma prædicauerunt nec absconderunt.*

Psalm.58. *Quid gloriaris in malitia qui potens es in iniquitate?*

Timidè primùm, ac verecundè turpitudinem admittimus, at mox maius aliquid Mẽs audet, ac sensim maxima minimi æstimat; inde etiam *lætatur cum malefecerit:* ac tandem, *vt Sodoma prædicat,* ac *gloriatur in malitia.* His gradibus delabimur, à Verecundia summa, ad Inuerecundiam vltimam, *quæ nocte latent in luce fatemur: quodque ad Quod tamen ad galli cantum facit ille secundi.*

Prouerb. 8. Isai.3. Psalm.5. Ouid. 3. Amorum 13. eleg. Iuuenal sat.6.

Proximus ante diem, caupo sciet.

Luc.18. Siue (quod aiunt) sycophanta vel fermentum efferente, fimus sensim omnes inuerecundiores.

Quæ cum finualuit, desperanda pœnitudo.

Tandem, *Neque Deum timemus, neque homines reueremur.*

Gratuita illa dona (gratia gratum faciente explosa) minuuntur.

In tanta Inuerecundia, à tot turpissimisque scelerib. aucta, quis speret in morte aliquem vitæ pristinæ pudorem, aut pœnitudinem.

Sub-

Sublatis rerum causis, iure de effectis desperatur.

II.

Vt haberi ea poßit, futuram tamen parum securam parumq; gratam.

Aut si separatur atque habetur, parum placet, placatque.

Sed animos tibi faciunt illustria ista, tàm verà, quàm à magnis autoribus. *Cum ingemueris, tunc saluaberis.*

Nulla pœnitentia sera, dummodo vera.

Sera nunquam est ad bonos mores via.

Cypr. ser. de lapsis.

Senec in Agamem.

Deprimant vero illos alia ista, si non superiora, saltem paria.

Vulgatissimum illud: *Pœnitentia sera raro vera,* cui adpendo, si rarò vera, etiam raro secura.

Ex Aug.

Audi vel Augustinum: *Si quis positus in vltima necessitate suæ ægritudinis, voluerit accipere pœnitentiam, & accipit, & mox reconciliatur, & hinc vadit: fateor vobis, nõ illi negamus quod petit, sed nõ præsumimus, quod benè hinc exit. Si securus hinc exierit, ego nescio: pœnitentiam dare possumus, securitatem autem dare non possumus. nunquid dico damnabitur? sed non dico liberabitur.*

D. Aug. hõ. 41 & refertur de pœnit. dist. 7. c. Si quis positus, & sent. l. 4. dist. 20.

Securam faciunt pœnitentiam hæc tria { *1: Principium, ex quo,* *2. Finis, propter quem,* *3 Aetas, qua.* }

* 1. *PRINCIPIVM, ex quo,* id est, vt à voluntate planè libera proficiscatur.

Voluntarium enim vt tota anima Vitii, sic & Virtutis.

Voluntarium autem dupliciter dici lego. { *1. Absolute;* *2 Ex hypothesi.* }

* j. *VOLVNTARIVM, absolute* est, quod simpliciter, per seque adpetitur cuiusmodi est ipsum Bonũ.

* ij. *VO-*

Quod ea minus voluntaria.

Vide Scotū in 4. dist. 20

* ij. *VOLVNTARIVM ex hypothesi* est quod alterius causa: vt est iactura mercium in mare, vt naufragium euitetur. Non enim illa merè voluntaria, quæ non fieret, periculis nullis vrgentibus, quæ adeo non vult, vt toto etiam voto auersetur. Quod enim non fit, nisi vrgente aliquo, simpliciter (vt loquuntur) ac mere inuoluntario, id simpliciter volūtariè fieri, dici non potest.

Voluntarium autem illud primum, Deo gratissimum, & ad veram, salutaremque pœnitudinem, citra Sacramentum necessarium: Alterum illud, si non repudiatur, certè ægrè admodum admittitur. *Hilarem datorem diligit Deus.*

At Ægrorum nemo vult mortem, potiùs auersatur, maximè scelerosus.

Instante tamen illa, &, mox ab illa, Iudicio, Infernoque, ni ad mentem redeat, redit,

Ergò Pœnitudinem illam non merè libera voluntas adduxit, sed quæ ex hypothesi; id est, mortis, Iudicis, Infernique metus extorsit.

Extorta vero quàm grata sint, nescis?

Deditiones si coactæ, & à victis; Victoribus ingratæ: spontaneæ gratissimæ.

Petr. Crinitus li. de honesta disci.

Tamerlanes certè Scytharū Dux dedentibus se tardiùs, (expanso s. tertio illo ferali tentorio) omnia extrema semper minitatus.

Coacta seruitia adeò insipida, vt etiam ab vxoribus extortæ noctes maritis displiceant.

Quid? tu non intelligis, tantum te gratiæ operi demere, quantum moræ adiicis? Tarde velle, nolentis est.

Hebr. 10.

Quam *voluntariè peccantibus nobis*, sub iugum dæmonis itum est, tam *voluntariè sacrificantibus nobis*, ad Deum, à dæmone redeundum, ne respuamur.

Psalm. 53.

De pœnit. dist 7 c. Nullus.

Audi Decretum: *Quem morbus vrget, & pœna terret, ad veram vix venit satisfactionem.*

* 2. Fl-

* 2. *FINIS, propter quem illa*, etiam adſpectandus, an amore Dei, an verò ipſius tui? Si primum; virtus & Charitas eſt, ſi ſecundũ, Natura eſt, & Philantia.

Et ex philantia potius, quàm Dei amore.

Si ſummo bono à te læſo, ſatisfactum, & pellicatus illius ac peccati internecionem, non liberationem ipſius tui cupis; Benè, ac ſecurè. Sin ſecus, ſalus parum certa.

Pharaoni enim quàm ſæpè in ore *Peccaui*! *ſed qua fini?* ipſius ſui, ne plagis, pateret ſcilicet. *Exod.*

Quàm ſæpè Antiocho? neque tamen & is ſecurus: ſe ſcilicet ipſe ſpectabat, non Deum Philautos Tyrannus. *2. Mac. 9.*

Itaque ſi tu hic talis, non video, cur tu multò ſecurior.

* 3. *AETAS, qua illa*, Ætatem vegeta, an vieta? Nã ſi vegeta, ad mentem redis; vitia à te deſeruntur, & Virtus eſt: ſi vieta; tu ab illis, & natura eſt. Itaque nondum tu in vado.

Itẽ ex peccandi impotentia.

At vis à dubio liberari? Vis quod eſt incertum, euadere? Age pœnitentiam, dum ſanus es ſi ſic agis: dico tibi, quod ſecurus es, quia pœnitentiam egiſti, eo tempore quo peccare potuiſti. Si autem vis agere pœnitentiam, quando iam peccare non potes, peccata te dimiſerunt, non tu illa.

D. Aug hõ. *41. & refertur de pœnit. diſt 7. c. Si quis.*

Qui prius à peccatis relinquitur, quàm ipſe relinquat, ea non libere, ſed quaſi neceſſitate condemnat.

Idem li. de vera & falſa pœnit. cap. 17.

Relinquere præſtat, quam relinqui.

Nihil illhic difficile: ergò neque virtus, neq; corona, vt nec Eunuchis, aut ab hominibus, aut à Natura, ſi Venerem nullam norint.

Denique, quia inurbana.

Sani hominis ſana pœnitentia; Infirmi, infirma; Mortui, mortua, & exanguis.

Sed fac ſecuram: nos certè gratam negamus. *Prouerb.*

An neſcis, *bis illum dare, qui cito*?

Vel gregalia quoque poma, etiam poſt paucos dies itura in faſtidium, delectant ſi prouenere maturius.

Senec. li 1. de benef. c. 12.

Primi-

Primitiuas terræ fruges, ac primogenita animantium offerri sibi. Deus lege prisca constituit.

Michea 7. *Præcoquas ficus desiderauit anima mea.*

Psalm. 28. *Afferte Domino filij Dei, afferte Domino filios arietum.*

Psalm. 68. *Placebit Domino, super vitulum nouellum, cornua producentem & vngulas.*

Primitias virginitatis nostræ Sponsus hic optat & militum suorum tyrocinia Dux iste requirit, iure summo.

Iob 15. Validus sc. diaboli miles, Deum Gygantæo more impugnasti (*cucurrit enim aduersus Deum impius erecto collo*) & fractus, emeritus, & rude iam donandus, ad Deum transfuga gratus, redire tandem possis?

Nam primitias seruo. Propinatam primùm opilioni pateram, tandem Regi dabis? Aut vinum limpidissimum seruo: fæces Regi?

Cibos à fele, aut Dracone præmorsos hominum nulli ausis dare; & ausis Deo?

Reliquias exhibet Domino. Ætate tota Carni, Mundo, Dæmoni consecrata; decrepitos, morbidosq; annos, atque ætatis fæcem, Deum gratè habiturum sperabis?

Quam præmorderit Draco ille rufus, animam ad satiem vsque eandem; adhuc fixorum dentium vestigiis horrentem Deus sumturus?

Matt. 27. Næ ille parùm nauseabundus in Cœlis modo, si gustet, qui mortalis adhuc *fel aceto mixtum cum gustasset, noluit bibere.*

Næ ille antidotis admodum præmunitus, si præmorsos à Dracone illo rufo, ac toxico mero infectos animæ tuæ cibos tunc sumat.

Leuit. 22. Sed, *Morticinum* (credo) *aut raptum à bestia non comedet*, ipse qui vetat.

III.

Crudelitati, ac Tyrannidi similem illam fore.

Denique, vulgata ista: ***Adflicto non danda afflictio.***

Et: ***Iacenti non insultandum.***

Et parcendum aiunt { ***1. Adflicto. 2. Victo, 3. Sepulto.***

*1. *ADFLICTO*, qui etiam hosti ipsi miserabilis.

Sed senex, sed moribundus, Mente, ac Corpore, mæstitudine, ac dolore vario (vt iam dixi) tunc adflictabere, & adflictare etiam magis magisque cupias, Pœnitudine tàm serò in animum, corpusque recepta? Insultat enim adflicto.

*2. *VICTO*, quis nisi Brennus, aut Lupus insultet? Victo.

Quàm diu Mars dubius, & armatus adhuc hostis conatur ad Victoriam ac tui cædem; punge, cæde, ac seca; ista tum licent, Belli iure; At postquam *victum tendere palmas.* *Virg. 12. Aeneid.*

Ausonij videre:

Postquam balteum dedit, equoque lapsus, calcaria deposuit, hastam, loricam, gladiumque abiecit, campo cessit, ac sub iugum iit, & seruandum recepisti: cur tùm sæuias?

Vlterius ne tende odiis *Idem ibid.*

Corpora magnanimo satis est prostrasse Leoni; *Ouid.*

Pugna suum finem, cum iacet hostis, habet.

At lupus, & turpes instant morientibus vrsi.

Et quæcumq; minor nobilitate fera est.

Cum caro in armis est, teque impugnat: tũc perdomanda.

Castigo corpus meũ, & in seruitutem redigo, aiebat Paulus nondum victor. *1. Cor. 9.*

Tunc animis opus Aenea, tunc pectore firmo. Virg. 1. Aeneid.

Pietatis genus est, tunc esse crudelem. Humanissimus planè, quisquis carnis suæ, non sine arte, trucidator.

Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Ioan. 12.

Si tempestiue oderis, tunc amasti.

At cum ætate, Morbisque fracta, iam balteum dedit, stimulosque remisit, iamque fide tua ac cura eget: Tu profectò crudelis, qui tùm seuire velis, ieiuniis, vigiliis, fletibus, &c. misellam exercendo, canos victi, & supplicis nihil erubescens.

Mortuo. * 3. *SEPVLTO* verò quis nisi furiosus insultet?

Quid miserum Aenea laceras? iam parce sepulto, Virg. 3. Aeneid. aiebat Polydorus. Sæpè quem extingui voluimus, extinctum miseramur: Etiam Leo, quo lictore Propheta trucidatus, mortuum reueritus est adtingere, imò & tuitus ad sepulturam. 3. Reg. 13.

Qui nuper Niuigellæ, Franciscos illos Regios, Franciscanos, refodere, Religionis odio, sunt conati: Deus bone! quam fuere bonis omnibus execrabiles!

Et, qui olim, spe auri inueniendi, sepulchrum nescio cuius Regis refodere: Et Sylla, qui C. Marij cadauer eruit: quot diris meritò denoti? Plinius l. 7. ca. 54.

Sed senis, sed moribundi corpus, viresque emortuæ iam, ac sepultæ; Igitur crudelis tu, qui pœnitudinem in senium reseruas.

Ah! ne sæui tantopere, atque in carnem, *quam nemo vnquam odio habuit. Carnem tuam ne despexeris.* Isai. 58.

Iuuencum ætate integrum cursu, onere, hastaq; fatigans; senescentem, & vix ossibus hærentem solues, ac rude donabis; carnem tuam non item? Quæ tandem, nisi isthæc immanis sæuitia est?

CON-

CONCIO XV.

Them. *Statutum est hominibus semel mori,& post hoc Iudicium.* Hebr. 9.

FActa repetitione,ita propositum.

Ostendēdum hoc: Propositio
1. *Contritionem veram in extremis vix haberi posse*
2. *Nec confeßionem integram.*
3. *Satisfactionem multo minus: Ergo neque Pœnitentiam legitimam.* AVE.

I.

Contritionem veram in extremis vix haberi posse.

Bella Virtutum, Vitiorumque, & Hominum inter se,vt praxi sæpe, ita & legibus fere conueniunt.

Sed Æquitate magna in bellis vtendum, maximè in Monomachiis ceu duellis. Æquitatē decertandū militi in hostem.

Paritas n. triplex obseruanda:
1. *Numeri,*
2. *Armorum.*
3. *Auxiliorum.*

1.Reg.17.

* 1. *NVMERI*,vt vnus vni congrediatur. Nā, *ne Hercules quidem contra duos*,ait Prou. *Virg.5. AEneid.*

Ita Dares olim cum Eutello: Dauid cum Goliatho,turri illa animata,iste funda & lapide; ille * cęstu,ceu claua pilas plūbeas loris bubulis adpēsas habente,luctati. * *qui forte idem cum plumbatis. de quibus sæpe in Martyrum historijs.*

Horatii etiam illi tergemini, olim pro Romanis, in totidem Curiatios stetere,vtrique inter acies suorum,vtrimque spectatrices, suæ aut Libertatis, aut

Liuius de e- ad. 1. Seruitutis, è paucorum virtute, quasi è seta filoque pendentis.

Anno 1600. Et ante paucos annos, vndeuiginti Grobandonicæ cohortis Equites, ab vndeuiginti Gallis Labreautenis prouocati, gloriosissime ad Buscum. Ducis triumpharunt, cæsis ad vnum pæne omnibus audaculis illis prouocatoribus, paucis vero suorum (vt fama, & editi passim libelli testātur) desideratis.

* 2. *ARMORVM quoque* æquitas obseruanda, ne nudus in loricatum prodeat, aut telis imparibus. Gladiatores gladiatoribus; hastati hastatis; catapultarii catapultariis obcurrunt.

Virg. 5. AEneid. Arma armis, & cæstus cæstibus impugnantur.

Iudic. Miraculum habent victoriæ, quæ ab armis imparibus: vt illa Samsonis de Philistæis, in asini mandibula: & altera Dauidis de Goliatho, in funda tantum, & lapide. *1. Reg. 17.*

* 3. *ET AVXILIORVM* ne Eques in peditem, in planitie depugnet, aut contra. Ne loco, & Tempore aduersis; ne alter ex monte, alter ex valle: alioquin *duplex & cum loco, & cum hoste certamé,* ait Vegetius: Ne Sole, ne Ventis aut pluuiis obiectis, &c. id genus.

Pœnitenti in Vitia

Veget. l. de re mil.

Ergo in Virtutū Vitiorumque pugna, etiam æquitate Numeri, Armorū; Auxiliorum decertandū.

Vnum vni, tria tribus, multa multis, magna magnis obponenda.

Impugnant vero nos tria punctorum genera	*1. Cordis.* *2. Oris.* *3. Operis.*	Tribus igitur Virtutibus obcurrendū	*1. Contritione.* *2. Confessione.* *3. Satisfactione.*

Vt tria tribus opponantur.	Eadem tripliciter loricata	*1. Voluptate.* *2. Impudentia.*	obcurrandū.	*1. Contritione,* in qua dolor. *2. Confessione,* in qua verecundia.

3. Superbia.	3. Satisfactione, in qua humilitas obedientis iusso hominis.

Quot modis vnum oppositorum, tot modis & reliquum esto. *Aristot. problem sect. 1. q. 2.*

Contraria contrariis curentur.

* 1. *CONTRITIO* mœsta cor scelerum fontem *D. Greg.* [*De corde enim exeunt cogitationes malæ, furta, homicidia adulteria*] adfligat ac turbet. Radicem mali securis ista primum secet.

* 2. *CONFESSIO* verecunda, Os durũ, ac quõdam spurcitiis omnibus patulum, nunc inuite patere iussum, excruciet, & pudore iusso, effrænem eluat peccandi impudentiam.

* 3. *SATISFACTIO*, Opera operibus impugnet. voluptati,

Est aute contritio duplex { 1. *Mentalis* 2. *Sensibilis.* Contritio.

* 1. *MENTALIS*, quæ internus quidam est dolor ac pudor, vel potius quidam de peccato dolendi, pudendique conatus, Peccatori ad salutem tam necessarius, quam feruor musto, ad defæcationem. Mentalis saltem.

Eam in sanis magnam, velut mare, & velut luctũ vnigeniti, aut mariti [pretio scilicet atque æstimatione] esse oportet, vt malit scilicet vnigenito orbari, hæc marito viduari, quam gratia Dei. Maximè in morbo.

Ægrientis porrò maiorem, quam sani velim, vt impotentia actus externi [cuius is tum vix Dominus] dolore isto internate supleatur.

Effectus piger, Affectu magno pensandus est.

Effectus enim Affectusque, alter alterius vicissim frequenter succedanei, si quandò vterque aut haberi omnino nequit, aut certe ægerrimè.

Vt *Quid pro quo* Pharmaceutiuæ, valde notũ, quod medici vocant Succedaneum: ita & Theologorum scholæ.

Verbi causa: Efficere mihi Franciscano, nõ datur, vt famelicus non esuriat, vt nudus, erransque colligatur? Ego Affectu tanto maiore miserebor. Si non efficio, adficiar certe multum.

Contra: Affectus miserendi Diuiti tibi est lentus? Effecto vberiore pensa, da multis, da multa, da multum.

Optime tamen, cum Affectus Effectusque passibus æquis ambulabunt.

Et hæc passim nota: *Qui non habet in re aut ære, luat in corpore:* & contra.

Sectionem venæ marsupii hoc vocant; qui lepidiusculi.

Ergo cum cuiusuis ægrientis Effecta sint parua, Adfectus pænitudinum, votorum, maiores sunto, & ab adspectu bono, summi sc. Boni offensi, nõ pœnæ (quod Iudæorum) non perditi nominis viri probi (quod proprium Philosophorum est, ac Pharisæorum)

Isai.38.

D. Aug. lib. de contrit. cordis c. 10. to. 9.

Inferni reus, doloribus Inferni intus augeatur, pro magnitudine læsæ Maiestatis.

Hinc Rex Propheta: *Dolores Inferni circumdederunt me.*

Et illius successor: *Recogitabo tibi annos meos in amaritudine animæ meæ.*

Audi Augustinum pænitentem, quisquis forte illum sequutus es errantem. *Præcipitare miser homo* (inquit ille sibi) *in profundum immoderatæ mæstitiæ, qui sponte præcipitatus es in baratrum horrendæ nequitiæ. Obruere infælix, mole terribilis doloris, qui libens corruisti in cœnum infernalis fœtoris. Obuoluere ærumnose, in tenebris inconsolabilis luctus, qui volens prouolutus es in voragine tam sordidi fluctus .... Terror terribilis, horror horribilis, mæror*

mœror inconsolabilis. aggregate vos super me, irruite obruite, iustum est, possidete me, iustum est, perturbate, obuoluite torquete reum, vindicate Deum Præsentiat Fornicator, Inferni tormenta, quæ meruit.

Et Cyprianum: *Pœnitentia crimine minor non sit.* — *D. Cyprianus ser de lapsis.*

Cum D. Ambrosio: *Debet æqualis esse pœnitentia delicto, vel certe superare.* — *D. Ambro. ad virg. lapsam c. 4.*

Possit vero esse Doloris huius interni vis tanta, vt culpam pœnamque omnem relaxans, sola ægrũ beet. — *D. Tho: in 4 dist 17. art. 5. q. 2.*

Contritio excellens præoccupato sola est satis.

* ij *SENSIBILIS*, quam dico pœnam, à volũtate, foras in corpus erumpentem, seu pectus tundendo, exclamandoque cum Publicano illo: *Deus propitius* &c. seu lachrymando noctes totas, cum Dauide Adulterii, Homicidii, ac Proditionis reo; Seu qua quà scelerum pœnas corporeas sponte à se deposcendo. — Et (à fieri potest) rẽsibilis. *Luc. 18.*

Congrua ista quidem, ac non absolute necessaria, vt quæ sæpe extra ius potestatẽque hominis, neque indiuidua Charitatis comes.

Nam quibusdam, etsi amantibus satis, satisque de peccato dolentibus, sed pumice siccioribus, nihil lacrymas extuderit, ne Mors sua quidem,

Sed ægris neutra plena, vt plurimum. — Ægris autem, ne habeant illã, obstant tria.

Contritioni ægrorum obstãt tria:

1. *Iudicii ac rationis (quæ huius Dux prima est) à morbo vulnera:*
2. *Curæ rationem, quamlibet integram, alio distrahentes:*
3. *Medicorum iussa qui tristari ægrum vetant, lætari iubent.*

Clauda igitur finalis Pœnitudo, saltem hoc pede.

II.

Confessionem integram in Morte haberi vix posse

Confessionis vis magna

Sed faciet (inquis) Confessio ex attrito contritum.

Faciet (inquam) si legitima.

Magna .n. vis Confeshonis vndequaque, qua ad
1. *Attritionis correctionem.*
2. *Remissionem culpæ, vi clauium.*
3. *Remissionem pœnæ, eadem vi atque erubescentia.*

Laurent. Iustinianus de discip. & perf. monastica. c. 19.

Confessionis Sacramentum velut sinus pacatissimus est in quo hominum conscientiæ religantur, ne à procellis absorbeantur delictorum.

Deiecta eriguntur, amissa reparãtur, & quicquid immũditiæ inundantibus tentationũ procellis, aut operãte malitia, in nauim conscientiæ perfusum est, reiicitur, & purgatur.

Ioan. I.

Si confiteamur peccata nostra, fidelis & iustus est Deus, vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos, ab omni iniquitate.

D. Greg. hõ. 40. In Euã.

Peccati virus salubriter aperitur in Confessione, quod pestifere latebat in mente.

D. Bern.

Vox viri magni: *Omnia in Confessione lauantur.* Et: *Præcedat sententia Petri sententiam Cœli.*

Annulus iste regius, literas remissionis sigillat, & [nisi quis vetat obex à nobis] autorat.

Matt. 16.

Quodcunque solueris super terram erit solutum & in Cœlis.

Sed vt bona fiat multis opus

Sed Dii boni! quanta integritate hic opus, Genera, Species, Numerosque peccatorum exponas!

Nam vt singula vulnera, per corpus sparsa: Chirurgo detegit saucius, vt singula singulis emplastris medicentur: Ita peccata vera animæ vulnera singula singulis egentia remediis, etiã Sacerdoti, animarũ Chironi vulnerario sigillatim detegenda.

Quid

Quid refert, qua pereas, si qua peris? Horat. l. 1. ep. 16.

Stultorum incurata pudor malus vlcera celat.

Temporum vere ac locorum quoque quanta habenda ratio! Sacro enim aut Loco, aut Tempore peccasse, auget scelus: atque ita de cæteris quisque secum.

D. Augustini suasu, *Consideret qualitatem criminis in Loco, in Tempore, in Perseuerantia, in Varietate Personæ: cuius fuerit Ætatis, cuius Sapientia & ordinis & quali hoc fecerit Tẽtatione & in ipsius tirplici Executione*, tam Iudex, quam reus. D. Aug. lib. de pœnit.

Sed hæc qui possit æger, { 1. *Memoria tum fallacissima.* 2. *Angustiaq; temporis tanta?* } *Qua ægri ægre præstare possint.*

* 1. *MEMORIA* tum fallacissima, annorum, morbique iniuriis, quem sæpe *consequitur comes insomnia: ea porro insaniam affert.* *Memoria vitio*

Vt enim vltimo horæ momento, Horologii cardine iam reuulso, rota in medio rotæ, quæ antea arte magna progrediebatur, impetu magno fertur, ordinemque nescit, & horrore adficit. Ita in Morte, caput hominis, illustre illud horologiũ (non à cæco illo, Horologii Cameratis autore, sed ab omnia vidente Deo] quod, quamdiu nulla vis morborum adflictabat, miro moderamine, pondere, mẽsuraque ferebatur: Intelligendi, Statuendi, Memorandi miro ordine: tandem, cum illud nescio quæ Ætatis morborumque rubigines, aut catharrorum, quasi pluuiarum, vis quædam læsere: & sonandæ iam horæ momentum est [id est Morte instante] turbas habet suas, & mirum horrorem, rotis rotas turbatim quatientibus: Chaos dicas, quid primum, quid secundum Cæcil. Plotio.

sit, nescias; hoc est, parum intelligit homo, parum iudicat, obscureque meminit.

Quis bipenni acuta ac limata secandi impotēs; eadem aut cote, aut vsu, retusa melius secturum se speret?

Temporis angustia. Organi indispositi actio imperfecta.

* 2. *ANGVSTIA temporis* tanta. Nunc enim, nunc emigrandum.

Isai. 48. An nescis ex Philosophis, *Actus actiuorum non esse in instanti*?

Demus vero, vt Senecam versus multos retrograde recitantem, etiam tum vincas memoriæ beatitate: an non mora magna tamen opus, *recogitaturo* tot *annos*, tot scelera, toties repetita, *in amaritudine animæ tuæ*?

Vides modo, quantam delictorum vel vnius anni Confessio (si tu tamen ita durè Catholicus) exigat ad remiscendum moram? vtque tu post meditationē tantā (tanto otio memoriaque ceteroqui adhuc valēte, ac sana) velhæreas; ne vel obtescas ad singula, ac crebro dicas illud Nabuchodonosoris; *Somnium dicite mihi*: non obmutescas in Morte, æger, festiuus, seculi prope vnius scelera recensurus?

Dan. 2.

Luc 18.

Matt. 25.

Matt 18: Luc. 12. Vrget Deus, & instat dicens villico: *Redde rationem vllicationis tuæ*.

Peregre rediens, *vocat seruos quibus tradidit bona sua* post multos tandem annos.

Premit Rex debitorem 10. milium talentorum, dicens. *Solue quod debes*. Hac hora, hoc vespere, *Hac nocte animam tuam repetunt a te*.

D. Greg. li. 4 dialog. c. 36. Tu cúm Crysaorio illo diuite, superbo, libidinoso, auaro clamas: *Inducias vel vsque mane. Inducias vel vsque mane*, is contra negat daturum. Ergo properanter tu Sacerdotem acciri iubes, & properanter tum tu Sacerdosque tantæ molis opus expeditis, tu dicendo, ille pro re nata consulendo, absoluendo,

uendo,&c.& integre fieri posse tu putes?

Oeconomum finge Croesi, aut Principis magni, à quo nullas,toties 30. aut 40. annis,neque dati,neque accepti, Princeps exegerit rationes, & ipse Oeconomus securus scripserit nullas; Princeps vero tandem improuiso, ac derepente iubeat paratum illum cum rationali cras adesse, in Ærarij cameris, aut Sibi, aut Auditori à se constituto: Vt Oeconomus memoria Simonidem aut Senecam vincat,aliasque otio maiore possit omnia apte adnotare;(tuã fidem!) num id possit vno tunc die aut nocte?non arbitror.

Tun'tot rerum diuinarum Oeconomus, tot annos susque deque habens omnia, nullis neque calculis, neque rationum libellis vsus (j. nulla, aut vana Confessione) repedundarum tandem adcusatus, possis nocte vna, de peccatis singulis, de vsu,abusuque rerum Domini huius Opt.Max. vel ipsi Deo intus in animo,vel foris Sacerdoti,auditori in eam rem decreto,apte loqui? *Ioan.4.*

Sed scio:speras à Deo demissũ iri aliquem Christum è cælo nouum, qui tibi vt Samaritanæ quõdam illi)*dicat omnia quæ feceris*, quot vel tu vxores,vel vxor viros,habueris. *Ibid.* *Dan.2.*

Quinq; viros habuisti, & nunc quem habes non est tuus vir.

Venite & videte hominem,qui dixit mihi omnia quæcunq; feci.

Aut Danielem aliquem adfore tum credis,qui tibi Nabuchodonosori nouo,non modo significata somniorum (quod solum arioli poterant:) sed & somnia ipsa, quæ iam somniatori ipsi excidere, diuinet:

Aut Ariolum Sacerdotem, qui ex palmæ lineis, Chiromantia quadam, singula tibi anteacta denarret.

Aut Simonidem aliquem, qui moribundo me-

memoriæ artem venditet.

Aut tu forte ex veteri arte, ad Loca, Imagines, Ordinemque oblitorum tot criminum recursabis.

Aut (ex Momi voto) fenestella pectori tuo fiet scilicet, vnde secreta Sacerdos rimetur.

Hier. 17

Homo est, homo est Sacerdos, non Deus, cui soli patet *cor hominis* tam *inscrutabile*.

Virg. 6. Æneid.

Aut *Rhadamantus* scilicet aderit cui *cogat subigatq; fateri,*

Quæ quis apud Superos, furto lætatus inani.
Distulit in seram commissa piacula Mortem.

Luc. 21

Ergò cùm ægrè adeo fiat Confessio integra, ab ægris *arescentibus, præ confusione sonitus maris, & fluctuum* [vt sic dicam] & tanta temporis angustia; pœnitudo integra frustra in Morte speretur.

III.

Satisfactionem multò minùs.

Satisfactio, ne etiam opus, ad perfectam pœnitentiam.

Tertia superest Pœnitentiæ pars, Satisfactio. Dimissa enim contritis, confessisque culpa, pœna, restet subeunda, pro æternis temporaria.

D. Aug lib de pœnit. Hugo lib de myste. Ecclesiæ.

Ex mente D. Augustini: *Ad agendam pœnitentiam non sufficit mores in melius commutare, & à malefactis recedere, nisi & de his, quæ facta sunt, satisfacias Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis.*

Pœnitentię etymon.

Hugoni certe, *Pœnitentia adpellata, quasi punientia, eo quod ipse homo, in se, pœnitendo, punit, quod male admisit.*

At æger, vix morbis præsentibus sufficiens, si dura debet, & iubetur; qui possit pati?

Asconio, *Satisfactio est tãtum facio quantũ satis*

[ir]ato ad vindictam. Sed quid satis irato Deo, ad vindictam scelerum tam Magnorũ, tam Multorum, tam Diuturnorum?

Satisfactionis finitio

Saltem Magna, magnis: Multa multis: Diuturna diuturnis expianda, vt *Pœnitentia crimine minor non sit.*

D. Cypr. ser. de lapsis.

D. Hieronymi sensu, *Necessaria est Pœnitentia, quæ aut æquet crimina aut certe excedat.*

D. Hier. ep. ad Susan.

Vlcera possessis alte suffusa medullis.
Non leuiore manu: ferro sanatur, & igni.

Claudian. 2. Eutrop.

Grauiores causæ grauiores & acriores & publicas curas requirunt.

Eusep. Emiss. hom. 10 ad Monachos.

Facite fructus dignos pœnitentiæ, ait Baptista. id est, pœnæ peccatis pares sunto.

Tu tot Quadragesimarum, ac Vigiliarum violationes, vnius horæ inedia pensabis.

Aut, tot adulteriis tot homicidiis expiandis, vna, atque altera precatiuncula facies satis?

Cuius incapax sceleroſus in Morte.

Multorum dierum negligentia, non potest vna hora expleri.

D. Chry. hõ. 52. op. imp.

Sed e Scoti mente à morte naturali, quamlibet necessaria (dum placeat) leuiculis delictis omnibus, pœna sufficiens, ac forte pars magna illius, quæ magnis illis iam remissis debetur. Multo etiam magis à morte pro peccato inflicta, si patienter toleratur.

Scotus in 4. ser. dist. 21. q 1.

Esto: sit hoc satis ad Inferni euasionem: satisne ad Cœlum etiam mox sperandum:

Quibus cœlum debeatur.

Fide nostra, Cœlum iustos solos ac meritos manet.

Psal.

Iustum autem non facit sola mali fuga, sed amplexus Boni adiunctus.

Isai 1.

Psal.

Declina à malo & fac bonum, ait Rex Propheta.

Quiescite agere peruerse, discite benefacere, ait bifarie, Propheta Regis frater.

Merentibus bifarie, Fugà Mali, Amplexu Boni.

Requiescet in monte sancto Dei, qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam.

Alterum

Alterutrum deest, clauda est Iustitia nec Cœlo admittenda.

Heb. 9. Qui claudos *tabernaculo* suo *huius creationis* explosit: illos in hoc *perfectius ac peraplmius*, neque *huius creationis* admittat?

Matt. 15. Vt virginibus fatuis, oleo, distitutis, *clausa est ianua*: ita & operum bonorum nihil habentibus.

Matt. 11. Vt nil peccaris, si nullum confers bonum explodere.

Regnum Cælorum vim patitur: & *violenti rapiunt illud*. Fit via vi.

Ysai. 1. *Quiesti* iam *agere peruersè*, in lectulo moribundus (fateor:) An vero *didicisti* etiam *benefacere*? Et cuius ergo Boni adspectu Cælum sis ingressus.

Aliud Satisfactionē esse aliud Meritum. Pœnitentiæ merito (inquis) quam nunc gero. Atat. Illa Satisfactionis est, non Meriti cuiuspiam noui.

D. Chrysost. D. Chrysostomi senso; Non videtur spes salutis, si duntaxat æqua pœnitentia delictum: nihilque supererogetur, vnde regnum consequamur.

An si vetere debito te liberasti, ne perires: & (vt sic dicam) per bona nunc facta, Mala tua, infecta qua potuisti, effecisti: etiam istis tu gratiam affectos, ad coronam?

Tarde in Morte pænitentes, merendi tempore destitui. Talenti debitor, talentum vel tandem rependisti: an tibi gratiæ idcirco debitor qui commodant? Supererogandum aliquid gratis fuerat, aut ouem, aut lepores aliquot, aut vxori stolam, si illum gratiæ volebas debitorem.

Mille penis obnoxius, à Deo pœnas mille dedisti. Quid tum? Fecisti Deo tu quidem satis, ne pœnas alias poscat: At vt Cœlum tu merito poscas, iterum multum diuque & gratis sudandum tibi.

Ægre sufficere satis factiani. Si innocens Bona opera semel debet: an non qui peccauit, geminata & bis debet, Solutioni quædã scilicet, altera Merito? Pro peccatis pretiũ quale quale potuisti, pœnitẽdo persoluisti: vbi deinde illa, quæ ad meritum?

Nul-

Iussusne ergo Mortis Christi (inquis) hominibus fructus? Responsum obiectiūculis impœnitentium.

Multi vero & magni: vt Culpæ remissio: Pœnæ commutatio æternæ, in temporariam: Aditus, cum tributo tamen, in Cœlum. *Ecce quod remansit, pone ante te, & comede, quia de industria seruatum est tibi quando populum vocaui.* 1. Reg. 9.

1. A merito Christi.

Amicus effectus es, ne, vt hostis excludaris; & pōs tibi ab illo Pontifice erectus sumtu certe magno, à ripa ista misera, ad portum illum fidum. Tantum vectigal pende, statum etiam ipsius Regis filiis, progaui, atque intimis.

Nauigium instruxit Christus, quo transuades, da naulum.

Muros Rex arietando perrupit; tu conatu magno irrumpe. Matt. 11.

Violenti rapiunt illud, etiam nunc hiante muro.

Tun' pro nullis habes fructus istos, qui à Passione Christi?

Cruce dignus, à cruce sis absolutus, iussus, duntaxat crucem osculari, aut tertio ambire, aut laqueum collo, aut furcam (veteri more) gestare, è cruciario effectus furcifer; tun' tecum gratiose actum aficiabere?

Quid si prætereà tu pristinarum dignitatum capax e cruciario (dum tamen virtute deinceps ambias) efficiare? Hoccine parum?

Ergo, si Inferno dignus, passione Christi absolueris, æternumque malum temporario redimis; dignitatibus deinde Cœloque (dum tamen virtute ambias) aptaris; id habe muneris magni loco.

Cęterum vt temporario supplicio, æternum in morbo redemeris; ecquo tandem deinde iure Cælum ambias, cuius nulla adhuc Virtus gratis extitit, nullaab angustiis temporum, futura?

Sed *duo minuta viduæ* prælata aureis cæterorum. à viduæ oblatiūcula

At illa neque tunc, neque alias ante vnquam diues: nec, si alias diues, vitio suo pauper: alioqui, à vitiosa paupertate, angustum exiguumque munus haud ita augustum Christo, aut gratum fuisset.

Itaque tu minuta tua grata tunc fore despera, qui olim temporis otiique ditissimus, cessaueris.

Ne tu vrbanus valde, qui cum plura olim maiore otio potuisses, tandem, tempore miserè dilapidato, paruis contentum vis Deum.

Arist. polit. l. 2. cap. 10. Vt *Pittaci Legislatoris lex est propria, ebrio, si quem pulsauerint, maiori pœna damnari, quam si sobrii fecissent* (nam in voluntariam illi insaniam sponte ruere:) Ita qui sero Virtutem colunt, bis plectendi.

3. A viniorum omnium mercede pari. In eas. n. se temporis angustias sponte coniecere.

Sed denario donati, ac cæteris pares, etiam qui *hora vndecima* vineam adeuntes, *Vna hora fecere.*

Matt. 26. Sed *Nemo conduxerat:* & conducti illi, mox venere: Tu quoties conductus? nunquam vero venisti.

Ibid. Sed publicanum voculæ paucæ, tunsioque peccatoris iustificauit.

4. A Publicani facili iustificatione. *Iustificabit* (inquam) *sed ab illo* j. ille Pharisæo comparatus, melior, etsi nondum omnino bonus.

Luc. 18. Aut, *Iustificauit:* quia partim absoluit, à Culpa nempe; partim non item, à Pœna.

Aut *Iustificauit* plene, quod sanus, ac, peccandi adhuc potens, rediisset ad Deum, & Contritione illa magna à sana mẽte, cætera suppleisset, & posset, per otium, meritis nouis Cœlum ambire.

5. A latron. cruciarii insperata salute. Neque Dismas latro hic memorãdus, quia in vnicus: & cui vicina, Mortisque cum Christo communio, primitias meriti Christi, tam prodige procurarunt.

Ergo, cum claudicet vndequaque sera illa pœnitentia, qui sit vera, ac salutaris?

Iure summo si aget Deus, seros istos transfugas excludet; si mitiore, sed dubio tamen, saluabit. Altero. n. (Emtoris scilicet) iure suo Christus fortè

cessurus illis, contentus illo altero Filii, & Hæredis.

Sed in dubiis, tutissima amplectenda, & aut sapiendum semper, quod paucorum: aut citissimè resipiscendum, quod, per gratiam Dei, Hominum omnium est conantium. In dubiis, tutissima amplectēda

Audi ergo fili disciplinam Ecclesiæ Matris tuæ: *Emendemus in melius, quæ ignoranter peccauimus, ne subito præoccupati die Mortis, quæramus spatium pænitentiæ, & inuenire non possimus.* *Respons. Domin. I. in Quadrag.*

Audi & filium eius, natu, magnum ac sensu, Antistitem: *Conuertamur ad meliora, dum in nostra sunt potestate remedia.* *D. Aug. ser. 57. de tempore.*

Præoccupemus Mortem, Naturæ, Morte Gratiæ moriendo, nempe Culpæ, ne forte moriamur Morte Pœnæ seu Gehennæ.

DE



DE FINIBVS BONORVM ET MALORVM,

LIBER SECVNDVS.

CONCIO I. vel in Ord. XVI.

Heb 9. Them. *Statutum est hominibus semel mori, & post hoc Iudicium.*

FActa repetitione, ita propositum.

Propositio. Dicendum nūc-
1. *Quam varium vocis iudicii significatum: quod simus sequuturi, & quæ vtilitas tractatus*
2. *An sit aliquod huiusmodi: Qui, quo modo Iudicium tollant.* AVE

I.

Quam varium vocis (Iudicii) significatum quod simus sequuturi, quæ vtilitas tractatus.

Ratio ordinis duplex. A morte ad iudiciū iam trāseo, cuius ordinis causæ istę.

* 1. *THEMA Apostoli,* quo nos vsi, in quo mox à Morte Iudicium statuitur.

Heb 9. *Statutum est hominibus semel mori, & post hoc Iudicium,* inquit. * 1. THE

* i. *ET NATVRA* id ſequitur mortem, Infernum præit, ac Paradiſum, medium quid, inter opus ac mercedem, & quaſi interliminium.

Vita, operi; mors, operis fini; Iudicium, operis Cenſuræ; Paradiſus aut Infernus, operis mercedi decreta.

Cœlum Bono, Infernus Improbo, quaſi hæreditas adeunda, iudicio decernitur.

Talis rerum ſæculi ordo. Furatus enim eſt aliquis?

Ad iudicium ſubſellia trahitur, adcuſatur, auditur, cenſetur; inde dicta cauſa, aut damnatus in crucem agitur, aut abſoluitur.

Sed vocis (Iudicium) in ſcripturis SS. ſignificata plura ne erres: Eſt enim.
- 1. *Actio quæuis Dei, cuius ratio hominem latet, neque diuinari vnquam poteſt.*
- 2. *Diſcriminatio quædam vnius ab altero.*
- 3. *Pœna ipſa, aut vltio.*

Iudicium in Scripturis multa ſignificare.

* 1. *ACTIO* quæuis Dei, cuius cauſa homini ignorata.

1. Opera Dei, quorũ cauſæ hominibus ignoratæ.

Hoc ſenſu dictum: *Iudicia tua abyſſus multa.*

Et: *O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius. Quis enim cognouit ſenſum Domini? Aut quis conſiliarius eius fuit?*

Pſalm. 35. *Rom. 12.*

Quòd ex vterinis duobus, germanis, imò & geminis. *Iacob dilectus, Eſau odio habitus* Iudicio Dei occulto; & ſi iuſto, factum eſt.

De cuiuſmodi nos hic nihil. Prædeſtinationis, ac Præſcientiæ Oceanos Hęreſis ingrediatur, vt pereat; nos vadaturi tantùm, atque iis vadis, vnde vel pygmæus euadat. Aquilæ cacumina montium peruolent; nos aſelli, humi gradiemur, aut etiam repemus.

D. August. tract. 22. in Ioan. de c. 5. Psalm. 42. Genes. 2. Discriminationem.

* 2. *DISCRIMINATIO* quædam, vniusque ab altero segregatio, Augustino.

Hoc sensu, Rex bonus ait: *Iudica me, Deus, & discerne causam meam, de gente non sancta*. j. *Ne perdas iustum, cum impio*, sit Probi, Improbique, apud te discrimen, ac delectus: Bonos bonis, Malos, malis adfice. *Malos malè perde.*

Non enim tantum dicit speculatiuum quendam intellectus actum, id est, cognitionem, ac rectam de rebus existimationem, sed & nescio quid præter illud, forás prodiens (quod nostri practicum vocant) id est iusti, præmii aut pœnæ distributionem.

Iudicis enim est, Cognoscere quidem, at non, vt sciat modo, ibique sistat gradum, sed vt laudet, vituperet, pro meritis, aut muneret, aut mulctet.

Cic. pro Cecinna.

Cicerone autore, *Omnia iudicia, aut distrahēdarum controuersiarum, aut puniendorum maleficiorum causa reperta sunt.*

3. Vltionē. D. Aug. sup. Ioan. 5.

* 3. *POENA*, aut vltio ipsa, vel (vt loquitur D. August.) Damnatio.

Qui verbum meum audit, & credit ei, qui misit me, habet vitam æternam, & in iudicium nō venit, sed transiet à morte in vitam; id est, inferno nō intruditur. Nam ad iudicium discriminationis, seu Censuræ Iustissimus etiam quisque, cum impio, sistendus.

Qui benè fecerunt, ibunt in resurrectionem vitæ; qui vero malè in resurrectionem iudicij, id est, in damnationem.

1. Cor. 11.

Si nosmetipsos iudicaremus. j. puniremus; *à Domino non iudicaremur*. j. nulla à Deo noceret aduersitas.

Vltima duo diuisionis membra, D. Augustino in deliciis: eaque nunc huc adtuli, retundendo mox contra iudicium vltimum, errori, profutura.

Cæte-

Cæterùm, significato duntaxat secundo adcipio, cùm hic de iudicio loquor; cui tamen magna tertii significati lacinia adpendet; Nam iudicium illud vltimum vel solum, Improbis pœnæ magnæ loco, & quà à pudore scelerum, in tanto theatro publicatorum, & quà à damnationis decreto, (quod iam olim ab Æterno dictante præscientia Dei, & iam pridem, Censore Conscientia sua ipsorum, est factum) illic promulgando. Accipio pro discrimina tione, hoc tractatu. D. Aug sup. & li. 2. de consensu Euang. c. 30. & Enchirid. ad Laurent. c. 55.

Qui enim non credit, iam iudicatus est. Ioan. 3.

Argumenti autem huius fructus varii. { 1. *Terror Improbis,* 2. *Gaudium Probis,* 3. *Frænum, ac calcar vtrisque.* } Cuius vtilitas tripartita.

* j. *TERROR* improbis, quod illic Pudor, ac Dolor. TerrorMalorum.

Si mors terribilis, hoc certè terribilius. Terribilis enim illa, non tam quà dissoluit Corpus; quàm quà Animum ad iudicem venire, Statoris instar iubet, ac dicit diem.

A quo vnumquodque tale, & illud magis.

Vrit ferrum igne candens? ignis ergò illo vrentior.

Terret Ioannis Huniadis vel sol[illegible]m nomen? ergo is præsens terribilior.

Territat mors, Iudicii sequentis adspectu? Iudicium igitur ipsa morte terribilius.

Verè *terribilis est locus iste.* Gen 28.

Vt Mariti sui reditum pertimescit adultera quęuis, vti Agamenonis Clytemnestra: sic impius secũdum illum, ad tribunal, aduentum Christi.

* ij. *GAVDIVM* Probis; Gloria. n. illis ex iudicio, ac Corona vnde Paulus: *Qui autem iudicat me, Dominus est.* q. d. minimi facio sinistra de me hominum iudicia, tandem Deo censore honorandus. Solatium Bonorum.

Hinc D. August. *Formidandum malis iudicium, propter pœnam: amandum Bonis propter coronam.* D. Aug. in psal. 100.

Matt.25. Triumphi, ac Panægyris is dies Probis: *Nudus fui, & operuistis me*, &c. inquiet Iudex.

Virg. 1. Aeneid. Tum *Sperant Deos memores fandi, atque nefandi.*

2.Tim.4. *Repositam coronam Iustitiæ reddet Dominus in illum diem, iustus Iudex.*

A Brabeuta tùm, qui e speculatoribus victor, præmium adcipiet, laurum; qui victus, lorum.

Hi *diligunt aduentum eius*, vt maritorum, castæ Lucretiæ.

Venturo Regi confidenter, lōgè ante portas probi obcursant: improbi, vix in portis.

Luc.21. *His fieri incipientibus leuate capita vestra*, lætitiæ signum scil. Probis dictum à Christo.

Act.1. Et de Christi in cœlum adscensu mœrentibus: *Hic Iesus, qui adsumtus est à vobis in cœlum sic veniet, quemadmodum vidistis eum eūtem in cœlum:* dictum solatii magni loco.

Frænum istis, & calcar illis.

* iij. *FRAENVM, ac calcar* vtrisque.

Frænum impiis ne in vitia præcipites ruant, aut vt ruentes medio cursu resistant.

Calcar Probis, quo Virtutem lentiùs insectātes, incitentur.

Theopompis enim quibusdam necessarii fræni, vt calcaria Theophrastis.

Act.17. Quib. multi multos cōtinuere. Hac fini *Deus annunciat hominibus, vt omnes vbiq; pœnitentiam agant, eo quod statuit diē, in qua Iudicaturus est orbem.*

Luc.16. Matt.18. Hac fini, toties inculcatus à Domino is dies, nūc clarè, nunc parabolicè: vt in villico iniquitatis, & 10. milium talentum debitore, &c.

Huius mentione idem, Iudices suos aliquoties territauit, iam vinctus: *Amodo videbitis filium hominis venientem, &c.*

Act.24. Et Paulus, Fœlicem, Præsidem Ethnicum: *Disputante enim illo de Iustitia, & Castitate, & de Iudi-*

cio

cio futuro, tremefactus Fœlix respondit: quod nunc attinet, Vade, &c.

Ilioneus etiam, Æneæ Orator, ipsam Didonem: *Si genus humanum, & mortalia temnitis arma:* *Virg. 1. Aeneid.*

At sperate Deos memores fandi, atque nefandi.

Memores. *Nam si non statim puniunt, sunt tamen memores* (ait Seruius.) *Seruius ib.*

Hoc fræno se, ac suos, Sancti illi tenuere. Ac seipsos maximè.

Dauid imprimis Orpheus ille diuinus. *A iudiciis enim tuis timui: Feci iudicium & iustitiam.* *Psalm. 118.*

D. Hieronymus, à quo istud omnibus tàm Scriptoribus, quàm Pictoribus tàm solenne? *Siue comedo, siue bibo, siue aliquid aliud facio semper videtur illa tuba terribilis sonare in auribus meis: Surgite mortui, venite ad Iudicium* *D. Hier. in Matt.*

Quoties diem illum considero, toto corpore contremisco.

Ephremus ille magnus, ab Iudicii memoria, ferè perpetuus in lachrymis: nihilq; crebrius, quàm terribilem illum diem, in libris inculcat.

Eliæ Abbati, è tribus, quæ se timere crebro iactabat, hoc maximè formidolosum.

Idiotæ cuidam, ex illis SS. Patribus Vrbifugis, ferunt libellum fuisse aliquot paginarum familiarem, hac Christi Passionem: illa Iudicium; hac Cœlum; illa Infernum, solis colorib. rubeis, atris, & huiusmodi commemorentem, atque inde sanctè philosophatum.

Agathoni Abbati (etsi aliàs etiàm sæpè) morituro tamen maximè, animo Iudiciũ recursauit. Nam is triduo toto, immobilis, oculis in cœlum fixis, iacens. *rogatus, Vbi esset? Magno* (inquit) *horrens metu, adsto diuini Iudicis tribunali.*

Et senior quidam, iuuenem, effusiùs ridentem, ita compescens: *Coram Cœlo ac Terra* (*inquit*) *censendi sumus, & tu rides?* ratus, ridere vix posse, qui Iudicii meminisset.

D.Greg. in hom. Et Moralis Scriptor: *Si qua est præsentis temporis lætitia; ita agenda est, vt nunquam amaritudo sequentis iudicii recedat à memoria.*

D.Ambros. D.Ambrosio id maximè in vobis. *Vehementer (inquit) opto Domine, mortis semper, & iudicij vltimi, & Damnationis, ac tormenti æterni, & Beatitudinis Regni venturi meminisse, cuius nemo, nisi qui vitæ æternæ prædestinatus est,* * *potest reminisci* (vt ego verto ex Gallico cuiusdam.) adeo omnes *cogitationes iustorum iudicia.*

Prouerb.13. * Finaliter, & efficaciter scil: si tamen sententia est D. Ambrosij.

Sicut impoßibile est, vt qui esurit, non recordetur panis: ita fieri non potest vt qui saluari cupit, exitus sui, extremiq́ iudicij obliuiscatur.

Ludat scil. alea capitis reus, mox tribunali Manliano sistendus, ac nocens censendus?

Climacus de discretione, gradu 26. Chysostomi censura: *Nemo eorum qui gehennam ab oculos habet, in gehennam incidet: nemo gehennam contemnentium, iudicium effugiet:*

Quemadmodum enim apud nos qui iudicia metuunt, iudiciis non fiunt obnoxij: qui vero contemnunt, illi potißimum in ea incidunt: ita & hic. hõ. 2. in 2. Thessal. (seipsis nequiores.

Improbi, qui lupatum hoc excussere, quotidiè

Alii, his excussis nequissimi. Hinc Rex cautor: *Auferuntur iudicia tua à facie eius; quoniam,* id est, hinc fit quod, *inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore.*

Itaque hoc thema, hic campus noster, eadem fini, qua ante de morte, vt sapias, scilicet, & vt Cito ad Præuentionem, cui nunc locus.

Psalm.9. *Præoccupemus faciem eius in confeßione.*

II.

An sit aliquod iudicium. Qui illud tollant, & qui?

An sit iudicium discriminationis. Iudicium fore, in Fidei nostræ Principiis est. Symboli tantum memento.

Itaque non probandum id quidem, sed tamen ego mox probaturus.

Iudicium

Iudicium n. fore negant quidam, certè

- *1 Directe, pauci.*
- *2 Indirecte, multi*
  - *1. Ethnicorum,*
    - *1. Athei:*
    - *2. Prouidentiæ,*
    - *3. Et Immortalitatis hostes.*
  - *2. Christianorum*
    - *1. Scelerosi:*
    - *2. Liberi arbitrij hostes.*

Multos esse, qui illud negent.

*j. *DIRECTE*, illi, quos meminit Augustin. *Quidam in vobis dicunt, quod, in die iudicij, non sit vel redditurus Deus vnicuique secundum opera eius.* — Alios directè. *D. Aug. ep. 46. ad Valentinum.*

Argutantur enim ita quidam,

Bipartitus est mundus iste, in { *1 Fideles,* *2 Infideles.*

Sed infideles iam olim iudicati: Fideles verò, vel Euangelio auctore, non iudicabuntur. — *Hilarius in ps 1.*

Itaque, si neuter iudicandus, frustrà iudicium.

Non potest videri locus relictus esse iudicio, cum neque infideles, neque fideles sunt iudicandi. — *D Aug. lib. de agone Christiano. c. 27.*

Audi August. ipsum: *Nec eos audiamus qui negāt diem iudicij futurum, & commemorant quod in Euangelio scriptum est, eum, qui credit in Christum, non iudicari: qui autem non credit in illum, iam iudicatum esse. Dicunt enim si & ille qui credit, non veniet in iudicium: & ille, qui non credit, iam iudicatus est, vbi sint, quos iudicaturus est, in die iudicij?* — Scripturis argutantes. *Psalm. 8.*

Non resurgunt impij in iudicio, neque peccatores in concilio iustorum.

Iam vides, quo tibi varia iudicii significata, ante producta. Distinctione enim illa, facile cum Augustino soluas, quod de Fidelibus est obiectum. *Ad iudiciū nō venient*, id est, ad damnationē; quà negatur pœnā tantum, non iudicii ēt locus aut tēpus. Adciti — Quatum modus soluitur distinctione vocis iudicii.

venient & fideles ſcilicet ad tribunal, ad Supplicium non item.

Temporis pro tempore repoſitum.

Iam, quod de Infidelibus addidit Chriſtus; *Iam iudicatus eſt*, quiſquis talis; præterito, futuri vice, à certitudine magna, ritu Prophetarũ, viſus eſt. Quia certò futurum eſt, ita inquit, ac ſi iam factum. *Iam iudicatus eſt* (ait:) id eſt, haud dubiè damnabitur. Præſcientia enim Dei nouit, quid maneat Infideles.

Diſtinctione cenſuræ.

Vel: Cenſuram Dei internam adſpexit, non publicam illã, futura in Iudicio: quaſi dixerit: Tali quidem ob incrudelitatem Infernus, Cenſura Dei occulta, æternaque eſt decretus: ſed nondum patente, ac pronunciata; quo ſenſu, Iudicium non tam tollit, quam geminum ponit, primum ab æterno, ac primum in S. Triadis Triumuiratu: Alterum, in Tempore, ac publicum, orbetoto ſpectatore.

Aderit ergò, aderit vterque iudicandus, & Populus eredens fide viua, ad Gloriam; & incredulus, ad pœnam.

Ad Dauidem autem ita reſpondeo.

Reſurrectio duplex,
1. *Statio totius hominis ante tribunal Chriſti*,
2. *Fortunæ peioris in meliorem mutatio*.

Varia Dauidis expoſitione.

Secundam negat Dauid, alteram non item: q. d. Reſurgent corpore quidem (*Omnes quidem reſurgemus*:) & aderunt puniendi? ſed non ad meliora erigendi, ſed non omnes immutabimur.

Remig cõment in pſalm. I.

Remigius in hoc ferè ſenſo. *In conſilio iuſtorum, id eſt, ad hoc vt ſint in conſilio iuſtorum*, inquit.

Vel: *Non reſurgent impij in iudicio*: id eſt, Damnatis illic ſemel, nullus alio prouocandi locus, aut ſpes vlla alibi euincendi. Nam ſi Latinè dicimus (*cadere cauſa*) quidni & ſenſu contrario (Reſurgere cauſa?

Vel; non ſimpliciter adfuturi Iudicio negantur

tur impii, ſed ſecundum quid. *in conſilio iuſtorum*, ſecundum 70. aut *in concilio iuſtorum*, ſecundum Hebræos; id eſt, non in claſſe iuſtorum (*ſeparabit enim Iudex oues ab hædis.*) non erunt neque in claſſe iuſtorum iudicantium; neque in iuſtorum cœlo ad iudicandorum.

Vel: neganda diuiſionis ſufficientia in Fideles ſc. & Infideles tantum. Diuiſionis repudio.

Nam Hilario, *ſunt aliqui inter impios, pioſq́; qui medij ſint, ex vtroque mixti, neutri tamen propriè, quia in idipſum conſtiterint ex vtroq; nec fidei admiſcendi, quia ſit illis aliquid infidelitatis inſertum: nec infidelitati deputandi, quia aliquid habeant & fidei.* Hi autem ſaltem ſuperſunt iudicandi, quorum adhuc ambigua operum cenſura. *Hilarius in pſal. 1.* *Idem ibid.*

Iudicium enim ex ambiguis rebus exiſtit.

Nulla igitur inficiandi Iudicii cauſa hinc ſatis firma.

ij. *INDIRECTE* negant, Athei, Protagoræ priſci, nouique Aetii, qui vllum eſſe Deum negant. Nam certè ſi nemo iudicat, etiam nemo iudicabitur. Relationem enim mutuam atque adſpectum habent Iudex & Reus, vti Agens & Patiens, quorum alterum ſine altero tale eſſe non poteſt. Alios indirectè. Atheos imprimis.

Relata enim omnia tollunt ſe inter ſe: & ſunt ſimul natura ordine. *Ariſt. in categ.*

Sed hos ego reſponſo dedignor, quos iugulat omnium gentium de Deo aliquo conſenſus.

De hominibus enim nulla gens eſt, neque tàm immanſueta, neque tam ferrea: qua non, etiamſi ignoret, qualem Deum habere deceat, tamen habendum ſciat. *Cic. 1. de Legibus.*

Anticipatio quædam eſt, & notio diuinitatis cuique impreſſa ſine doctrina.

An vero enim tam multa, tam magna, tam ornata (vnde omnia κόσμον dixere) à nullo autore?

Aut tantæ molis opus, tot annos steterit nullo Rectore? stet scilicet nauis, in Oceano, dudum, sine Gubernatore.

D. Aug. in illud psal. Non est Deus.

Neque cursus astrorum, neq; mutationes temporum, neque rerum vicissitudines, tam concordi pace, vicissim alteræ alteris tam ordinatè succederent, si nemo singula, ex alto, temperaret.

Neque verò effrons adeò quisquam, qui si corde, atque intùs dicat, *Non est Deus*: ore etiam hoc ausit, aut foris propugnet.

Pericula Atheis ipsis inculcant sæpè, atque ostentant Deum; quem in timoribus inuocando confitentur; de quibus illud verum: *Primus in orbe Deos fecit timor*, adeò Sole ipso euidentior Deus, qui iudicaturus est viuos, & mortuos.

Deinde Prouidentiæ hostes.

Cic d. nat deorum.

* iij. *PROVIDENTIAE hostes*, qualis Epicurus *nihil curare Deos nec sui, nec alieni, sed monogrammos, & nihil agentes* adfirmans.

Psalm.

Dixerunt: quomodo scit Deus? etsi est scientiam excelso

Ezech. 9.

Dereliquit Dominus terram, & Dominus nos non videt.

Iob 22.

Circa cardines Cœli perambulat, nec nostra considerat. Id qui id adserunt, iudicium negant. Nam quod non videt, dolere non potest.

Prou. *Quod non videt oculus, cor non dolet.*

Nulla igitur etiam iudicialiter vlciscendi causa.

Sed neque vero totus Orbis, Orbe toto spectante, æternum damnandus apud Deum se ipse proditurus dicens:* *Meme: adsum, qui feci: in me conuertite ferrum, O Rutuli mea fraus omnis.*

Virg. 9. Aeneid.

** subaudi occidite.*

Ego sum, qui iniquè egi. Qui nunc studio, non modo ipsos armatos Orbis Vrbisue Dominos, sed aurem vnam Sacerdotis inermis ac parcitur, crimen celes, si possis; tunc proditor tui derepentè effectus, ipsum tu te ipsus accusabis?

Sed

Sed neque Angelus, neque creatura alia spectatrix est cordis, vt adcusare quemque tunc possit.

Itaque nullo spectante, nullo se prodente; nullo adcusante; Iudicium etiam nullum constituẽdum.

Egregia profectò machina, si firmo fundamento niteretur, quod quia arundinem, atque arenosum, etiam tale, quidquid Epicurei superstruxere.

An. *Qui plantauit aurem non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat?* Psalm. 93.

Aut Sol iste, tot simul Vrbes, orbemque vna omnem videat ac lustret scilic; illius verò ipse artifex Deus inferiorum istorum nihil omnino? Qui variè exploduntur.

Aut Deus alteri dederit, quod ipse non habet?

Aut Reguli, Regno quisque suo, aduigilabunt; filiis, reique domesticæ toti, Patres: hæc verò vasta Orbis Monarchia, Deo tota negligatur?

Aut, pacifica Cœli regio potius curanda illi, quàm hæc turbulenta?

Placido mari, Nauta quiuis claui tenax, turbato, vix Nauarchus ipse.

Aut adeo inclemens Deus, cui satis generasse Populos, Filios, Vrbes, Orbemque condidisse, neglectui mox futuros?

Melius Rex, qui dixit: *Dominus, de cœlo prospexit super filios hominum, vt videat, si est intelligens, aut requirens Deum.* Psalm. 13.

Et: *Quo ibo à spiritu tuo? & quo, à facie tua fugiam? Si ascendero in Cœlum, tu illic es, si descendero in infernum, ades. Si sumsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris: Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua,* q.d. quà quà me verto, in Deum incurso. Psal. 138.

In omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos. Prouerb 15.

*Auris * Zeli audit omnia.* Sap 1. * al. cœli

Posuisti in neruo pedem meum, & vestigia pedum meorum considerasti. Iob.

Imò

Imò omnia antequam fiant.

Psalm. *Omnes vias meas prauidisti: Tu cognouisti omnia, nouissima, & antiqua.*

Nulla per vestigia, vel in niue, vel in cinere.

Mortalitatis animarum adsertores.

* iiij *IMMORTALITATIS animarum hostes*, quibus *vnus interitus hominis, & iumentorum*, & quasi lux facis extinctæ, animæ vita perfunctorum.

Plutarc. de placitis philosophorũ. Lucret. l.3. latè Plinius l.7.c.57.

Epicurus, Lucretius, Plinius, Sadducæi, & quotquot Epicuri de grege porci, in hoc crasso errore.

Et minuti quidam Philosophi, aut morosophi potiùs.

Et Sigismundi Imp. vxor, malo omine dicta Barbara, & opinione, quàm nomine barbarior, quæ virgines, Christi causa passas, stultas vocabat, quod nihil voluptatum gustassent. Blasphemabat enim mulier barbara, animas cum corporibus interire, frustraque vitam post hanc aliam expectari.

Ionath. interpres Chaldaicus

In Caino iam olim, & ab eodem, semina erroris istius. Nam (vt quidam refert) boni, malique remunerationem primus negauit, tamque obfirmatè, vt Abelem germanum refragatorem occiderit.

Qui & obiter impugnantur, Autorit. Philosoph.

Contra quos (præter nostros) Philosophi externates alicuius notæ, inprimis Platonici, stant ad vnum omnes.

Ægyptii primi in hac arena, cum Phærecide Pythagore Magistro, vna nobiscum.

Cic. in Catone Maiore.

Et Cato ille Maior, cuius, hæc vox. *Quod si in hoc erro, qui animos hominum immortales esse credam, libenter erro, nec mihi hunc errorem, quo delector, dum viuo, extorqueri volo.*

Et ratione, ex fidei nostræ principio hausta.

Et Ratio vna hæc, è fidei nostræ sumta panoplia, vrgentissima.

Christus mortuus, aut frustrà, aut vtiliter. Vtiliter vero quis negat? Deus enim & Natura nihil frustra faciunt.

Si

Si mortales animi, frustra: Si vtiliter, immortales.

Nam corpori, aut corporeis rebus nostris, à Christi morte, non ita multum boni.

Omnes, post eam, viuimus, quales qui ante illam vixere, pauperes, ægri, (imò nunc, quàm olim, adflictiores Christiani) & morimur maiorum instar. Ergò maximè animæ mortalium is mortuus.

Animis, inquam, aut { 1. *Erudiendis tantum.* 2. *Beandis quoque.*

1. *NON erudiendis tantum.* Nam docendo propriè id ab illo, & abunde perfici potuit citra mortem.

2. *BEANDIS* igitur quoque.

Sed animi hic nihilo, ab eius morte, beatiores effecti, si reconciliationem, & gratiam tollas.

Alibi igitur plenius hinc beandi.

Ergo animi immortales, beandisque illis maximè, tam diram obpetiit, per vulnera mortem.

Alia præterea multa, sed non propria huius loci.

Christiani degeneres.

* v. *CHRISTIANI scelerosi* obliquè factis negant, etsi ore confitentur.

Grego. l. 14. moral. cap. vlt.

Audi summum Antistitem? *Omnis qui peruersa egit, eo ipso, quo hoc despicit, esse Dei Iudicium nescit. Si enim hoc timendum sciret, quæ in illo sunt punienda non ageret. Nam sunt plerique, qui extremum esse iudicium verbo tenus sciunt, sed peruersè agendo testantur, quia nesciunt.*

D Bern. lib. de colloquio Simonis & Iesu in illud: Secundum mult. iræ suæ non quæret.

Adcinit melliflue Bernardus: *Sermo cordis, affectio est, & dicere, non requiret, est non expauescere requisiturum.*

Denique serui arbitrii adsertores.

* vj. *LIB. ARBITRII hostes*, fatique adsertores.

De acto non quouis, sed libero, in iudicio diuino humanoque, disceptandum.

Nam

Nam si homo fati mancipium, si rerum causas, consequentiaq; videre non potuit, aut videns, sentiensque, fato tractus, in scelus omne ruit, nullo iure, illum quisquam iudicio suo sistat.

Cum furioso n. nemo expostulat, nemo, quod hominem occiderit, adflictat, quoniam impotentem illo traxit Furiarum vis maior.

Neque laudat illum quisquam, qui, si benè; aut inuitus, aut fato fecit.

Itaque qui fatum ponunt, aut arbitrii tollunt libertatem, iidem iudicium omne inficiantur.

Qui hic vnica ratione explosi. Sed Legislatorum tabulæ sexcentæ istos explodunt, quæ frustra sint, si homo arbitrii non tam sui, quàm fati.

Audisti iudicii manifestos, occultosque hostes, mox audies assertores.

CONCIO II. *vel in Ord.* XVII.

2.Cor.5.

Them. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi.*

FActa repetitione, sic propositum.

Propositio. Dicendum hodie:
- *1. Probari Iudicium Scripturis SS. Ethnicorum dictis; Ratione.*
- *2. Iudicium duplex de quolibet; Priuatum in morte, Publicum in fine sæculi.*
- *3. Quæ Secundi illius, publicique causa.* AVE.

I.

Probari Iudicium SS. Scripturis; Ethnicorum dictis; Ratione.

Quandoquidem de iudicio fides, velut totius mortalis structuræ est basis, ideo locanda alte eius fundamenta. De illo.n. si dubitatur, aranearum meræ telæ, leges omnes: spretisque illis, ad lupanaria liberè, ac latrocinia conuolaturi improbi omnes, dummodo si non castè nec iustè, saltem cautè. Neque enim in occultas aut voluntates, aut actiones iræ legum aut Regum: diræ Pontificum contrà. Iudicium esse probatur trifariè.

* *CVM CHRISTIANIS* ergo si agimus, Scripturæ istæ satis ad iudicii fidem. Apud Christianos, Scripturis.

Scriptura
- *1. Prophetarum,*
  - *1. Nostrorum,*
  - *2. Externorum.*
- *2. Christi ipsius,*
- *3. Apostolorum.*

* 1. *PROPHETARVM* veterum, honorumque. Prophetarum nostrorum.

* 1. *NOSTRORVM primo Enoch .n. septimus ab Adã* (referente Iuda) ita prophetauit: *Ecce venit Dominus in sanctis milibus suis, facere iudiciũ contra omnes, & arguere omnes impios, de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impie egerunt, & de omnibus duris, quæ locuti sunt contra eum peccatores impij.* *Iuda 1.*

Et Rex Psalmista; *Iudicabit in nationibus, implebit* (hominibus) *ruinas* (Angelorum sci. eiectorum) *conquassabit capita in terra multorum.* *Psalm. 109.*

Cognoui, quia faciet Dominus iudicium inopis, & vindictam pauperum. *Psalm. 139.*

Et Rex Doctore Deo Philosophus: *Cuncta quæ fiunt sub Sole, adducet Deus in iudicium.* *Eccles. 12.*

Et Regibus ortus Isaias: *In memetipso iuraui egredietur de ore meo iustitiæ verbum, & nõ reuertetur,* E quibus Isaias elucidatus. *Isai. 45.*

quia

quia mihi curuabitur omne genu, & iurabit omnis lingua, quem locum ita refert Paulus: *Viuo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu: & lingua confitebitur Deo*, Iudicioque probando vsurpat, vnde & sic argumentatus; *Itaque vnusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo.* — Rom. 14.

Deinde & loquendi modus planè Iudicialis, id de iudicio intelligi iubet. In Iudiciis enim, Rei Nocentesque genu flectunt: & Iustitiæ verbum, idemque non reuersurum (quod stabilem sententiam dicit) phrasis iudicii est.

Neque tergiuersando dici potest, de cultu Dei veri, ab omnibus Gentibus expectato, intelligendum. Nam in terris non simul eæ omnes Deum adoraturæ; sed sic vicissim singulæ, vt tandem omnes: Illic verò simul semelque omnes; Probi, Amore; Improbi, Metu, velint, nolint adoraturi.

Ioel. 3. — Et alius: *Congregabo omnes gentes in valle Iosaphat, & ibi disceptabo cum eis.*

Sopho. 1. — Et Sophonias: *Visitabo super viros defixos in fæcibus suis, qui dicunt in cordibus suis: non faciet bene Dominus, & non faciet malè.*

Daniel. 7. — Et magnus ille somniorum interpres: *Aspiciebam, donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit.*

Externorum. — * ij. *DEINDE externorum:* Illud enim Iobi Regis in terra Hus: *Fugite à facie gladij, quia vltor iniquitatum gladius est, & scitote esse iudicium*, Gregorii sensu, de hoc iudicio est.

Num. 24. — Et Balaam: *Orietur stella ex Iacob, & consurget virga de Israel, & percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth.*

Matt 19. Christi ipsius. — * 2 *CHRISTI IPSIVS. Vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me, in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede Maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes 12. tribus Israel*, inquit.

Et: *Cum venerit filius hominis in Maiestate sua, tunc sedebit super sedem Maiestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hœdis.* *Matt. 25.* *Matt. 12.*

Et: *Omne verbum otiosum, quod loquuti fuerint homines reddent rationem de eo in die Iudicii. Ex verbis enim tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.* *Matt. 12.*

Et: *cum ait terræ Sodomorum, & Tyriis, & Sidoniis, in die Iudicii remissius fore, quam Corozain Betsaida, & Caphernaum.*

Item: *Viri Niniuitæ surgent in Iudicio, cum generatione ista, & condemnabunt eam: quia pænitentiam egerunt, in prædicatione Ionæ.*

Eò tot parabolas, de Oeconomo iniquitatis: de debitore decem milium talentûm: de homine peregrè profecto, tandem, in reditu rationes à seruis talentorum commissorum exigente; protulit. Et totius scholæ eius.

* 3. *APOSTOLORVM*, in quorum ore frequens Iudicii dictio. *Act. 17.*

Petri: *Statuit diem, in qua iudicaturus est orbem.* *Heb. 9.*

Pauli: *Statutum est hominibus semel mori & post hoc Iudicium.* *Rom. 14.* *1. Cor. 5.*

Vnusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo. *Apoc. 20.*

Omnes nos manifestari oportet, ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque prout gessit, siue bonum siue malum. *Symbol. Apost.*

Ioannis: *Vide mortuos, magnos & pusillos, stantes in conspectu throni.*

Denique: & in fidei nostræ principiis ab iisdem communiter editis habes: *Sedet Christus ad dextram Dei Patris omnipotentis: inde venturus est iudicare viuos & mortuos.* Apud Ethnicos, autoritate triplici.

* *CVM ETHNICIS* vero si res est, hac facio fidem.

Autoritate { 1. *Prophetarum,* 2 *Philosophorum,* 3 *Poetarum.* } Peregrinæ religionis.

Noe contemnenda.
D. Chrysost. ho. 50 ad Antioch,
Iob 21.

Chrysostomi.n.mēte: *Habet & ipse Gentilis multos de his philosophatos, qui licet corpus diuiserint, & hoc animæ dixerint; attamen tribunal constituerūt, & tanta est rei claritas, vt nemo fere hoc ignoret. Verum, & Poetæ, & omnes sibi consentiunt & de tribunali, & de iudicio.*

Vnde Rex ille Iob: *Interrogate quem libet de viatoribus* (j. quamlibet orbis nationem imo tonsorem quemuis) *& hæc eadem illum intelligere cognoscetis: Quia in diem perditionis seruatur malus, & ad diem furoris ducitur.*

Propheta-rum externorum.
D. Clemens li. 5. constit. Apost. c. 8.

* *1. PROPHETARVM* peregrinorum; Sibyllarum enim vna, iàm olim id fassa, his verbis:

Venient, ad tribunal Dei, Reges omnes.
Et genus omne hominum (vt fuerant) Deus ipse reponet.
Tunc graue iudicium veniet, quo iudicet orbem, Ipse iterum Deus, &c.

Erithrea ita loquuta: *Cum autem & iste dies fatalem finem acceperit, & in homines iudicium immortalis Dei aduenerit, veniet super homines magnum iudicium, & initium;*

Plato in Phædone.
Philosophorū sanctorum.

* *2. PHILOSOPHORVM* Ex Platonis.n.mente est: *Dæmonem ducem, omnes ad diuinum iudicem vitæ, repente perducere, in locū cōmuni iudicio deputatū, in aerem scil. minus puros* (legisti, obuiam Christo in aera?) *& in ætherem puriores, ibiq; iudicatos, ab alio rursus Dæmone per triuium ad sua, id est, sibi similia singulos trahi. Per triuiū inquam) quia alij mittuntur in Cælum, alij in Tartarum, alij vero in medias regiones. Ducit autem eos. Dæmon, in Bonis quidem intelligentiam mouens, in malis autem imaginationem adfectumq; perturbans.*

Hydaspes, Medorum Rex antiquissimus. *descripta iniqui-*

iniquitate sæculi huius extremi, pios ac fideles, ab nocentib. segregatos, ait cum fletu & gemitu, extensuros ad Cœlum manus, atque imploraturos fidem Iouis: Iouem respecturum ad terram, & auditurum voces hominum, atque impios extincturum.

* 3. *POETARVM,* qui Iudices etiã aliquos mortuis posuere. Imprimis ille Augusti argumenti scriptor semper Augustus Virgilius: *Nec vero hæ sine sorte, datæ sine iudice, sedes.* — Poëtarum. Virgil. 6. Aeneid.

Quæsitor Minos vrnam mouet, ille silentum.
Conciliumq́ vocat, vitasque & crimina discit.

Et mox: *Gnosius hæc Rhadamantus habet durissima regna.*

Castigatque, auditque dolos subigitque fateri,
Quæ quis apud Superos, furto lætatus inani,
Distulit in seram commißa piacula mortem.

Deiphilus quoq; Comicus, his verbis. *Si quis mortalium malè agens, putat Dei oculum effugere, is impia ducitur opinione. Cauete, qui putatis Deum non esse. Est enim, est (inquam.) Si quis autem perperam agit, tempus lucratur. nam postea dabit pœnas.* — D Chrys. sup

Claudo igitur rem totam, totque hac aurea: *Regula hæc est vniuersalis, & determinatio. In virtute viuentium nemo iudicij sermonem negat siue Gẽtilis siue sit Hæreticus: in multa viuentiũ malitia, nemo præter paucos, resurrectiõis sermonẽ admittit.* — Bonos omnes fateri Iudicium, Malos inficiari præter paucos, Ne sit timori. In quo tamen positi confitẽtur.

*Improbi inficiãtur, ne sit formidini, quod tamen ipsos, ipsa periculorũ imminentiũ formido, cogit fateri. Tunc.n. in Cœlũ ora, manusq; cõuertunt, veniã orant, meliora pollicentur, & quid non? adeò scil-lud in cordis tabulas intus incisum, vt, vel ab inuitis, sæpè confessio veritatis erumpat.

* iiij. *RATIONIBVS* e: incitur id quoque apud vtrosque Christianos, Barbarosque. — Apud vtrosque rationibus.

*1. *VBI n. leges,* ibi & violatarũ legum exactores, ac iudices esse oportet, aut frustra leges omnes. — A Legibus;

*2. *VBI Rex Prorexq́,* ibi Prorẽgẽ, apud Regẽ, de gestis à se causã dicere, æquum est. — A Regibus.

Sed Proregem in terris suum, Vniuersique Dominum, Deus hominem constituit.

Psalm. 8. *Constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius.*

Genes. 1. *Dominamini piscibus maris, &c. & vniuersis animantibus, quæ mouentur super terram.*

Ergò, obita fine mundi Prouincia, ad Dei Regis summi tribunal, rationes adferat oportet, accepti, expensique.

Discutiendus prorex quàm fidus Deo Regi: quàm rerum diuinarum studiosus; quàm auidè vsus obsequio mundi: rem ne potius suam, quàm Regis adcurarit.

An se pro Rege gesserit, gloriam vsurpans sibi, vt mundi princeps.

A Dei Natura. * 3. *SI IVDICIVM non est*, Deus non est. Iniustus enim est; Si iniustus, imperfectus. Si imperfectus, non est Deus.

Cuius est iustū esse, aut non existere. Sed Auerrois senso: *Quod est potissimum in creaturis, Deo attribuendum est.*

Vti & Regum. Aristoteli autem, *Iustitia est præclarissima virtutum*: ac Regibus imprimis, *qui gladium portant, ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorū.* necessaria; Illa (inquam) quæ cuique decernit suam.

Psalm. *Honor Regis Iudicium diligit,*

Psalm. *Iustitia & Iudicium, correctio sedis eius.*

Hoc Ptolomæus ille Ægypti Rex, à 72. interpretibus didicit, à quibus (cùm septiduano illo conuiuio exceptos, illos variè tentaret, rogaretque: *qui, & incustoditus, & vacuus metu viueret*:) audiit: *Iustitiam exercendo*: id est, Malos puniendo: Bonos munerando. Itaque neutros nocituros: Mali enim eneruati, non poterunt: Boni, cari pro meritis, nolent. Alioqui, & malos insolentia, & Bonos desperatio, ad facinora concitabit. Malis, Rex pusillanimis æstimabitur; Bonis, crudelis.

Ex Aristeo ad Philocratem.

Et cur?

Remo-

Remota iustitia, quid sunt regna, nisi magna latrocinia? Rex iusta & iuste cense, aut ne sis. D. Aug l. 4 ciuit. c. 4.

Igitur illa Deo inest, aut Deus non est.

Sed hic, in terris, interdum iustitiæ Dei machæra feriatur: cessat ille sæpe, ac conniuet.

Multa mala hic videntur ignosci, & nullis suppliciis vindicari, vt dici possit. D. Aug. in Enchirid. ad Laurentium. c 16.

---- Virgo, cæde madentes,
Vltima cœlestum terras Astræa reliquit,
Et Iouis in regno, Cœlique in parte resedit. Ouid. 1. Metam.

Nam plerumq; *Via impiorum prosperatur:* Hierem. 12.

Et, *Abundant tabernacula prædonum:* Iob.

Et, *Iniquus benedicitur:* Psalm.

Plerumq; *Deus male audit, ob beatos improbos.* Menandr. Monost.

Contra, Probis aduersa pleraque omnia. Elementa, in eos, vniuersa dicas coniurasse.

Ex probis angustiati, nonnulli: lapidati, secti, relegati, excoriati, euiscerati, combusti, mersi, ad palum deligati, damnati ad bestias, ad furcas, ad fustes, ad metalla plerique.

Iustus quidem semper Deus: & iusta ille, & iustè; at hic non adeo adparet.

Itaque vt adpareat; & aliquando ille iure summo agere, iustitiæque obseruantissimus esse, vel cæcis ipsis videatur; Iudicium, quod dicimus, tam necessariò, quam Deus ipse, constituendum est. Iudicium tam necessariò adseritur, quam Deus ipse.

Multorum malorum pœnæ reseruantur in posterum. Neq; enim frustra ille proprie dicitur dies iudicij. D. Aug. Enchirid ad Laurentiũ. c 66.

Tum enim aiet: *Ego Dominus scrutans corda, & probans renes, qui do vnicuique iuxta viam suam, & iuxta fructum adinuentionum suarum.* Hiere. 17.

Cum accepero tempus ego iustitias iudicabo. Psalm.

II.

Iudicium duplex manere quemlibet.

D Tho. 4. 47. q 1 ar. 1. Iudicium cuiusq. post mortem, duplex.

Iudicium autem à Morte cuiusque, duplex mihi, & D. Thomæ.
1. *Priuatum* cuiusque ab ipsa mox morte.
2. *Publicum omnium*, in fine Mundi.

Eccli. 11. Probat Scriptura.

* 1. *PRIVATVM* docet Eccles. Catholica imprimis & Scriptura.

In fine hominis denudatio operum eius.

Ratio quoque à vario mortuorum statu.
1. *Ante Christi mortem,*
2. *Post eam.*

* j. *ANTE Christi mortem* ex adultis nonnulli in
1. *Purgatorio,*
2. *Inferno,*
3. *Beatitudine media.*

Lib. Machab. Et Ratio à vario mortuorum statu.

* 1. *IN PVRGATORIO*, vti & nunc, vnde & suos Iudas Machab. collatione 10. milium drachmarum studuit liberare.

Luc. 16. * 2. *IN INFERNO* vti & nunc. Nam diues epulo (vel Christo teste) *sepultus est in inferno.*

Num 16. Core, Dathan, & Abiron *descenderunt viui in infernum, operti humo*

Vide Marulum li. 6. c. 14 de reuelationib. Infer. pœnarum Multi denique alii, vt sparsæ passim reuelationes haud contemnendæ docent.

* 3. *IN BEATITVDINE media,* Limbo, vel Paradiso, vel Abrahæ sinu respirantes.

Luc. 16. *Lazarus mendicus portatus ab Angelis in sinum Abrahæ.*

Et latroni dictum: *Hodie mecum eris in paradiso.*

* ij. *POST Christi mortẽ* vero, adulti omnes, aut in
1. *Purgatorio,*
2. *Inferno,*
3. *Cœlo*, euacuato iam clausoque limbo, à Christo.

Cœlo certe Diuorum animæ hac vita benè perfunctæ recipiuntur, Patrum, & Scholasticorum vna omnium fide.

Ex quibus pii post Christum mortui, cælicolæ effecti.

Cyrillus Alex: certè in hac fide. *Olim liberatæ à corporibus animæ hominum (inquit) in subterranea receptacula demittebantur, implentes mortis promtuaria: vbi autem Christus spiritum suum Patri commendauit, etiam hanc viam nobis præparauit, non enim ingredimur infernum absit sequimur autem potius ipsum.*

Cyrill. Alex l. 2 de Orthod fide Patrum fide.

Et D. Augustin. *Requiem, quæ continuo post mortem datur, si ea dignus est, tunc accipit quisque, quũ moritur.*

D. Aug. tract. in Euang. Ioan.

D. Cyprianus: *Occiso mundus eripitur, sed restituto paradisus exhibetur.. tam velociter migrandi quanta fœlicitas, vt terris repente subtraharis, vt in regnis cælestibus reponaris!*

D. Basil. li. de spiritu S ad Amphiloch.

Et Basilius: *An non extremi stuporis est, sanctos fateri cum Christo non esse?*

D. Chrys. hom. 4. in ep ad Philipp. initio.

Et Chrysostomus: *Quid dicis Paule? cum hinc abiens, in ipsum cœlum migraturus sis, atque cũ Christo futurus, ignoras quid eligere debeas?*

Denique Iustinus martyr manifestissimè: *Post animi à corpore excessum, statim fit bonorum, malorumq; distinctio, ducuntur enim ad loca, quæ eis digna sunt, ab Angelis bonorum quidem animi in paradisum vbi consuetudo est, & aspectus Angelorum & Archangelorum, visio etiã conseruatoris Christi.*

Iustinus mart. q. 75. à Gentibus posita.

Plato in Phædone.

Et Plato huius mentis; (heri diximus, tu reminiscere) sed & Poetæ, quorum sensu Elysii campi Bonis decreti.

Nam alioqui, quæ sub Lege Euangelica fortuna melior, quam sub Mosaica, si & nunc quoque satis purgatis, Limbo aliquo (quasi breuibus Gyaris, paruaque Seripho) clausis, cœloque exclusis, foris morandum, ad iudicii nouissimi diem?

Congruitate.

Imo esset Patrum veterum fortuna melior, quorum *Ascendens Christus in altum, captiuam duxit captiuitatem, cœloq; inuexit.*

Ps. *Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham.*

Rationibus

* *RATIO* etiam ipsa Æquitatis id dictat.

Lege sua ipsius agere oportet Principem iustum.

Ouid. 6. Fastorum. Prou. *Patere legem quam ipse tuleris.*

Ab Æquitate. *Sic agitur censura, & sic exempla parantur, Cum iudex, alios quod mouet, ipse facit.*

Leuit. 19. Sed lege cauit Deus: *Non morabitur apud te opus mercenarij tui vsque manè.*

Et ex clamosis illis quatuor in Cœlum peccatis est, *merces detenta laborum.*

Ergò, decurso mox vitæ suæ die, recipit Cœlo suo Probos Deus, aut exlex Legislator ipsus.

* *RATIO* etiam à Clementia, Iustitiaque Principis boni.

Bonus *est piger ad pœnas Princeps, ad præmia velox.*

A Clementia. Sed Deus Opt. Max. iustè iam improbis ad pœnas Infernũ decreuit: Igitur multo magis Probos Cœlo, ad præmia, clementer inuexit.

Et, si olim magni Sacerdotis mors, exulibus patriam restituebat; quidni & nunc cœlum extorribus, mors Christi maximi Sacrorum Regis?

Matt. 20. Ab allegoriis dictantibus. Parabola id etiam probat, in qua dictum: *Vespere autem facto, dixit Dominus vineæ, procuratori suo: Voca operarios, & redde illis mercedem suam.*

Denique, si à morte Christi, iusti Cœlo non recipiuntur, quæ causa tot votis Aduentus Christi exoptandi?

Sed nemo, Limbo, Cœloue receptorum, impudens, aut non vocatus illo se contulit: nemo Purgatorio, æternoue inferni ergastulo inclusorum, nullo decernente, tristibus illis se locis sponte conclusit:

Ergò

Ergo priuo aliquo illi omnes iudicio mox à morte liberati.

Et congruit primùm priuo iudicio censeri de anima, prima formæ peccati autore.

Neque illud differendi causa vlla, neque ab ignorantia, neque (vt solet) abs rerum obscuritate, neque ab impotentia. Maximè cũ tantæ moræ causa nulla.

Smirnensem certè quandã mulierem adductam ferunt ad C. Dolabellam in Asia Proconsulem, mariti ac filii, per venenum, parricidam (quod filium eius ex primis nuptiis, iuuenem opt. & innocentissimum insidiose illi occidissent,) quæ ausum fassa, etiam adserebat licuisse sibi, legum indulgentia, ius ignorare, & suam, & suorum, ac Reipub. totius iniuriam vindicare, quare ex iudicibus nemo, neque fassam ausus absoluere, neque vlcisci. Itaque res ad Areopagitas, Atheniensium grauissimos, certissimosque iudices translata: qui, causa tam dubia iussere, *Actores, Reamque centum annos abesse, ac centesimo redire*. qua arte, & ipsi perplexa causa liberati, & mulier neq; innocens, neque nocens est dicta.

Et Græcis in more (cum vrgentur sententiam dicere, de re non liquida) respondere: *Patres suos, Solem apud Antipodas non vidisse, sed expectasse semper, donec & ipsis oriretur*: *Policra. l. 5. c. 12.*

Et: præproperum eum viatorem dicere, qui (Lucifero nondum orto, crassisque adhuc tenebris) iter ordiatur.

Et Romanis in vsu N. L. in causa spinosiore.

At, cùm Deo omnia liqueant, etiam quæ nondum effecta, cur non censeat mox à cuiusque morte, aut cur in vltimum sæculi diem iustitium.

Facile est coram Deo in die obitus, retribuere vnicuiq; secundum vias suas. *Eccles. 15.*

Neque vero moueor, quod autores pleriq; magni in parte altera. Etsi nonnulli, alius sententiæ.

Lactant. li. 7. instit. c. 21

Lactantius enim certe ita ait; *Omnes* (post mortem scilicet) *in vna communique custodia detinentur, donec tempus adueniat, quo maximus iudex meritorum faciat examen.*

D. Bern. ser. 3. de omnibus SS.

D. etiam Bernardus: *Aduertistis (ni fallor) tres esse sanctarum status animarum, primum videlicet in corpore corruptibili, secundum sine corpore: tertium in beatitudine consummata: primum in tabernaculis, secundum in atriis, tertium in domo Dei.*

Et infra: *In illam beatissimam Dei domum animæ, nec sine nobis intrabunt nec sine corporibus suis, id est, nec sancti sine plebe, nec spiritus sine carne.*

D. Aug. in Enchirid. ad Laurẽt. c. 109.

Sed & magna illa Doctorum Aquila Augustinus locis duobus: *Tempus, quod inter hominis mortem, & vltimam resurrectionem interpositum est; animas abditis receptaculis continet sicut vnaquæque digna est vel requie vel ærumna pro eo quod sortita est in carne, quum viueret.*

Idem concione 1. in psal 36.

Et alibi: *Post vitã istam, nondũ eris vbi erunt sancti, quibus dicetur: Venite benedicti, & c. Nondum ibi eris, quis nescit? sed iam poteris ibi esse, vbi illũ quondam vlcerosum pauperem diues ille superbus, in mediis suis tormentis vidit longe requiescentem. In illa requie certè positus securus expectabis iudicij diem, & c.*

Qui aut à seipsis iugulantur.

Nam Lactantium (Lacteo licet eloquentiæ fonte Lactantem) non magni hac in re facio, qui & sæpe alias Lapsus, maxime, in rebus futuri sæculi, & fortior fuit Ethnicorum dogmatũ expugnator, quàm nostrorum adsertor, & Ciceronior fere, quã Christianior.

D. Bern. ep. ad fratres de Hibernia

Bernardum vero refellit Bernardus ipse locis aliis, maximè in epistolis, in quib. seria magis, quam sæpe in pulpito, aut concionibus.

Idem ser. de S. Malachia.

In epist. quadam Malachiam mortuum insinuat *præsenti supplicare maiestati.*

Et ser. quodam *Pari* (inquit) *cum Angelis gloria & fælicitate lætatur Malachias.* Dein-

Deinde, si vsquam sapere aliter videtur, ita interpretandus, non quasi negans simpliciter iam videri Deum à piorum animis, sed ita perfectè, vt olim, cum redditi corporibus suis, toto impetu ferentur in Deum.

Id vero ex mente Bernardi esse, liquet ex consequentibus serm. 3. festi omnium Sanctorum, vbi ita habet: *Acceperunt iam singulas stolas sed non vestiuntur duplicibus, donec vestiamur & nos. Stola prima ipsa est fœlicitas, & requies animarum: secunda vero immortalitas, & gloria corporum.*

Aut interpretationē ferunt.

Ad Augustinum ita respondeo: Illum non de beatitudine ac visione Dei, sed de loco Beatorum ante iudicium, dubitasse; at tandem, re trutinata, in nostram coisse sententiam, seque locis postea variis 1.
castigasse, & quod exciderat dormitanti, euigilantem iugulasse.

D. Aug. l. 2. quæst. Euang. c. 38

Illustriora hæc sunt. *Animæ sanctæ, quæ in hoc sæculo, aut per vitæ innocentiam puræ sunt, aut pœnitentiæ satisfactione purgantur, à Saluatore nostro recipiuntur, & cum eo esse credendæ sunt secundum Apostoli dictum: Cupio dissolui, & esse cum Christo.*

Idem ser. 15 de sanctis.

Et rursus: *Si enim non absurde credi videtur, antiquos etiam Sanctos, qui venturi Christi tenuerunt fidem, locis quidem à tormentis impiorum remotissimis, sed apud inferos fuisse, donec eos inde sanguis Christi, & ad ea loca descensus erueret: profecto deinceps boni fideles, effuso illo precio iam redêti, prorsus inferos nesciunt.*

Idem li. 20. ciuit. c. 15.

Deinde viri mentem ita interpretor: Dicere scil. 2.
illum, imperfectam iam Diuorum mercedem esse; perfectam autem fore, cum corpora nunc Laboris socia, in iudicio vltimo, capient gloriæ partem.

Nec de loco aut situ, sed de qualitate potius, aut
quantitate quietis beatorum loqui. q. d. *Ibi eris:* 3.
id est sic tantum, vel hac parte tantum nunc beabere. anima scilic. vt olim Lazarus: securus tamen

4. beandi etiam tandem corporis tui. Vel, in eo psal. 3 de Dauide, aut Dauidi ipsi loquitur, cui cum cæteris iustis, ante Christi mortem, Abrahæ sinu recip necesse fuit.

Aut numero aliter sentientiũ obruuntur.

Atque, vt is non retractasset, aut interpretatio nes istas non ferret, obruitur tamen vnus numer atque agmine plurimorum aliter sentientium, C ciliorum, Patrumque, quos alii citant.

Concil. Florent. sess. vltima in decreto vnionis Lat. cũ Græcis.

Conc. Trid. sess. 25.

Alphons. Castr l. 3. cont. hæres. tit. Beatitudo.

Et Benedictus 12. ita vt sentimus post longa sputationum certamina, definiuit, in extrauagan cuius initium: *Benedictus Deus:* quam tu totam de apud Alphonsum nostrum à Castro (castrum rè, turrimque fortissimam, ex qua clypei mille pe dent, quos in hæresibus, controuersisque rebus uincendis multi non obscurè mutuati.)

Ergò, si Diui in Cœlum nunc recepti, improbi infernum proiecti, iudicio aliquo priuo, suus qui busque locus decretus fuit.

Catech. Trid. in art. 7 Symb. §. 3.

Audi tandem vel ipsam Catechismi Trid. sen tentiam: *Cum vnusquisque nostrum migrat è vita, statim ad Dei tribunal sistitur, ibique de omnibus iustißima quæstio habetur, quæcunque aut egerit, aut dixerit, aut cogitarit vnquam, atque hoc priuatum iudicium vocatur... Deinde iterum, vno die, atque vno in loco, omnes simul homines ad tribunal iudicis stabunt.*

Lactant. l. 5 instit. c. 21.

Quibus vna omnibus reuincitur Moscouitar, Rusciorumque, (qui iam Patriarchæ Constantino politano parent) & eorum, qui in Syria mox ab o bitu D. Hieronymi, error, Iudicium hoc priuum ne gantium, atque adeo iste Lactantii lapsus, quo ait: *Nec quisquam putet, animas post mortem protinus iudicari.*

III. Qu

III.

Quæ tandem iterandi Iudicii illius causæ.

Sed ais: si censetur quisque in morte, quo iudicium illud nouissimum, publicumque? — Quæ causa iudicii vltimi.

Iterari n. vetant Iudicia Iurisconsulti: *Res semel iudicata, bis non iudicetur)* inquiunt) — *Digest. de off. Prætoris l. obseruandum.*

Et Propheta: *Non consurget duplex tribulatio,* quod nostris exponitur: *Non iudicabit Deus bis idipsum.* — *Naum. 1.*

Ignorantiæ, aut Crudelitatis speciem habet illa iteratio, atque (vt ita vocem) retractatio.

Respondet Angelus humanus Thomas, iudicari primo illo animam, potiorem hominis partem, tandem altero hominem totum. — *D. Tho. in 4. sent. dist. 47.*

In priuato illo, pars supplicii, quæ animam spectat, primum decreta; altera, quæ corpus, in alterum, suspensa.

Quæ præiuit ad culpam primaque malorum meritorum autor, meritò præit ad pœnam: vt eadem contrà boni operis Dux iure præit ad gloriam. — Ea mihi quadruplex.

Iudicium autem generale fit, studio:
- *1. Mercedis implendæ.*
- *2. Aequitatis diuinæ, quæ in priuo illo fuit, manifestandæ.*
- *3 Ordinis Vniuersi declarandi,*
- *4. Talionis reddendi Christo.*

I. *MERCEDIS implendæ*, ne qua cuiquam desit. — 1. Studium mercedis cumulatæ.

Ea autem plena dicitur, vel ratione:
- *1. Sui,*
- *2. Obiectorum, in quæ fertur.*

1. *SVI*, id est, cùm ea partibus suis omnibus constat, seu Virtutes coronet, seu Vitia plectat.

Vtris-

Vtrisq; enim tam Virtutibus, quam Vitiis, mercedem duplicem adsignant;

Cuius pars potior, gloria Bonorum.

Virtutibus { 1. *Aurum*, &c. id genus. 2. *Laurumq;*. j. laudem & gloriam *bonorum externorum maximum* Aristoteli.

Arist. 4. eth. c 3. Ciceroni: *Ex omnibus præmiis Virtutis, amplissimum est præmium gloria.*

Idem 1. Rhet c. 18. Et *trahimur omnes laudis studio, & optimus quisque maxime gloria ducitur.*

Cic pro Milone. *Honor enim & gloria, suapte natura grata sunt.*

Idem pro Archia. Nam *gloria vitæ breuitatem, posteritatis memoria, consolatur, quæ etiam efficit, vt absentes adsimus, mortui viuamus, cuius gradibus etiam homines videntur in cælum ascendere.*

Arist. 1. Rhet. c. 18.

Cic pro Milone.

Gloriam itaque in actionibus omnes adspectāt, alii. {
1. *Maxime ac primam*, vt Romani, quibus illa vna, & patria in oculis.
2 *Secundo*, j. *post virtutem*, vt Philosophi: *post Deū*, vt Christiani.
3. *Vnicè*, vt Phærisæi, qui soli gloriæ ieiunant, orāt, sua largiuntur, &c.
4. *Non auersando oblatam.*

Idem ibid. (Quam nemo auersatur.) Nemo enim auersatur omnino, nec Philosophi quidem ipsi, *qui etiam in illis libellis, quos de contenenda gloria scribunt, nomen suum inscribunt.*

Cic. 1. Tusc. *Phidias*, nobilis ille statuarius (Diis tamen, quam hominihus efficiendis melior) initio pictor cum esset. *sui similem speciem inclusit in clypeo Mineruæ, cum inscribere non liceret.*

Pueros vides etiam hac capi, quos esse victores iuuat: victos, pudet.

Arist. lib. 1. Rhet. c. 18. Ac profecto, vrget ad excellendum in re qualibet hæc cupido, seu morbus, seu Naturæ ductus. & Aristoteli, *ad vtilitatem plurimum valet.*

Sed

Sed verò ea non omnes digni, quam omnes volunt Aristoteli, *Honos Bonis debetur.* *Idem ibid.*

Imò, *Solus bonus est honorandus secundum Virtutem.* *Idem 4. Eth.*

Romani scitè, qui gemella Templa Virtutis, honorisque sic struxere, vt Honoris, per Virtutis dumtaxat templum adiretur.

Contra, Vitii etiam pœna duplex { *1. Tormentum.* *2. Ignominia.*

*1. *TORMENTVM*, cuiusmodi cruces, ignes, secures, tasses &c

*2. *IGNOMINIA*, cuiusmodi catamidatio; stigmatum inustio seu in dorso, seu in humero, seu in facie; furcarum gestatio, vnde furciferi dicti, &c. Et Ignominia, Malorum.

Romanorum cura hic prima, qui vt coronas, ouationes, triumphos rebus bene gestis; ita ignominias notasque censorias turpiter factis decreuere.

Bestiæ etiam illis in honore, & in ignominia pro meritis vicissim suis. *Plutar. in Camillo.*

Anseres, quod stridulo suo clangore, alarumque crepitu excitatis custodibus, Capitolium irruptione nocturna à Gallis Brenno Duce penè iam occupatum seruassent, honorabant: *Liuius dec. 1 l. 5.*

Canes contra tunc mutos in crucem egere: & deinceps anima supplicia, inter ædes Iuuentutis & Summani, viuos è furca sambucea suspensos, pendere illo iusserunt. *Plinius. l 19 c 3. & 4. & l. 10 c 12. Liuius 7.*

Legum non vltimus in puniendo scopus, ignominia.

At, in priuo illo iudicio, Bonis Cœlum, quasi aurum suum coronarium, decretum: Malis infernus, ad Tormentum. Illic tam sua laurus & Laus Bonis, quàm sua Malis Ignominia (quod paruum esset tam Iudicum, quam Iudicandorum Theatrum) defuere. Præmiorum, pœnarumque pars potior abfuit. Quæ in priuato iudicio desunt.

Dein-

Deinde: sæpè optimi quiq; in vita, calumniis infames: improbissimi, honorantur.

Et: in cuiusque morte, aut mox ab illa, sæpe honos defertur immeritis; meritis, suus aufertur, aut arte improborum, aut Tyrannide potentiorum, aut errore vulgi, aut emtis linguis Oratorum.

Senec. in Thyeste.

-----*Facta Domini cogitur populus sui.*
Quam ferre, tam laudare.

Venales Oratorum linguæ, nonnunquam funerea oratione, nō *dubitant Senecæ præferre Neronē.*

Iuuē sat. 8.

In publico, cum fænore, rependentur.

Igitur iustus Deus, redditurus Bonis præmii alteram partem, Laurum ac Laudem: Improbis verò Ignominiam: Famæque omnium consulturus, aurumque subæratum detecturus: Neque quā cautè, sed quàm castè vixerit quisque iudicaturus, priuo illi iudicio, Publicum alterum adiunget, & amplissimo nationum omnium theatro, omnes omnibus manifestabit.

Vt iudices, fures in cruces acturi, aut huiusmodi, ferè nundinarum aliquem, aut festū diem præstolantur, & tubarum aut campani æris signis vtuntur; vt populo externo. totaque vrbe in orbem coactis, ignominia pleniore fures adficiant. Ita Deus velut in Nundinas, ac Resurrectionis omnium festum diem (quò etiam miro maris sonitu, & *nouissima tuba.* Orbem ciebit vniuersum) ad improborum ignominiam, Laudem verò Bonorum maiorem, iudicium hoc alterum reiecit, distulitque.

Circumstāte corona Vniuersi.

Ibi circumstante Orbis totius corona præconis instar, Bona ac Mala, ad pleniorem cuiusque mercedem, ipsus publicabit, *Esuriui, & dedistis: Esuriui & non dedistis, &c.*

Audin'? *Reuelabo pudenda tua,* j. opera libidinosa, quæ maximè infamiæ) *in facie tua, & ostendam in gentibus nuditatem tuam* (virtutum meritorumque inopiam) *& Regnis* (Cœlestium, Terrestrium, & infernorum) *ignominiam tuam)* tam studiosè à te occultatam.

Ipsi

Ipsi tibi *ostendam pudenda tua*, qui, ab illis, ad aliena, oculos in vita vertebas.

Arguam te, & statum contra faciem tuam: fœditates tuas, in Nares tuas ipsius ingeram. *Psalm.*

Modo videntur forsitan quidam, Deo dißimilante, peccare; sed aderit illa dies, in qua, omnia facta nostra, quasi in quadam tabula, depicta monstranda sunt Deo, Dæmonibus, & Angelis, & hominibus vniuersis. *D. Hier. ad Pammachium & Oceanum.*

Vestram fidem! Quis rubor videntibus nobis, tot pudenda, tam nostra quam aliena, & spectantibus nostra ipsorum vniuersis?

Quam erubuere protoplasti, simulàc se nudos adspexere? *Timui, eo quod nudus essem, & abscondi me*, ait Adam. *Genes. 3.*

Noe. quam iratus filio Chamo, nuditatis paternæ inspectori pariter, & proditori? *Genes. 9.*

Quàm pudens Mars, cum Venere sua in adulterio deprehensus, & à Vulcano vinctus, concilioque Deorum ad risum propinatus? *Ouid. 4. Metam.*

Ita quemque facinorosorum, turpitudinis suæ, in concilio illo Deorum, hominumq; vniuersorum prostitutæ, pudebit, pigebitque.

Res crucians valde nuditas inuoluntaria.

Metus nuditatis publicæ, Milesias virgines, à laqueis ineundis, compescuit, cum se iam multæ, desiderio vitæ post hanc melioris, quàm prædicabat Egesias, laqueis suffocassent.

Quæ non modo Lucretia, sed quæ Lais non erubescat, nudo corpore (etsi formosissimo) prodire in forum? quid si fœdo, ac maculoso? si prostitutionibus, si adulteriis, si græcis artibus eius omnibus, in fronte, aut tabella descriptis, aut præconis illi præeuntis voce plateatim decantatis?

Quæue Matrona, aut Virgo (vel ex iis, quæ nunc Mundo ipso cultiores, ac Sole ipso tersiores incedunt)

dunt)in Curiam prodire audeat, aut lacera, lutosaque veste, aut facie carbone notata.

Et non sit tunc immensus pudor, à pudendis nostris pudendissimis j. animæ turpitudinibus Deo, totique Orbi, nudatis, spectabilibus, ostentatis?

D. Chrysost. ho. 5. in ep. ad Rom. *Si nostrum cuiusquam obcultum crimen aliquod hoc ipso die, in medium delatum, huic modo confessus innotesceret, nonne fieret, vt ille interire, ac terram sibi potius dehiscere, quam tam multes peccati sui testes habere mallet? Quid igitur tum nobis fiet miseris, cum omnia Orbi vniuerso palam facta, in tam aperto, tamque illustri theatro denudata, hominum nobis partim cognitorum partim incognitorum oculis subijcientur.*

Nos ipsos(vt reor)ipsi non feremus.

Plin. 8. 22. Vt Catoblepas & Basiliscus, alios seque enecat, vtrique videndo: ita nosipsos, ipsi tum serius intuetes, horrore nostri ipsorum cõcidemus, qui hic nosipsos neque noscere, neque videre volumus, proximis noscitandis nimium obcupati.

O diem! o theatrum Hypocritis metuendum.

Esai. 47. *Reuelabitur ignominia tua, & videbitur obprobrium.*

Parieti dealbato, crusta sua detrahetur; hypocritis personatisque sua larua.

Contrà; Bonorum tunc honos immensus, patrocinante illis Iudice, & calumniis liberante: Opera eorum dubia recte interpretante; Bona adhuc latẽtia, proclamante, ac singillatim vniuersa enumerante. indeque adblandiente atque amplexante:

Honorem ipsi suum tantum vix capient.

Rom, 2. 1. Cor. 4. & alibi. Quidni? Spectaculum illi fuere Mundo, Angelis, hominibus, & sæpè Improborum ludibrium: Itaque etiam circumstante Mundi totius, Angelorum hominumq; corona, Victores, Triumphoq; digni, Deo pronunciandi.

D. Paulo ferè hæc vna iudicii huius causa.

*2. OBIECTORVM. j. si fertur merces in singula	1. *Virtuti & peccato obnoxia:* 2 *Peccata, & virtutes.*	Tam per se, quam *Comparatiue considerata.*

*1. *VIRTVTI & peccato obnoxia,* Animum scilicet, Corpusque ex quibus, ille Imperator Electorq; Boni, Malique: istud, miles, instrumentum, occasio, ac sæpè, vt cupiditatũ primus leno, sic pœnitentiæ portitor indefessus.

Sed Animo pars, iam olim in priuo illo, decreta mercedis suæ: Corpori autem in fauillam resoluto, ante Resurrectionem, nulla.

Neque negligenda merces seu Actorũ, seu Actionum quarumcũque.

Ergò, vt etiam Corpus *referat prout gessit, siue bonum siue malum,* ac sic totus Homo (tam Dux, quàm Comes) præmia merita, pœnasque habeat; iudicium illud vltimum constitutum.

*2. *VIRTVTES & peccata,* quæ tam præmia, quam pœnas necessario antecedunt.

Varroni certè *pœna à puniendo vel à ponẽdo, aut quod peccatum sequitur, quasi pone peccatum.* *Varro. l. 4. de ling. lat.*

Ex præuisis, futurisque contingentibus, ante damnari quemquam aut saluari, quàm reuera sint, durum valde; & incõmodum, præire peccato pœnam, aut virtuti mercedem.

Sed *quorundam hominum peccata manifesta sunt, præcedentia ad iudicium quosdam vero subsequuntur.* *1. Tim. 5.*

Quàm multi. n. posteritatis corruptores, Patres Filiorum, Magistri Discipulorum; Lenones ac Lenæ adolescentularum, quà exemplis, quà libris, quà suasu? cuius corruptelæ finis nõ ante Mũdi finẽ. *Sermo. n.* ac scandalum *malorum, velut cancer, serpit.*

(Ex quib. ille ante Mundi finẽ non terminantur, ple ræque. Seu Malæ illæ.

Adhuc Lutheri, Caluini, &c, *abducunt discipulos post se.*

Seu Bonæ. Contra, multi posteritati exemplis, libris, suasu, & quà quà, Duces ac Principes ad Virtutem.

Adhuc Pauli euangelizant adhuc Augustini docent, &c. Et Christo adducunt noua Proborum examina.

Opera illorum huiusmodi sequuntur illos.

Apoc. Ergo Virtutes, Peccataque manifesta, præcedentia ad iudicium, priuo illo iudicio, recensuit Deus; subsequentia verò cuiusque mortem, Censuræ huic iudicioque publico (ne quid indotatum, impunitúue quis quæreretur) necessariò reseruauit.

D. Basil. li. de virginit. ante med. ad illa verba 1. Timo. 5. Quorundam hominum.

D. Basilium hac de re legere, profuerit.

* 3. *TAM per se, quàm comparatiuè considerata.*

PER SE, id est, nulla aliorum ad alia comparatione facta, actus actoresque considerare, munerare ac multare, opus est iustitiæ Commutatiuæ, dantis par pari, seu hostimentum, quod solum effici potuit in priuo iudicio, ad quod, nondum neque nata, neque acta quæ compararentur, sisti non potuere.

Et delectus promouẽdorum habendus.

COMPARATIVE autem actus actoresque considerare, est Iustitiæ Distributiuæ, quæ alia aliis cōparans, vt (dicis causa) Niniuitas Iudæis, Socratem Platoni, differentia differentibus præmia, pœnasq; adsignat (*In domo enim Patris mei, mansiones multæ sunt,* ait Christus) quod in priuo iudicio non potuit. Itaque, vt Distributiuæ etiam suus esset locus, generale iudicium indictum est, in quo coram, omnes, & omnia omnibus facile comparabuntur.

Ioan. 14.

Priuo iudicio (vt à Duce milites) deligimur, cōscribimurque: Generali illo altero, instar militum recensemur, & Ordinibus absignamur.

2. Studio diuinæ Æquitatis declarandæ.

* ij. *AEQVITATIS diuinæ, quæ in priuo illo fuit, manifestandæ.*

Nam Antigoni, ad Marsyam rogantem, domi de causa

causa cognosci, responsum illustre fuit: *Si nihil præter ius agimus, melius fiet in foro, cunctisque audientibus.* *Plutar. in apopht.*

Priuo iudicio, multi Cœlo recepti, & addicti inferno multi, præter spem metumque populorum, apud quos multi Famam Innocentiæ habent, qui nō merentur, multi merentur quam non habent; quin & nocentissimi passim æstimantur.

Errore, Sanctulos opinamur, quos (si intùs, & in cute norimus) scelerosissimos censeremus: Alios impios, fures, sortilegos, qui, Censore Deo, innocentissimi. *De qua dubitetur, si priuatim damnētur, aut saluentur, qui, ex Vulgi Fama, nihil tale meriti.*

Scilicet infiniti *simulant Curios, & Bacchanalia viuunt.*

----De Virtute loquuti,

Clunem agitant. Foris Catones, intus Nerones. *Iuuē. sat. 3.*

In vestimentis ouium lupi rapaces. *Matt. 7.*

At homines solos larua hæc fallit, non Deum.

Itaque si hypocritam nescio quem, inferno adiudicatum: contra, Iosephum aliquem (qui opinione populi, Dominæ suæ procus censebatur) cœlo receptum, dicta quidem, sed coram paucis, causa, populus contra spem & metum videat: an non is mox admirabunde secū dicat ignarus causæ: Vnde huic isthic locus? vnde & *Saul inter Prophetas?* quib. tandem gradibus hic nebulo conscendit in Cœlum? Et verò vnde in medio Tartaro, inter miseros miserrimus, hic sanctulus nobis? cui tantum de illo licuit? *1. Reg. 19.*

Quid meus Aeneas in te committere tantum. *Virg. 1. Aeneid.*

Quid Troes potuere ; quibus tot funera passis.

----Cœlorum clauditur orbis?

Cui hinc non inrepat suspicio, aut vt odio hunc perderet; aut vt fauore illum bearet, ideo Deum,

priuatim dumtaxat ac domi iudicare voluisse?

Hunc solum, solus sine arbitro, pro arbitrio perdidit, hunc seruauit, inquiat quislibet.

Ergo, vt Deum iure egisse, priuo iudicio, adpareat; iudicium aliquod publicum esse', ius fasq; est, in quo ab ipso Deo, ab Angelis, ab Hostibus, ab ipso Homine discas, quæ causæ illum illo depulerint, alium alio euexerint.

Budæus ex Liuio in annot prior. ad P. in l. 2. in fine de Iudic.

Sic olim, cum Tribuni-plebis, aliique Magistratus, summam æris ingentem, criminis magni pœnam irrogassent; de ea posteà coram pop. actitabatur, iustene, vel iniustè indicta esset, Budæo autore.

Rectè: Sic clam, vt palàm.

* iij. *ET ORDINIS vniuersi declarandi* studio.

3. Studio declarandæ Prouidentiæ, nunc obscuræ.

Multa misericorditer iusteque Deo actitantur, quæ hominibus ignaris causarum, finiumque, haud probantur iustitiæ scilicet, aut improuidentiæ adcusant Deum.

Rom. 9.

Cur enim (inquiunt) *Iacob dilexit, Esau odio habuit?*

Hiere. 12.

Quare via impiorum prosperatur?

Cur Christiana acie fracta, Turcarum & Musulmannorum victricibus signis, agmina tam latè effusa grassantur?

Cur *Solem suum oriri facit, super bonos & malos?* imò cur maximè agros bonorum, tempestas afflictat? Malorum, illustre serenum beat?

Atque ita videas, si libeat, opera Dei omnia velut ad incudem reuocari.

Ita quiuis Alexander picturæ ignarus, cum prima lineamenta Apellis tabulæ intuetur, irridet.

Et Tapetem inchoatū, artis nescii, cum tot sparsas nondum cohærentium rerum effigies, hic caput equi, illic cornua cerui; hic hastile, hic rete, & multa id genus videt. Ita. n. tales secum: cur hoc? cur illud? quid artifex iste, somniat? Melius, si hoc ibi, aut si hoc modo.

Et

Et qui vestem, ex pannis versicoloribus in manu sartoris inceptam vident, mirantur, ecquo hic panniculus rubeus, quo candidulus iste paretur?

Et qui Horologii tot rotas, singulas à singulis separatas, intuentur, putant, vanè tam multas requiri, ad horulæ vnius iudicium.

Opera verò coronata, atque absoluta, seu cū iam pergula, Venerem suam Apelles ostentat; Arachne tapetem suum; Sartor vestem; Dædalus Horologium iam sonans: cum insertæ iam rotis rotę, compositaque in veste, ac tapete omnia, & expansa: tūc tam immoderatè iidem laudant, quam immoderatè antea carpebant.

Actiones autem Dei in hoc Mundo vniuersæ, quid aliud quā illustris Tabella, Tapes, Vestis, Horologium continens rotam in medio rotæ? at dum singillatim aguntur, vix placent: cùm verò coronidem acceperunt, summamque manum, & ab eo, qui fecit eas, in iudicio illo publico expandentur, nemo non commendaturus, vniuersi eas pro pergraphicis habituri.

Sunt nunc quidem singula bona; at cuncta simul tum expansa, *valde bona.*

Tunc iustitia in impios, Misericordia in pios vsus Deus conclamabitur?

Dicent vel lippi, & cæci; *Bene omnia fecit.* *Genes. 1.*

Iustus es (Domine) & rectum iudicium tuum. *Psalm. 118.*

Igitur iudicium illud publicum hac fini est etiam Augustini sensu, *Vt diuinarum actionum hic obcultæ rationes, ibi omnibus pateant.* *D. Aug. l. 8. ciuit.*

Et hoc Dauid insinuat dicens: *Existimabam vt cognoscerem hoc: labor est ante me, donec intrem in sanctuarium Dei, intelligam in nouissimis eorum.*

In conspectu gentium reuelauit iustitiam suam.

* iiij. *TALIONIS reddendi Christo*, quà de re cras fusius.

CONCIO III. *vel in Ord. XVIII.*

2 Cor. 5.

Them. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum.*

Propositio. Dicendum hodie mihi
- *1. Quis Iudex vtrobique.*
- *2. Cur Christus potius, quam Pater, aut Spiritus S?*

A V E.

I.

Iudices fore quintuplices.

Quis Iudex vtrobique?

Iudicio posito, de iudice iam quærendum, ecquis ille, & cuiusmodi.

Iudices ego multos tam in priuo, quam publico, futuros lego, sed differenter,
- *1. Deum Trinitatem,*
- *2. Christum, qua Homo*

} *1 Proferendo sententiam. illa autoritate propria, ille communicata*

- *3. Perfectos, seu Angelos, seu Homines*, varie,
- *4. Bonos,*
- *5. Malosque.*

} comparatione sui ad alios.

S. Trinitate.

* 1. *DEVM TRINITATEM*, quæ prolatura est sententiam autoritate propria, vtrobique. Penes enim Triumuiratum illum, prima potestas Censuræ huius. Tres enim illæ Personæ vnus omnium æqualiter Dominus. Domini autem cuiuslibet est, censere de subditis.

Et opera Trinitatis ad extra (vt loquuntur) indiuisa esse, vulgo est notum.

* 2. *CHRI-*

*2. CHRISTVM, qui quà Homo sententiam quoque pronunciaturus, autoritate Patris communicata. Plena huius rei Scriptura, vt mox dicemus. Christum.

*3. PERFECTOS, seu Angelos, seu Homines,
- 1. *Adsidendo loco eminentiori in publico Iudicio.*
- 2. *Continendo decretum* } vtrobique.
- 3. *Publicando illud.* }

Nescitis quia SS. de hoc Mundo iudicabunt. 1. Cor. 6.
Iudicabunt Sancti nationes. Sap. 1.
Nescitis, quoniam Angelos iudicabimus? 1. Cor. 6.

Apostolis certè hoc à iudice legitimo promissum: *In regeneratione, cum sederit filius hominis, in sede Maiestatis suæ, sedebitis & vos, super sedes 12. iudicantes 12. tribus Israel,* inquit, qui locus meo omniumque calculo, de iudicio quidem post mortem cuiusque, est, sed non incommodè quoque de iudicio, quod in hac vita in Confessione Sacramētali, in pœnitentes à Sacerdotibus exercetur, intelligi posse, pro concione aliquando dixi, vt dicere voluerit Christus, Apostolicos viros *(in regeneratione)* j. Baptismo in Ecclesia passim recepto (*Cum sederit filius hominis, in sede Maiestatis suæ*) id est, post Christi ascensionem, (*Sedebitis & vos*) id est velut pro tribunali sessuros, quod in Confessione Sacramentali fit, ac fieri etiam deceat à quolibet, etiamsi Procerum, imo & Regis Sacrorum, confessionē excipiat. (*Iudicantes 12. tribus Israel*) id est, decernentes de cuiusque peccatis, damnantes, absoluentes, &c.

Perfectos homines, Angelosque. *Matt. 19.*

(Cuius rei probatio, obiter nouo explicata. *Luxemburgi 1602. in Euang. Dō. in Albis.*

Cæterum Iudiciaria potestas est paupertatis voluntariæ ratione
- *1. Congruitatis,*
- *2. Meriti,*
- *3. Dispositionis.*

D. Tho. in 4 dist. 47. q. 1. art. 2.

Conuenienter illi adsident iudici Mundi, tanta pompa qui contemtoresMundi, Mundo etiam cõtemtissimi semper iacuere.

1.Reg.2.

Scabella vertuntur in Tribunalia. *De stercore eleuantur pauperes, vt solium gloriæ teneant.*

Probos.

* 4. *BONOS*, qui malis comparabuntur, quorum cùm par esset gratia, vita, non etiam par fuit.

Luc.10.

Filij vestri Iudices vestri erunt, non sententiam ferentes, sed adprobantes.

Et improbissimos quosque.

*5. *MALOSQVE*, qui etiam peioribus comparati, Bonum propius adtigisse videbuntur, atque hoc magis, quo donatos gratiæ auxilio vberiori, nequitia non æquarint.

Certè, malum peiori comparatum, similitudinem quandam habet boni.

Luc.18.

Ita Publicanus dicitur *recessisse iustificatus ab illo* Pharisæo; non simpliciter iustificatus, sed ab illo, id est, illius comparatione.

Matt.11.

Sic Niniuitæ, sic Sidonii, cæterique eiusdem farinæ populi dicuntur Iudæos, Capharnaitas, & alios iudicaturi, quoniam illis comparati, etsi minoribus præsidiis adiuti, minùs tamen deliquisse videbuntur.

Non quia futuri illi beati, sed certe aliis minùs infœlices.

Vt enim aliquando Philippus, Alexandri Magni Pater, scelerosorum æquè duorum, se vi tota adcusantium, causa probè cognita, neutrum absoluit, sed illum * fugere (id est exulare ex Macedonia) alterum, insequi fugientem iussit, festiuè vtrumque exilio damnans: ita Iudex noster, pariter nefarios, ardere pariter, impariterque, id est alterum præire, infernique profunda petere, alterum insequi, & inferiorem illic calcare, decernet.

* *Græcis sonat iucundius, quod* Φεύγειν *& ad fugientem & ad exulantem pertineat.*

Postremi isti iudices Boni Malique, in publico iudicio potissimum futuri in priuo non item.

Cæte-

Cæterum legitimus, propriusque iudex, Christus autoritate propria, qua Deus; vicaria seu communicata, qua Homo. Christū tamen cōmuniter proprium iudicem adpellari.

Scripturæ huius rei plenæ. *Dominus, iudicabit fines terræ, & dabit Imperium Regi suo, & sublimabit cornu Christi sui* 1 Reg. 2.

Deus iudiciū tuū Regi da (id est dabis) *& iustitiam tuam filio Regis*, Bernardi sensu, de Christo iudice est Prophetia. Psal. D. Bern. ser. 73. in Cant.

Antiquus dierum sedit, & filius hominis peruenit vsque ad antiquum dierum, & dedit illi potestatem, & honorem regium. Daniel.

Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio, Omne (inquam) & priuum, & publicum. Ioann. 5.

Et potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est. Ibid.

Data est mihi omnis potestas, in cœlo, & in terra. Matt. 28.

Multa habeo de vobis loqui, & iudicare Ioan. 7.

Illud Simeonis (*Hic positus est in ruinam, & resurrectionem multorum*) D. Ambrosius de Iudice nostro exponit. D. Amb. l. 2 in Luc.

Ecce (inquit) *& Semeon prophetat, in ruinam, & resurrectionem plurimorum venisse Dominum Iesum Christum, vt iustorum, iniquorumque merita discernat. & pro nostrorum qualitate factorum, iudex verus & iustus aut supplicia decernat, aut præmia.*

Et hoc Baptistæ de Christo (*cuius ventilabrum in manu sua, & permundabit aream suam. & congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili*) tam Hilarii, & Ambrosij sensu, quam Lyrani nostri de iudicio per Christum intelligendum est. Matt. 3. Hilar. canon. 2. in Matt. D. Amb. in Luc. 3. Lyran in Matt 3.

Et: *Dixit Dominus vineæ, procuratori suo: voca operarios, & redde illis mercedem suam*, vox Patris est, Filio iudiciariam potestatem decernentis. Matt. 20.

Vox

Act.10. Vox Petri in domo Cornelii Centurionis: *Ipse est, qui constitutus est à Deo iudex viuorum, & mortuorum.*

2.Tim.4. Vox Pauli: *Testificor coram Deo, & Christo Iesu, qui iudicaturus est viuos, & mortuos.*

2.Cor.5. Et: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi.*

Philip.1. Et. *Dedit illi nomen super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, Cœlestium, Terrestrium, & infernorum*, quod nusquem vberius, quàm in publico illo iudicio fiet.

Apoc.1. *Videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt.*

Ego vici, & sedi in throno Patris mei.

Probatur & Symbolis,
1. *Apostolorum.* Inde venturus est iudicare viuos & mortuos.
2. *Nicæno*: Et iterum vẽturus est cum gloria iudicare viuos & mortuos.
3. *Athanasij:* Ad cuius aduentum omnes homines resurgere habent, cum corporibus suis, & redditurí sunt de factis propriis rationem.

Vti Ioseph, è misero mancipio Ægypti, ac fratrũ tandem suorum iudex fuit: ita Christus, Christianorum & Gentium, quà Deus, potestate ordinaria, quà

Cur, homo, delegat.

D.Aug. tract.21. in Ioan. Adsertionis huius causa, ex Augustini mente, est, *quia hominibus in iudicio non adparebit nisi Filius. Pater occultus erit, Filius manifestus in forma qua ascendit.*

Aliter atq; aliter vtrobique. Notandum tamen, aliter illum in priuo, aliter in publico iudicaturum: Inuisibiliter scil. in priuato, visibiliter in publico.

*j. *INVISIBILITER in priuato*, Malis maximè, quos neque adloquio, sed neque adspectu sui est dignaturus. 1. Inuisibiliter in priuo, ac per interpretem.

Nam, aut Angelus cuiusq; custos, bona ac mala opera mortui vt patronus clientis, in priuo illo iudicio, deprædicabit apud Deum (vti olim Raphael, orationes, ac eleemosynas Tobiæ, & alius, Centurionis) aut Angeli ad Archangelos. *Tob.* *Act.* Et quis ille.

Prouinciarum tutelares, ac maximè ad Michaelem, Ecclesiæ principem (cui etiam libra non frustra adpingitur) eadem referent. Supremus deinde tandem Triumuiratus ille Capitolio Cœli clauso, id est ipsi Reo inuisibilis (vt sæpe Reges ac Magistratus in Curia) de Reo est censurus, à quo mox velut diploma mortis aut Salutis, Christi annulo (vt ita dicã) ac chirographo autoratum, in Angeli tutelaris manus dabitur, Reo perferendum; id est, reuelatur Angelo, & per Angelum ipsi Reo, funesta sententia, & ineluctabile illud fatum Dei, *Ite maledicti*, &c. atque ita, vale vltimum Nocenti Angelus mœstus dicit, lictoribusque torquendum iussus tradit. *Matt. 25.*

De Michaele sanè, ita Ecclesia: *Archangele Michael constitui te Principem super animas suscipiendas.* *In off. Apparitionis.*

Et: *Signifer sanctus Michael repræsentet eas in lucem sanctam.* *In off. defunctorum.*

Aut: Beatorum hominum Primati alicui (vt legis de Abrahamo, atque Epulone) res illa tota committitur. 3. *Luc. 16.*

Neque insolens, iudices Curiæ penetralib. clausos, de absente Reo censere, damnare, ac sententiam per Caduceatorem, aut Præconem, Nocenti denũciare.

Et æquum, vt *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei.*

Nimium

Luc.10. *Matt.13.* Nimium enim *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis, & audiunt quæ auditis,* o Cœli Ciues!

Visibiliter in publico iudicio. Valde Bonis tamen nonnunquam visibilis Iudex obcursat. Cœloque stipantibus Angelis, recipit.

* *Conrad. concio.* * *D Greg. 4 dial c.13.* * *Antonin. hist p.3.* Certè D D. Marthæ hospitæ quondam suæ, & * Elysabethæ Vngarorum Regis filiæ, & * Trasillæ B Gregorii amitæ, & nostro * Antonio Paduano (qui inde exultans, erupit in hymnum illum: *O gloriosa Domina, Excelsa super sydera, &c.* morituris blandus, inuitabundusque adparuit.)

Apoc.1. * 2. *VISIBILITER omnibus, in publico illo.*

Videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerūt, sed aliud Boni, aliud Mali; Mali, Humanitatem solam; Boni etiam Diuinitatis formam.

Differenter tamen. Deinde, & humanitas eadem aliter Bonis, aliter Malis spectabilis: Bonis, serenissima; Malis vndequaque terribilis (qualis fortè, cùm è templo mercatores eiiceret, & in horto milites prosterneret, conspiciebatur.)

Iudex Christus.

II.

Cur Iudex Christus potius, quam Pater, aut Spiritus Sanctus.

Iudicem Christum statui volunt multa, quędam, adspectu. { 1. *Christi ipsius,* 2. *Hominum iudicandorum, seu* } { 1. *Iustorum,* 2. *Improborum.* }

1. Ratione attributorum. * 1. ADSPECTV CHRISTI { 1. *Attributa, &* 2. *Merita eius.* }

* 1. *ATTRIBVTA.* Singulæ enim Triadis personæ propriis insigniuntur, etsi res attributis signata, cuilibet personæ æque inest.

Patri,

Patri, Omnipotentia adtributa, ne senio, aut Æternitate eneruatum putares *antiquum illum dierum.*

Filio, Sapientia, Verbum, & Veritas, ne mutum, aut delirum, quasi iuuenem, aut mendacem æstimares.

Spiritui S. Bonitas, ne ad Spiritus nomen expauesceres.

Solent autem opera quædam Trinitatis ad extra (vt loquuntur) ei personæ adscribi, cui adtribuitur maximè vis operibus illis perficiundis necessaria.

Dicis causa: Creatio mundi idcirco Patri adscripta, quia opus magnæ potentiæ: Redemptio eiusdē, Filio, quia illa magnæ Sapientiæ. Incarnatio, Spiritui S. quia magnæ Bonitatis opus fuit.

Sed Iudicio exercendo necessaria maximè { *1 Autoritas,* *2. Sapientia,* *3. Sermo,* *4. Veritas.* } — Ex quibus quatuor iudici necessaria Autoritas.

*1. *AVTORITAS*, vnde illud: Sententia à Iudice non suo, nulla. — *Decret p. 2. caus. 6 q. 3.*

Scriptum est in lege: *Per alienam messem transiens, falcem mittere non debes.* — *Scriptū est.*

Concilium Sinuessæ prudentissimè ad Marcellinum, in persecutione Diocletiani, lapsum; *Tuo te ore, non nostro iudicio, iudica. Nam prima sedes à nemine iudicatur.* — *Ex Damaso & Platina.*

Tu qui es, qui iudicas alienum seruum? Domino suo stat, aut cadit. — *Rom. 14.*

Ingressus es vt aduena. nunquid vt iudices? aiebant Lotho Sodomitæ. — *Genes. 19.*

Malè aliquis *fundum alienum arat, incultum familiarem deserit.* — *Plaut in Asinaria.*

*2. *SAPIENTIA. Erudimini qui iudicatis terram.* — *Psal. 2.* Sapientia,

Iudex

Eccl. 10. Sap. 9.

Iudex sapiens iudicabit populum suum.

Itaque Salomon Rex creatus hanc vnam vouebat dicens: *Da mihi sedium tuarum aßistricem sapientiam, vt mecum sit, & mecum laboret.*

Sermo.

*3. *SERMO* externus, aut sonorus, aut scriptus, & cuius creatura corporalis sit capax, aut internus, quo animus sine sono, intus per reuelationes eruditur.

Externus autem Internusque in iudicio vltimo necessarius, hic Angelis, ille hominibus iudicandis.

Pulcrum, si Rex Iudexue, sine interprete, ipsus suos adloquitur, censetque, Mithridatis instar Regis Ponti, quem duarum & vidinti gentium ore loquutum ferunt.

Veritas.

* 4. *VERITAS* quæ contra allegata & probata censeri vetet.

Deus bone! vniuersa illa, iudicii de Regnis omnibus Cœlestibus, Terrestribus, Infernatibus, & linguis vna omnibus censuro, quàm necessaria!

Illa autem Christo adfatim insunt, antipsus potius omnia illa est, & ab ipso illa omnia; quin & Sapientia, & sermo, & veritas adtributiuè propria illius sunt.

Ex quibus Autoritas Christo multiplex.

*1. Autoritas primum Christo varia. { *1. Ordinaria,* *2. Delegata,* *3. Parta.* }

Primam illi dat Natura; alteram Decentia, tertiam. Victoria.

* 1. *ORDINARIA*, quà Patre Deo genitus, illique æqualis.

* 2. *DELEGATA*, quà filius hominis, cui congruit iudicare de hominibus.

* 3. *PARTA*, qua idem, Hominum Redemptor, adsertorque, Christus enim Mundũ anteà Patris proprium, deinde Tyrannice a Dæmone vsurpatum,

tandem à Patre huc missus velut Dictator, redegit in Prouinciam. *Ioan.16.*

Confidite, ego vici Mundum, inquiebat. *Senec. in*

Sed---*Noscere hoc primum decet.* *Throade.*

Quid facere Victor debeat, victus pati.

Imprimis, iusto bello capta, captique, fiunt capientium, iure gentium, diuino, canonico, ac ciuili, partim vt iniuriam passo ita fiat satis, partim, vt inferentis improbitas compescatur.

A quo quis superatus est, huius seruus est.

Quodcunque libuit, facere victori licet, leges dicere victis, læsarum legum pœnas exigere. *Sen. ibid.*

Lex nulla capto parcit, aut pœnam impedit. *Idem ibid.*

Itaque iure suo Victor Christus habet nos *populum acquisitionis,* nos Victi illum Caput, Patronum, Mediatoremque & Iudicem nostrum. *1. Pet. 2.*

Ego vici, & sedi in throno Patris mei.

Data est mihi omnis potestas in Cœlo, & in Terra. *Matt. 28.*

*ij. *ET MERITA* Christi, ita credi iubent. 2. Ratione meritorum eius.

Vicissitudo certè rerum omnium est, neq; idem rerum humanarum tenor.

Tela quædam est vita hominis, lætitiæ, mœstitudinisque velut filiorum, varietate intertexta.

Secundum multitudinem dolorum meorũ in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam. *Psalm 93.*

Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra. *2. Cor. 1.*

Nox & dies non requiescent. *Genes. 8.*

Alternantur ferè
{ 1. *Bona malis*: Fili, Recepisti bona in vita tua, dictum Epuloni. *Luc. 16.*
{ 2. *Mala Bonis*: Lazarus similiter mala: itaque tibi Infernus. Lazaro Abrahæ sinus. *Ibidem.*

Luc. 18. 3. *Abiectiones, Honoribus*, & contra: *Qui se humiliat, exaltabitur*, &c.

Patientissimus enim contumeliarum honorandus fuit.

Sed Christus in morte abiectissimus, quem velut impiissimum pessimi Iudices Caiphas, Pilatus, Herodes iudicare; Malchus mancipium vilissimum, alapa, lictores, virgis cædere, & in crucem agere, medium inter cruciarios, veluti prædonum ryphæum ausi sunt.

Itaque iacentem exaltaturus pro meritis Pater, illum mundi iudicem esse voluit, & Honorem capere, tātæ abiectioni plane ex diametro aduersum.

Psalm. 109. Prædictum iam olim Dauidi: *De torrente in via bibet: propterea exaltabit caput, Iudicabit in nationibus, implebit ruinas, conquassabit capita in terra multorum.*

Iob 36. Et Iobo: *Causa tua, quasi impij iudicata est: causam, iudiciumq; recipies.*

Philipp. 2. *Humiliauit semetipsum, factus obediens Patri, vsque ad mortem, mortē autē Crucis: propter quod & Deus exaltauit illum & dedit illi nomen, quod est super omne nomē, vt, in nomine Iesu, omne genu flectatur, Cœlestium, Terrestrium, & infernorum.*

Quid *Nomen super omne nomen?* sensu meo, potestas est super omnem potestatem, ius de omni creatura censendi: Censura, vetere illa Romanorum honoratior.

D. Aug. tract. 19. in Ioan. de c. 5. Quam causam & Augustinus attingit: *Forma illa erit iudex quæ stetit sub iudice: illa iudicabit, quæ iudicata est: iudicata enim inique, iudicabit iuste.*

Inuersa rerum scena, atque alea, iudicatus iudicabit: adeoque ipsos iudices suos, ac ibidem propè vbi iudicatus ipse ac passus

Psal. *Coram illo procident Aethiopes, & inimici eius terram lingent.*

Psalm. 109. *Ponet inimicos suos scabellum pedum suorum. Aman Mardochæo supplicabit.*

Et

Et Iosepho fratres sui. *Hester.*
Videbis *cruentos carcere includi Duces,* *Genes.*
Et impotentis terga, plebea manu, *Senec. in*
Scindi Tyranni, Pilati, Herodis. &c. *Hercul.*

2. ADSPECTV iudicandorum etiam Christus iudex congruus. 3. Ratione iudicandorum. Hominum

Iudicandi attendendi, vel secundum { 1. *Essentiam.* 2. *Qualitatem.*

j. SECVNDVM essentiam. Homines enim maxime illic iudicandi, veteribus corporum exuuiis iam resumtis.

Videri autem, audirique à Reo iudicem suum vt plurimum ratio iubet.

Sed videre Deum Spiritum, atque (vt ita dicam) nudum, qualis Pater, ac SS. corporeis etiam Lyncei ipsius, oculis negatum, incorporatum vero, qualis Christus concessum.

Ergò, vt corporeis oculis iudicem videant, auribus sententias audiant, & iudicii formam omnem, sensu externate, Homines percipiant: Deus homo, Verbum incarnatum conuenienter Iudex decretus.

Pater ipse non venturus, *quia non ipse videbitur in iudicio* ait Augustinus. *D. Aug. tract 19 in Ioan. de 6 5.*

ij. SECVNDVM qualitatem, quidam enim { 1. *Mali.* 2. *Boni.*

1. MALI inquam vel malitia { 1 *Morum*, seu moraliter, 2. *Fidei*

j MALI malitia morum, indigni qui *videant gloriam Dei.* Forma Hominis igitur sola censebit, in Christo ad Diuinitatem indignis obcultandam. Improborum, ne Deum videãt. *D. Aug. sup.*

Ex Augustino hoc mihi. *Etenim forma Dei (inquit) quomodo adparebit iustis & iniustis? Nam, si iudicium non fieret nisi inter solos iustos, adpareret, tanquam iustis forma Dei. Quia vero iudicium futurum est iustorum, & iniquorum nec licet vt iniqui videant Deum (Beati enim mundo corde, quoniam*

niam ipsi Deum videbunt:) talis adparebit iudex, qualis videri poßit & ab eis, quos coronaturus est, & ab eis, quos damnaturus est.

Id est, quandoquidem Mali adſpectu nudæ Diuinitatis indigni, cenſebit quidem Deus, ſed hominem indutus.

Infidelium, vt fidem de Christo rectã vel ſero concipiãt:

* ij. *MALITIA Fidei* mali quales Iudæi, Gentiles, ac Turcæ, qui Chriſtum Prophetam quidem magnum, ſed merum hominem, neque tamen ſanctũ, ac meritò crucifixum, (qui Filium ſe Dei credi, ac ita coli, falſo vellet) cenſuerunt, quibus Chriſtus ſcãdalum & ſtultitia Deus crucifixus: cui & Mahumetem ſuum, vile libidinum omnium mancipium, anteposuerunt: Quales item Hæretici multi, multa abſurda de Chriſto ſomniantes, & Chriſtiani plærique ſiniſtrè ac ſiniſtra de eodem opinantes; tales inquam Rei illic adfuturi, Chriſtum in forma hominis conuenienter iudicem habituri, ad Fidem de diuinitate eius ſtabiliendam, ad læſi honoris Timorian, ſeu inſtaurationem; ſeu, *vt reuelentur*, abiganturque *ex multis cordibus cogitationes.*

Philip.2

Deus exaltauit illum, Iudicem decernendo, *vt omnis lingua* tandem *confiteatur, quia Dominus noſter Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris.* i. Deus cum Patre.

Ioan.19.

Iudæorum ſpeciatim adſpectu, ipſus iudicabit, *vt videant in quem transfixerunt*, ad metum.

Tuam fidem? an non *horrendum incidere in manus* eius, quem tu innoxium immaniter ante tractaueris?

Geneſ.

Fratribus Ioſeph nonne formidoloſum, in manus Proregis à ſe quondam iniuria venditi, in Ægypto tandem incidiſſe, ac ſupplices læſo eſſe? Cicatrices vulnerum illuſtriſſimas, & quibus in moriturum, & quibus in iam mortuum ſæuientes, Chriſtum adfecere, videbunt Iudæi materiam magni profecto metus.

In Maiestate visuri sunt, quem in humilitate videre noluerunt, vt tanto districtius virtutem sentiant qui ceruicem cordis, ad eius præsentiam, non inclinant. D. Greg. S. illud Matt. 24. in nubibus cæli.

* 2. *BONI*, qui si soli essent, Pater, Filius, Spiritus S. posset, non incommode forma Dei censere, cuius illi adspectu dignissimi. Bonorum, ne nimium trepident.

Consolatio tamen bonorum non parua, quod forma hominis iudex Hominum, potiùs quàm forma Dei, quamdiu adhuc sub iudice lis est, & rebus adhuc plerorumque etiam Bonorum incertis.

Nam iudex, naturæ cum reo eiusdem, eidem æquior, humanior, & maioris sympathiæ futurus speratur. *Homo homini Deus*, inquit Prouerbium.

Quin & iudicis Gentilis sui sententiā, etiā contra se latam, subditi æquius ferunt. Iudæis certè, beneficii magni loco, promissus, Gentilis atque ex ipsis Rector & Iudex: *Prophetam suscitabo eis, de medio fratrum suorum.* Deut. 18.

Certè mellito Bernardo hinc mellis multum? *Ipse Pater Deus dedit filio iudicij potestatem, & non quia suus, sed quia filius hominis est. O vere patrem misericordiarum! vult per hominem, homines iudicari, quo in tātа trepidatione, & perturbatione malorum, Electis fiduciam præstet naturæ similitudo.* D. Bern ser. 73. in Cant.

Iudex idē, qui Redemtor, qui Patronus, qui Mediator, qui Pontifex. *qui condolere poßit infirmis, tentatus per omnia pro similitudine, absque peccato, vt misericors fieret.* Vide D. Ambr. l. 1. de Iacob. c. 6 Heb. 2.

Iudex, *Homo similis nobis, paßibilis* quondam. Iacob. 5.

Homo sum, humani à me nihil alienum puto. Terent.

Ergò humana quædam, ac tolerabilia censebit.

Virg. 2. Aeneid. *Non ignarus mali miseris succurrere discet.*
Psal. *Ipse cognouit figmentum nostrum.*
Ita vnos terrebit, alteros idem recreabit.
Vt Lux Solis eiusdem eadem, oculis adfectis grauis, valentibus iucundissima; ita Christi facies, pro varietate meritorum, his nubila, istis serena.

CONCIO IV. *vel in ord.* XIX.

2. Cor. 5. Them. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit siue bonum, siue malum.*

FActa repetitione, ita propositum.

Dicendum hodie, de iudicis qualitate, ac
- *1. Iudicem fore incorruptissimum &*
- *2. Seuerissimum, Quæsitorem.*

AVE.

I.

Iudicem fore incorruptissimum.

Christus Iudex incorruptissimus. Diximus, quis Orbi iudex decretus; iam, qualis sit, dicamus arte hunc ordinem præscribente.

Christus iudex
- *1. Incorruptissimus.*
- *2. Seuerissimus quæsitor.*

Stob. ser. 44 de Magistratu. * 1. *INCORRVPTISSIMVS*, natura, atque vsu, quæ laus iudicum prima.

Lysia

Lysiæ sensu: Iudicantes eadem mente præditos esse decet, qua Legislatores ipsos.

Deus iudex iustus, & absque vlla iniquitate iustus & rectus. *Psal.*

Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum. *Psalm. 118.*

Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo. *Ps.*

Qui veniebat ad iudicium vocabatur fidelis, & verax, & cum iustitia iudicat, & pugnat. *Apoc. 19.*

Iudex incorruptus Adfectibus neque { 1. *Amore*, 2. *Odio*, 3. *Timore*, 4. *Cupiditate*. } { capiendus, qua cæteri solent.

Gregorii sensu: *Quatuor modis humanum iudicium prauertitur: Timore, dum, metu potestatis alicuius, veritatem loqui pertimescimus. Cupiditate, dum præmia alicuius animum corrumpimus. Odio, dum contra quemlibet aduersarium molimur. Amore, dum amico, vel propinquo contendimus præstare auxilium.* *D. Greg. & refertur decreti p. 2. causa. 11. q. 3. c. Quatuor modis.*

Pro adfectuum varietate, rerum censura variatur. Album nigrum; malum bonum dixeris, & cõtra; vbi illi imperitant.

Tunc *vitia sub Virtutum nomine obrepunt: temeritas, sub titulo fortitudinis latet: moderatio vocatur ignauia: pro cauto timidus accipitur.* *Sen. in ep.*

Tunc *prodigos vocas liberales: auaros parcos & sapientes: lasciuos curiales: garrulos affabiles; obstinatos constantes: pigros maturos & graues.* *Caßiod. in ep.*

Ex abundantia cordis os loquitur.

Vti vides *plantas illas, quas Helitropias nominãt id est, Solisequas, ad Solis motum, Solem versus moueri, sed Selinetropias, id est, Lunisequas ad Lunam verti*; ita hominum Censuras ab Affectibus. *Proclus de Sacrificio & Magia.*

* *1. AB AMORE* imprimis. Non capiendus Amore.

Vt pro vicinia aut distantia rerũ, corporis oculi, magnas iudicant illas, quæ paruæ, & contra; (di-

ſtanti enim valde procul, Elephantes in muſcas; Coloſſi in puerulos minorantur: prope, grandeſcunt:) ſic Vitia, Virtuteſque, pro conſanguinitatis, affinitatis, amicitiæ, vel odii ratione, æſtimat oculus ille mentis internus.

Adfectus, perſpicillis adſimiles. Nam ſicut ea ſpiſſiora, res paruas amplificant; tenuiora, ipſas neque minuunt, neque augent:

Et vt, pro colore perſpicillorum, rerum color æſtimatur: (ſumſeris enim perſpicillum viride: & alba mox dicas vireſcere; Rubeum, rubeſcere; flauum flaueſcere:)

Ita iudicum adfectus, iudicia de rebus immutat: & ipſis corpuſque, coloremque, aut adiicit, aut detrahit.

Dederis iudicem amantem, odientemque eiuſdem de iiſdem, paribuſque factis ab impariter amicis, non par cenſura. Illi Amici næniæ, næniæ; Inimici blaſphemiæ.

Senec. in prou. *Perit omne iudicium, cum res tranſit in affectum.*

Ouid. ep. 1. Heroidum. Acuti ſanè illi, qui Amoris Idolum Cupidinem, cæcum pinxere ab efficientia cæcitas.

Apud Cic. Nam *quid deceat non videt vllus amans.*

D. Bern. l. 2. de conſiderat. ad Eugenium. Hinc vetus prouer. *Exuit perſonam iudicis, quiſquis amicum induit.*

Et D. Bernardus mellitiſſimè; *Caliginis duæ ſunt cauſæ: Ira, & mollior adfectus. Is iudicij cenſuram eneruat, illa præcipitat.*

Marc. 6. Herodes, ſcorti cæcus amore, Baptiſtam alioqui charum, in menſa indicta cauſa, Rex à ſcorto iuſſus iuſſit obtruncari.

Quo qui capti, turpiter iudicio errarunt.

Cic. de Sen. *L. Flaminius, cum eſſet Conſul in Gallia, exoratus in conuiuio à ſcorto eſt, vt ſecuri feriret aliquem eorum, qui in vinclis eſſent damnati rei capitalis, probro priuato coniungens imperij dedecus.*

C. Iu-

C. Iulius Cæsar amore Cleopatræ. pro Cleopatra, contra fratres, sententiam tulit. *Xiphilinus Dionis abbreuiator in Cæsare.*

Dauidi amāti excidit, *Seruate puerum Absalon,* perduellem, licet ac parricidam. *2. Reg. 18.*

Ideo recte Deus: *Non consideres personam pauperis, nec honores personam potentis: iuste iudica proximo tuo.* *Leuit. 19.*

Et *Legibus humanis statutum, & in causis tam Ecclesiasticis, quam secularibus seruatum scio, speciales amicos causantium non debere admitti ad iudicium, ne vel fallant, vel fallantur amore suorum.* *D. Bern. tract. de grad. humilit. dist. 2. post præf.*

Athenis olim Areopagitæ in tenebris iudicabāt, vt iudex quislibet Apathos esset. Itaque ei legibus obuiam itum: Et ritibus.

Thebis, iudicis summi imago picta oculis conniuentibus, vt ne cuiusquam vultu flectatur iudex. *Stob. ser. 44. ex Plutar.*

Alicubi crimina, & causæ propositæ, tacitis Reorum nominibus, hoc ferè modo: Casus est talis: vel: Quidam quandam violauit, &c.

Themistocles iustè, qui Simonidi amici causam iniquiorem commendanti. *Simonidem malum poetam, si mensuram modumque in carmine negligeret dixit: se Prætorem malum, nisi lege, ac iure ageret.* *Plutar. in apoc.*

Aristotelem mihi totus oleat iudex, dicatque: *Amicus Plato, amicus Socrates, magis amica Veritas.* Huiusmodi enim *incorruptio proximum facit Deo.*

Sanè iudex noster planè apathos, *Non secundum visionem oculorum iudicabit, sed arguet in iudicio populos.* *Isai.* A quo Christus in vita alienissimus.

Laus eius propria: *Non est personarum acceptor Deus: sed in omni gente, quæ timet Deum beneplacitum est illi.* *Act.*

Certè is talis in vita; *Magister, scimus quia verax* *Matt. 22.*

rax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo, non enim respicis personam hominis.

Matt. 20. Assidere dextra, sinistraque, ne consanguineis quidem rogatus decreuit, iis daturus *quibus paratum à Patre.*

Marc. 3. Nunciantibus, *Ecce mater tua, & fratres tui foris quærunt te,* respondit; *Qui fecerit voluntatem Dei: hic frater meus, & soror mea, & mater est.*

Luc. 11. Mulieri in concione exclamanti, *Beatus venter, qui te portauit,* &c. ait: *Quinimo, beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud,* parentelæ cuiuis iustitiam præferendo.

Nulli ergo ille fauturus Christiano, qui Turcam præstet, nulli Turcæ nociturus, qui expresserit Christianum.

Adeo, *Non est acceptio personarum apud Deum,* & iudex noster omnibus idem.

Non odio. * ij. *ET ODIO,* quo qui laborant fere crudeliores.

Senec. in Thyeste. *Odia semper sæua,* etiam in carnem suam sæpe ac viscera sua.

Ouid 9. Metam. Odio Terei mariti, qui Philomelam sororem cóstuprasset, communem filium Itiim innoxium Progne mater trucidauit.

Crudelitatis fonte. Senec. in Medea. Odio Iasonis sui, Medea etiam natorum communium parricida facta, etiam adiecit: *vt duos perimam, tamen Nimium est dolori numerus angustus meo In mare si quod pignus etiam latet, Scrutabor ense viscera, & ferro extraham.*

Nota crudelis illa Thyestæ cæna, ab odio fratris Atrei, de violata vxore concepto.

Idem in Thyeste. Nota in Iosephum coniuratio, in cisternam proiectio, atque in seruitutem venditio, ab odio fratrũ profecta, *Videntes* enim *quod* optimæ indolis adolescentulus *à patre plus cæteris amaretur, oderant*

Genes. *eum, nec poterant ei quidquam pacifice loqui.*

Nota

Nota Iunonis Nouercæ in Herculem odia, cui *finis alterius mali.*

Gradus fuit *futuri: protinus reduci nouus Paratus hostis.* *Senec. in Herc. furente.*

Notissima Iudæorum in Christum D. N. odia, è quibus vox hæc feralis erupit: *Nos legem habemus, & secundum legem nostram* (odiorum scilicet) *debet mori.*

Displicet nimirum quicquid odiosos autores habet.

Mella, felliis sunt loco, & vulnerum speciem gerunt ipsæ vnctiones.

Nonne vides propemodum suauia verbera diligentis ac dilecti, ac pro osculis esse? Ita exosi oscula prope omni verbere acerbiora.

Lepidulum est, quod de illustri Francica matrona ferunt, ab illa scil. maritum (quamdiu is armis, & casside inclusus, vxori incognitus, inter cæteros hastiludiones scitissime lusitaret) mire commendatum; mox vero (illo, elata casside, agnito) ab eadem altè suspiratum, dictumque: *Malum noster est.*

Odium scilicet, ita vxoris de viro censuram peruerterat. Quære, multum ad Spem.

Sed euge, Iudex Christus nullis odiis æger, hinc vt plus timeas, speresue.

In omni gente, quæ timet Deum, beneplacitum est illi. *Act.*

Diligis omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti. *Sap. 11.*

Æqualiter est illi cura de nobis *Sap 6.*

Neminē, sed ne dæmones quidē ipsos, qua natura sunt, odit; odit tantum, qua peccatores, qua, hominibus peccandi acres autores, qua Naturam suam nostramque infecere.

Da (vt sic dicam) Dæmonem nunc pœnitentem saluabit. Ac metum facit.

Adeo

Adeo non ſperandum, dæmonis illum odio homini (ſi is nequam) patrocinaturum: neque etiam verendum, vt odio hominis cuiuſquam, aut Gentis, quemquam dæmoni, ſcelera nulla cauſanti, torquendum decernat.

Turca ſis licet, ac Mahometo etiam ipſo natus, Iudæus atque ex ipſis crucifixoribus oriundus; Fidem tantum tuam, ac Virtutes profer, odioſa tamẽ maiorum facta nihil nocebunt.

Virgil. 1. Aeneid.

Rex Iupiter omnibus idem.

Tros, Tyriuſque mihi, nullo diſcrimine, agetur.

Non timore.

* iij. *TIMORE* etiam iudice innocens damnatur, Nocens abſoluitur.

Senec. in Herc. furẽte

Ius quibuſdam *eſt in armis*, licere putantib. quidquid libet.

Sap. 2. *Lucanus.*

Sit fortitudo noſtra, lex iniuſtitia, aiunt illi.

Arma tenenti,
Omnia dat, qui iuſta negat.

Armatis Iuliis Cæſaribus quis Romanus pœnam decernat, aut imperet?

Cic. pro Milone.

Egregiè à Cicerone dictum: *Inter arma ſilent leges.*

Senec. in Herc. furente.

Et à Gnomologo illo Tragædo: *Opprimit leges timor.*

Per quem leges telæ aranearũ:

Quid leges ſæpe aliud, à timore Magnorum aut Armatorum, quàm telæ aranearum, aut muſcipulæ, quibus animalcula capiuntur, erumpunt grandiora?

Vnde & illud: *Dat veniam coruis* (perditiſſimis) *vexat cenſura columbas* (ſimplices, minimè bellaces, nulli noxias, ſine felle.)

Canis peccatum, ſus dependit: & catello egregiè coram Leone cæſo, prædator Leo incæſus abit.

Cæſaris metu, Pilatus Chriſtum crucifixit, etſi ſæpè profeſſus innocentem.

Tonuerat scil:illud: *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris.*

Et Iudæi iniquiores ab hoc metu: *Si dimittimus eum venient Romani, & tollent locum & gentem,* Ioann. 11.
aiebant proceres Iudæorum.

Ab hoc metu Magnorum, quam multi, aut capite truncati, aut in crucem acti columba mitiores, & Abele forte an iustiores; absolutis aliis Caco ipso nequioribus!

At vero Christum iudicem quis, aut cuius corrumpat metus?

Si fortitudo quæritur robustissimus est. Iob 9.

Nunquid times arguet te, & veniet tecum ad iudicium qui tam fortis? Iob 22.

De illo hostes olim: *Non est tibi cura de aliquo, non enim respicis personam hominis.* Matt. 22.

Alioquin a Patre audiat: *Noli quærere velle fieri Iudex, nisi virtute valeas irrumpere iniquitates, ne forte extimescas faciem potentis.* Ecclesi. 7.

Causæ Christo non timēdi multæ: *1. Omnipotentia, 2. Committens, 3. Inermes Rei.*

Triplex enim causa non timendi, Omnipotentiā.

j. OMNIPOTENTIA, Omnipotens nomen eius: Neque nomen sine re. Si non is Omnipotens, nec Deus.

Ecquis ex pictoribus, pictum à se in tabella vel Getulum Leonem, vel Cerberum ipsum, vel inferni Furias expauit?

Aut cui ex Fortibus sua aliquando vmbra fecit metum?

At verò quid est homo (degeneret licet sæpe in Leonem, aut Furias) aliud quàm vmbra quædam Dei, Imago aut simulacrum illius?

Creauit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam, ad imaginem Dei creauit illum. Genes. 1.

Igitur nulla Deo hominis extimescendi causa.

Ita-

Sap. 6. Itaque *non subtrahet personam cuiusquam Dominus qui est dominator omnium nec verebitur magnitudinem cuiusquam, quoniam pusillum & magnum fecit ipse.*

Viuo ego dicit Dominus, & non est qui de manu mea possit eruere.

Comitatus. * ij. *COMITES* Multi valde ac Fortes.

Stipabit iudicem in armis ac Fassibus, tota Angelorum militia, cuius vel tiro vnus, nocte vna, in castris Sennacherib. 185. milia armatorum (ne dicam primogenita Ægypti vniuersa) prostrauit.

2. Par. 31. Exod. Matt. 25. *Veniet filius hominis in Maiestate sua, & omnes Angeli cum eo.*

Daniel præuidit: *Aspiciebam* (ait) *donec throni positi sunt, &c. milia milium ministrabant ei, & decies millies centena milia assistebant ei: iudicium sedit, & libri aperti sunt.* Dan. 7.

Adstabunt aut assidebunt Electi quoque ex hominibus.

Et Lictores dæmones, suam ipsi sententiam, aliorumque audituri, &, dicto citius, ad rupem Promethea, ad rotam Ixioma, alios ad palum, alios aliò iussos deligatori.

Sap. 5. *Pugnabit pro eo orbis terrarũ, contra insensatos.*

Imbelli à reorum ex armatorũ. * iij. *REI INERMES*. A Pontificum capitibus infulæ, à Cæsarum comis diademata, coronæ, & terribiles cristis galeæ; à manibus vtrorumque, sceptra à militum lateribus gladii; à corporibus loricæ aberunt.

Sistentur distincti illuc æquè omnes, atque exarmati Pontifices, Cæsaresque vna in genua prouoluti, demissi Coss. fasses.

D. Hieron. ep. ad Heliodorum. *Iudicaturo Domino, lugubre mundus, immugiet, & trib. ad tribum pectora ferient. Potentissimi quõdam Reges, nudo latere, palpitabunt. adducetur cum suis stultus Plato discipulis: tunc Aristotelis argumenta non proderunt, quando veniet ille Filius pauperculæ quæstuariæ iudicaturus fines terræ.* Ista

Ista Reuerentiam, terroremque quando & quibus oportuit, olim fecere: tunc iudici huic, aut Spectatoribus, nullum; sed nec ipsis quidem, quibus olim valde magnum. Tunc qui plus terruit, plus trepidabit.

Vita hæc, fabula, illustris valde, in qua Pontifices, Reges, Duces, Populi, Famuli: Nam, vt illic Reges, soli illi honorant, qui in theatro ancillantur, non etiam Spectatores non Choragus ipse, qui Pontificem hunc, Regem illum, ad horam, esse iussit: Imò vero Choragus idem, quos aut Reges, aut Pontifices esse iussit, castigat, corrigit, cædit (Non enim ii Reges nati: sed ab ipso effecti.) Et qui serui, ad horam tantum in theatro seruiunt, acta fabula egressi, pares Regibus suis futuri: Ita magnæ huius, in vasto Mundi Theatro, diem vitæ totum durantis fabulæ Choragus Christus, qui hos Pontifices, istos Reges esse; istos recte imperare, hos decenter, ad horam, seruire iussit, ex Actoribus ipse suis nullum timet: solos seruire iussos. Potestates illæ territant, non Choragum Deum non Spectatores Diuos, ac Beatos, quibus *spectaculum facti sumus*, neque ipsos quidem famulos semper, sed quantisper Domini, Seruique in theatro, ac vita: post plaudite, peractamque vitam, forte serui illos qui se antea terruere, territuri.

Audi ex Actoribus magnis vnum: In *Christi iudicio, sine acceptione personarum, sine ambitu potestatum, æqualiter iudicabuntur Domini & serui: Reges & milites: Diuites & pauperes: Humiles, & Sublimes*. *D. Aug. de fide ad Pet. Diac. c. 45.*

Quæ hic honorant, ibi onerant: quæ hic releuant, ibi grauant. Ista, quæ pro tempore, propter Ecclesiæ vtilitatem, honori nostro exhibentur, defendent fortè bonam conscientiam, defendere autem non poterunt malam. *Idē ep. 203. ad Maximinū Episc. contra Donatistas.*

Igi-

Igitur qui nullos metuit, metuendus omnibus, Iudex iste sincerissimè iudicaturus.

Ah! Quanta illic spes, hic oppressis, oppressoribus quantus pauor!

Virg. 1. Aeneid.

Stabunt, stabunt iusti in magna constantia, aduersus eos, qui se angustiauerunt.

Si genus humanum, & mortalia temnitis arma;

At sperate Deos memores fandi, atque nefandi.

Non denique Cupiditate.

* iiij. CVPIDITATE, vel spe munerum, quæ iudiciorum veræ pestes.

Ouid. 3. de arte.

Munera (crede mihi) placant hominesque Deosque,

Placatur donis Iuppiter ipse datis.

Iudicem quisquis vinculis aureis vinciet, vincet.

Idem.

Auro venalia iura.

Eccl. 20.

Excæcant, & dona, excæcant oculos iudicis.

Fortius oculos mentis munuscula excæcant, quam corporis, humores concreti, aut pulueres iniecti.

Exod 25.

Itaque opportunè lege cautum: *Nō accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, & subuertunt verba iustorum.*

Policrat. l. 5. c 15.

Aduersus quam leges multæ.

ff. de off. præs. l. Plebis cit.

Et illud laudo, quo cauebatur, *Ne quis Præsidum munus, donumue caperet, nisi esculentum, poculentumue, & id quidem intra dies proximos prodigatur quod & ad Proconsules, aliosq; Magistratus, ex mādato Principis transit.*

Autor mihi qui illic annos 30. peregrinatus.

Et illud Philippi 2. Hisp. Regis, quo à iudicibus in Hispaniis, munuscula qualiacunque ex reis vetuit capi.

Iethro quoque prudenter valdè, qui Moysi genero, eligere collegas alios, quam senes, & qui auaritiam odissent dissuadebat.

Et

Et Thebani apud quos, Iudices sine manibus (ne munera scilicet captarent) pingebantur. *Stob. ser. 44.*

Se enim qui aurum capit, vendit; & qui aurum esurit, scelus licit: *figit leges pretio, atq; refigit*, & leges lucrose cauponatur. *Virg 6. Aeneid.*

Et Cambyses benè, etsi seuerissimè, qui Sisameni, ex Regiis Iudicibus vni, alioqui carissimo (quod pecuniâ corruptus iniquam tulisset sententiam) pellē detrahi, eademque tribunal Iudicum ad posterorū metum, substerni: aut (vt alii) ante tribunal Iudicum appendi iussit. Et supplicia. *Herodot. li. 5. Valer. l. 6. c 3. Iustinus.*

Et Darius, qui Sandacem Æolidis præfectum, à simili causâ, in crucem egit. *Alex ab Alex. l. 3. c 5.*

A Christo Iudice autem quam procul ista corruptio!

Deus magnus, potens, & terribilis, qui personam non accipit nec munera. *Deut. 10.*

Non adquiescet cuiusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima. *Prou. 6.*

Quem enim mortalem adhuc, Iroque pauperiorem, non corrupēre promissa regna omnia, nec illud: *Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraueris me*; Immortalem scilicet ac beatum munera corrumpant? *Matth. 4.*

Nulla corruptelæ timendæ causa, nec quà à { 1. *Reis*, 2. *Iudice*. } Cuius in Christo nulla causa.

* j. *NON A REIS.* Inopes enim illic æquè omnes. *Homo cum interierit non sumet omnia, neq; descendet cum eo gloria eius.* Non à reis pauperrimis.

Mors omnia omnibus in excessu deprædata. *Psal.*

Nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis. *Psal.*

Argentum eorum foras eiicietur, & aurum eorū in sterquilinium erit. *Ezech. 7.*

Quo enim iure efferant; quod non intulerunt?

1. Tim. 6. *Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium, quod nec auferre quid possumus.*

Iob. *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, nudus reuertar.*

Non à Iudice ditissimo.

* ij. *A IVDICE* multo minus. Qui enim ipse sibi atque omnibus est omnia, bonorum nostrorum non eget.

Cupiditatem enim aut vera egestas aut animus egens facit.

Psal. *Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo?* ait.

Si esuriero non dicam tibi.

Meæ sunt omnes feræ syluarum, iumenta in montibus, & boues. Et si quid desit, creandi est potens.

Iudici hic Munera obferre, sit aquam in mare cõferre, aut Soli facem.

Ecquà igitur corruptelæ illhic metus?

Quæres ad Spem. *Ouid 1. Metam.*

O spem magnam pauperibus, quos nunc *ferrum ferroque nocentius aurum* toties apud Iudices istos vincit!

Et Metum potens.

O Metum Diuitibus, qui nunc auro magis, quã iure, certant, & triumphant!

Virtute illic non scelere, Sanctitate ibi, non potentia, decertabitur: & vincet, non qui ditior, sed qui Sanctior.

D. Bern. c. 1. ad Robertũ monachum. *Illic plus valebunt pura corda, quam astuta verba, & conscientia bona, quam Marsupia plena*

Prou. 12. *Non proderunt diuitiæ in die Vltionis: Iustitia liberabit tunc à Morte.*

II.

Seuerissimum tunc fore Quæsitorem.

Idem Christus Iudex seuerissimus.

Celebretur aliis Cretensis Quæsitor Minos, aut Hispanicus Inquisitor, aut Romanus aliquis Cẽsor; nobis Christus, in Iudicio illo nouissimo, omnibus seuerior.

Seueri-

Seueritas Iudicis spectanda vel quà à { 1. *Modo discutiendi.* 2. *Materiâ, quam discutit.*

* j. *MODO discutiendi* si is adcuratus valdè.

Audi nostri modum: *Scrutabor Hierusalem in lucernis.* Singula emphasim suam habent. — *Sophon. 1.* Tam discutiendi modo. Qui exactissimus esse videtur ex multis.

* 1. *SCRVTARI* n. certè est: anxiè ac studiosissimè quærere, vt ferè adsolent Publicani portuum, portarumq; custodes, aut prædones in syluis, quorum hi in vasis merces, in thoracibus literas, isti aurum rimantur.

Hinc illa: *Scrutatus es omnem supellectilem meã.* — *Gen. 13.*

Defecerunt scrutantes scrutinio. — *Amos 9.*

Scrutamini scripturas.

Si absconditi fuerint in vertice Carmeli, inde scrutans auferam eos. Cribrabit, ventilabit omnia Iudex iste, vnde dictum, *Ventilabrum in manu eius esse.* — *Matth. 3.*

* 2. *IN LVCERNIS.* Etiam lux scrutationi adhibita, diligentiam sonat adcuratissimam.

Lucernam accendit mulier, perditam drachmã sedulò quæsitura. — *Luc. 15.*

Diogenes lucernâ in meridie vsus, cum foro hominem, non vultu sed cultu, in anxiè quæreret. — *Diogen. Laert l. 6.*

Et *Lucernam olere* dicitur, quidquid elaboratum, quales Demosthenis orationes, aut Virgilij Æneis.

* 3. *IN LVCERNIS.* Pluralis numeri etiam vsus, curiosissimum fore Quæsitorem iudicat.

Vt Cereti raptam à Plutone filiam Proserpinam toto orbe vestiganti tædæ multæ quondam accensæ quærendi signabant, diligentiam: ita & hæ lucernæ, de quibus Sophonias, exactissimam Iudicis in tecensendis omnibus curam.

* 4. *HIERVSALEM,* j. sanctissimos quosque ita scrutabor.

Cum Bernardo enim. *Puto hoc loco Prophetam, Hierusalẽ nomine, designasse eos, q̃ in hoc sæculo vitã* — *D. Bern ser. 55. in Cant.*

ducunt religiosam, mores supernæ illius Hierusalem conuersatione honesta & ordinata, pro viribus imitantes, & non veluti hi, qui de Babylone sunt, vitam in perturbatione vitiorum, scelerumq; confusione vastantes. Illorum peccata manifesta sunt, præcedentia ad Iudicium, & non egent scrutinio sed supplicio. An non & hoc mirè emphaticum ita in Sanctos inquiri? *Quid tutum in Babylone, si Hierusalem manet scrutinium?*

Idem ibid.

*. 5. *SCRVTATOR* denique ipse attendendus. *Scrutabor* ait, ipsus ego, non aliquis à me subfectus, qui falli, aut nescire aliquid possit.

Intererit multum Dauusne loquatur herusne, Aristarchusne an Midas aliquis de versu cantuque censeat; Appellesne aliquis, an cæcus de coloribus: Ita interest, Deusne an Homo vitas nostras ac crimina discat.

Dom. Anto. Gueuarra prologo to. 1. Montis Caluariæ Zach. 2.

Hinc Imperatoris Maximi Caroli 5. Orator, Scriptor, Consulque Gueuarra, Hispaniæ, atque Ord nostri lumen mirè librat illud Zachariæ: *Et leuaui oculos meos, & vidi: & ecce vir, & in manu eius funiculus mensorum. Et dixi, quo tu vadis? & dixit ad me: Vt metiar Ierusalem, & videam quanta sit latitudo eius, & quanta longitudo eius.*

Luci huic, quæ *habitat lucem inaccessibilem*, verba dare difficile.

Ergo, vt, cum oculis acutissimis præditus quispiam, & in loco iam lucido positus, etiam adhibet lucem multā, vt aliquid quærat, atomis ipsis minora quædam velle quærere illum censes: Ita, cum Deus, Censor naturâ sit optimus, & Lynceo quouis acutior, & animi ipsi piorum quouis Sole clarius fulgeant, & nihilo minus tamen tot in iisdem censendis se iactat lumina adhibiturum: credendum planè illum minutissima etiam quæque, atque in optimis, quæsiturum.

D. Bern. ser. 55. in cant.

Itaque, *Verendum valde, cum ad hoc Iudicium ven-*

centum fuerit ne in tam subtili examine, multæ nostra iustitiæ vt putantur peccata adpareant.

Omnes Iustitiæ nostræ tum pannus menstruatæ. — *Isai.* Quam subiecto.

* ij. *MATERIA*, si in perfectissima quæq; & Minima inquirit, quod noster illic facturus.

* 1. *PERFECTISSIMA*. Nam Hierusalē scrutaturus quoque, non duntaxat Babylonem. Vnde & illud Dauidis: *Cum accepero tempus ego iustitias iudicabo.* — *Psal.* Nam quæ nobis absolutissima.

Vbi Iustitias dixit, vel

1. *Iudicum chorum.*
2. *Acta ac censuras Iudicū*, id est recensebo, retractabo, an remisse, an rigidè, an inscienter, an corruptè iudicârint. *Veniet* (ait Bernardus) *qui male iudicata reiudicabit.* — *D. Bern. ser. 8 in psal. Qui habitat.*
3. *Cuiusq; opera, genere ac naturá bona.* Fauet Hieronymi versio ex Hebræo: *Ego Rectum iudicabo.*
4. *Iudicii sui summam æquitatem* q.d. ego iustissime iudicabo. Duplicata enim, aut coniugata Hebreorum, perfectionem sonant & augmentum: vt, *morte morieris.* — *Genes. 2.*

Generalis scilicet causarum omnium retractatio quædam, & (vt Gallorum Iurisperiti loquuntur) Reuisio, sed recognitio tum fiet.

* 2. *ET MINIMA quæq;*. Nam vel Iudicis ipsius confessione, *Omne Verbum otiosum, quod loquuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die Iudicii.* — Et minima recensebit. *Matth. 12.*

Gregorii autem sensu, *Verbum otiosum est, quod ratione iustæ necessitatis aut intentione piæ vtilitatis caret.* — *D. Greg. 7. mora c. 25.*

Proh! Iudicem seuerum! Quis Dominorum durus adeo, vt de acus, aut ligaculi iacturâ, cùm seruo expostulet? Quis Rex seruulum, repetundarum adcusauit, ob reliquiis candelæ profusis?

At Iudex iste, etiam verbulum otiosum vrget.

Et Linguæ verò regendæ prouincia quam dura!

Anacharsides in vrbe hac, imò & orbe toto, quã pauci!

Iacob. 5. *Qui non offendit in verbo, hic perfectus est Vir.*

Vestram fidem! quid eos manet, a quorum orib. quot verba, tot obscenitates ex mediis lupanaribus, tot detractiones, tot falsa testimonia, tot blasphemiæ, tot Germanica Sacramenta?

Illa enim valdè otiosa, & extra vtilitatem: imò vtinam otiosa! neque Deum ipsum, neque proximi famam, opes læderent, neque cuiusuis Lucretiolæ castitatem eneruarent!

Sap. 2. *Qui loquitur iniqua non poterit latere, nec prateriet illum correctionis iudicium.*

Quam fallitur, quisquis in parricidia tantum, in adulteria, & vasta illa crimina, quæsiturum Christū putat, qui in verba etiam otiosa est minax.

Supra fidem Ethnicorum est rigor iste tam magnus, & forte an dubitem ego primus de illo, nisi & in Matthæo legerem, & vocem ipsius Iudicis esse certo scirem.

Itaque credo, & perhorresco vtinam & vos vnà omnes mecum!

CONCIO V. *vel in ord.* XX.

2. Cor. 5. Them.] *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum.*

FActâ repetitione, ita propositum.

Dicendum

Dicendum hodiè rursus, de seueritate Iudicis Christi, eamque intelligi posse.

1. *Ex duobus, & facta ad alios Iudices seuerissimos comparatione.*
2. *Ex suppliciis grauibus, ob leuicula delicta, in hâc Propositio. vitâ irrogatis.*
3. *Ex magno innocentissimorum metu.* AVE.

I.

Iudicis nostri seueritatē intelligi ex duobus, & facta ad alios Iudices seuerissimos comparatione.

Ah! Quam mauelim (Auditores) Iudicem Clementissimum depingere! Vobis non solum, at multis etiam aliis, mihique primum ipsi misello, id multo sit iucundissimum, si quam iucundè, tam verè hoc possim.

Sed si Locum hunc adspecto, & huius mendacii Finem, nec ego ausim, nec vos velitis.

Si Locum; asylum est, atque ara veritatis, in qua idolo mendacii statio nulla.

Si mendacii finem; Æternum est Vestrum, meiq; ipsius periculum.

Agnumne ego illum dicam esse, quem patientia læsa tunc effecerit Leonem?

Væ qui consuunt puluillos sub omni cubito manus.

Satius, satius, cum *vt Prophetæ fideles inueniantur,* tum ad populi vtilitatem, catapotia, & amaritudines salutares à me propinari, quam fauos fallaces. Audite igitur, quam amara, tam salutaria.

Ego Iudicem nostrum, alio quolibet seueriorem iure censeo.

Christo nullus Iudex seuerior.

Qua Seueritatem Iudicũ produnt.
1. *Delicta.*
2. *Pœnæ, q̃ cēsendę ex*
 1 *Qualitate.*
 2. *Quantitate, quà*
 1 *Magnæ,*
 2. *Multæ.*
 3. *Duratione*

 *1. DE-

* 1. *DELICTA*, cum talia esse censet, à paruis causis.

Cui næniæ blasphemiæ.

Censura, seuerissimus Magistratus Romanis, hoc adspectu.

Fenest. lib. de Magist. Rom. c 17.

Fenestella ipse hinc miratur seueritatem: *Quid dicam* (inquit) *quam leuißimis de causis censoriam inurere notam consueuerint: Nimis corpulentis militibus, vnguentoq; nitidis, equis ademtis, ignominiaq; notatis, exercitu dimisere.*

Idem ibid.

Eques Romanus illis notatus ignominiá, quod percontantibus, cur ipse tam ruber & comtus equus tã macilentus & squallidus, parum reuerenter respondisset: Quoniam ipse se curaret, equum vero Statius seruus.

Sponsus mox labe ignominiæ conuulsus, quod rogantibus Censoribus de more, in celebratione sponsaliorum, an vxorem ex animi sui sententia haberet, respondisset: se ex parentibus, (socero scilicet ad Socrum) *non autem ex animi sui sententiá habere.*

Plutarch. in vita Catonis Censorii Gell. l 4. c. 12.

(Plutarcho enim auctore: *De nuptiis de liberorũ procreatione, de viuendi ratione, & de conuiuiis diligenter inquirit Censura.*

Fenest. sup.

Gellius, *qui in Censorum auditorio nimis sonore oscitasset*, ignominiá notatum dicit quempiam, quem restitutum narrat Fenestella, *postquam rescitum non incontinentiæ, sed valetudinis fuisse.*

Quin etiam, & qui agrum passus esset sordescere, notabatur.

Quam leuicula delicta.
1. *Oscitatio!*
2. *Iocus Intempestiuus!*
3. *Equus, aut ager incultior!*

Itaque iure miranda certe seueritas illa Censuræ.

Et intus voluisse satis.

At seuerior tamen multò Iudex noster, qui non iocos, non otia, aut otiosa modò verba, sed cogitationes

tiones ipsas etiam, voluntatesq; castigat, quò nunquam rigor Censuræ penetrauit.

Ipse cogitationes nostras scrutabitur. Sap. 6.

In cogitationibus impii interrogatio erit. Sap. 1.

Gregorius in hâc mente. *Sic Deus omnes vias nostras considerat, vt nec minimè cogitationes, aut verba minutissima, quæ apud nos viluerunt, in eius Iudicio, maneant indiscussa.* D. Greg in illud Matt. 24. Omnes capilli vestri num.

Cogitâris de virgine comtà diutius cum adplausu, etsi ab opere fœdo abhorrens, censuram Christi sentiens.

Seruio Autore (in illud Virgilii; *Ausi omnes immane nefas, ausoq; potiti*: (*Romano ritu, non tantum exitus punitur, sed etiam voluntas*; cui addo, ea scilicet quæ conatum adiecerit efficiendi, foris notum. Seruius in 6. Aeneid.

— *patitur pœnas peccandi sola voluntas.* Iuuenal. sat 13.

Censor vero noster Christus, castigaturus voluntatem, etiam nihil conatam.

Audiin' tu Basilium? *Neq; ea solum, quæ in apertum opus prorupere, verum & quæ sine effectu operis in animi tabula inscriptæ fuerunt cogitationes.* D. Basil. de vera virginit.

Sed, *Qui viderit mulierem, ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo:*

Et, *Qui irascitur* (vel intus duntaxat) *fratri suo, Reus erit iudicio.* Iudicis ipsius vetera oracula id plenius firmant. Matth 5.

Non quid possis, sed quid velis adtendit, tam in Vitio, quàm in Virtute. Prop l 2. eleg 10. & Ouid. vel quisquis ad Pisonem.

Apud Magnos, & in magnis & voluisse sat est.

——— *Scelus intra se tacitum qui cogitat vllum,*
Facti crimen habet. Iuuenal. sat. 13.

* 2. POENAE etiam delictis decretæ, Iudicum declamant, aut Seueritatem, aut Lenitatem.

* j. *SEVERITATEM*, si Graues, si Multæ, si Diuturnæ.

* ij. *LENITATEM*, si Humanæ, Paucæ, Breues.

Et cui Tartarus vnus, vix ad pænas satis. *Terent.*

Itaque Draco seuerissimus iudicatus, & dictus sanguine leges suas scripsisse, quod lenissimis etiam furtis pœnam capitis decerneret, illumque ego Draconem dico, qui tam Lætalis.

Paululum supplicii satis est patri.

Romanæ Cēsuræ pœna certe mitior: Ignominia, equus ademtus aut tale aliquid.

Iudex verò noster Inferna & Ignes omni Morte acerbiores decernit (de quibus alias) & Infinita quędam numero tormenta, ac Diuturna. Quidquid tū decernet æternum.

Ignominia etiam quæ ab hoc Iudice maior quam quæ à Rom. Censoribus. Spectatore enim Vniuerso Orbe, de vitiis nostris, remissis æquè, ac non remissis declamat.

Naum 3. Et iam pridem remissa publicat.

Audi: *Ostendam gentibus nuditatem tuam & regnis ignominiam tuam*, ait.

Spartianus de constitutionibus Hadriani loquens.

Vulcanos cum Veneribus suis vinctos, toti theatro sannis, sarcasmisque exhibet impetendos: catanudiari inquam iubet peccatores, vt olim bonorum Decoctores Hadrianus.

2.Reg.12. *Tu fecisti in occulto, ego autem in oculis Solis huius.*

Sap.4. *Traducent illos ex aduerso iniquitates ipsorum.*

Scin' quantus polygamis, seu multarum simul vxorum viris pudor, cum mithellati, bicoliferi, ac tantum non furciferi, scalarioque suggestui adfixi, scurrilitates lasciuientis plebeculæ, aliquot horas fronte perfrictâ audire patienter coguntur? Id vmbra quædam tenuis dumtaxat pudoris illius, qui peccatoribus futurus, in orbis vniuersi amphitheatro tunc traductis.

QVAE-

QVAESTIO.

Atat! ergone etiam olim remissa, ac tecta (inquis) illic publicanda?

Magni quidam mecum in hac mente.

Causa huius biceps, { 1. Gloria Dei, { 1. *Iuuantis.* 2. *Miserentis.* } 2. *Gloria erecti post casum.* }

Non temerè tamen.

Nam Ius tum cuique suum reddendum, antè diximus.

Sed gloriæ suæ.

* 1. *GLORIA DEI.* Adiutans enim ille, atque erigens hominem, peccatorum limo iam ad fauces vsque defixum, partem maximam gloriæ decerpit.

Et Pietatis laude saltem is dignus, qui tam scelerosi misertus est, vt non erexerit iacentem.

Ergo, vt Auxilii ac Clementiæ cœlestis vim videat Orbis totus, tota vis mali detegenda, etiam remissi.

* 2. *GLORIA erecti post casum.* Ex tot enim vinclis seu erumpere, seu erepere potuisse, non minus, quam Samsonem captum, elatis portis, ex Gazâ euasisse, vel Herculem, Theseumne, aut Æneam, ex Infernis, inuito Cerbero, redisse, gloriosum.

Et conuersorum studes:

Vti equus, si ad ephippia vsque ad frænos, in scrobem proiectus licet, leuiter tamen stimulatus exsiliit, commentatur: & Eques ipse, si hostis aduersi hastâ grauiter sauciatus, equoque excussus, nihil tamen obstante vulnere, aut armorum pondere, rursus, equo ascenso, hostem adoritur, ac vincit: ita quisquis è scurrâ, fit bonus pater familiâs, & quæcunque ex Florâ, fit Lucretia.

Quisquis peccat, equi instar eò prolabitur vsque, vt meritò dicat: *Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue, grauatæ sunt super me.* *Psal.*

Infixus sum in limo profundi, & non est substãtia: *Psal.* aut Equitis instar, velut ex equo ad terrã corripitur.

At quiſquis exinde fit frugi, modo quodam is è ſcrobe adſurgit, prælium que non ſine laude redintegrat.

Vtriuſque Dei, Hominiſque hinc gloriam velut iudice attigit Poëta Max dicens: *Sed reuocare gradum, ſuperasq; euadere ad auras,*

Virg. 6. Æneid.

Hoc opus, hic labor eſt: pauci, quos æquas amauit:

Iuppiter aut ardẽs euexit ad æthera Virtus id eſt Amori Dei, hoc, Hominiſque vnà Virtuti adſcribendum.

Ignominioſâ quadam tunc Gloriâ; aut glorioſâ Ignominia iuſtè à Deo, in Iudicio, inſignietur, quiſquis talis.

Dicis cauſ.: Sicut Ignominia quædam glorioſa, & Gloria quædam nunc ignominioſa eſt Magdalenæ, peccatricem ipſam primum, deindè verò ſeriò pænitentem, è pulpitis ad populum prædicari; Ita emendatis, tam primos vitæ mendos, quam ſequutas emendationes tum publicari.

Sed, vt nec modò Diua illa rubeſcit, nobis hic facinora eius digna & indigna dicentibus; nec Petrus, nec Dauid, nec lapſorum Sanctorum quiſquam; Ita nec tunc emendatorum quiſpiam, veteribus peccatis Iudicio illo traductis.

Boet. lib. 2. conſol. prol. 4.

Vt *in omni aduerſitate fortunæ, infæliciſſimum genus infortunii eſt, fuiſſe fælicem:* Ita *in proſperis, habet præteritæ calamitatis recordatio delectationem.*

Cicerò.

Vt miſerum verbum [Fui] miſeris, qui beati fuêre: ita iucundum idem [Fui] fortunatis, qui anteà infœlices.

Agathoclem ſanè figuli filium [etiam poſtquam Siciliæ Tyrannus effectus eſt] ferũt, in menſa teſteis poculis vſum, vt præſente fortuna, antiquæ ſic comparata, maiorem caperet voluptatem.

Quidni igitur etiam iucunda caſuum priorum, in Iudicio

Iudicio commemoratio, in meliora mutatis?

Regiæ quoque vestis exemplo disce, minimè pudendam beatis fore, lapsuum veterum publicationem. Rupta est Regia purpura? si ea resarcitur, si auro, gemmisque ruptura oneratur; tum illa adeo nō indecora, vt nec casu fracta videatur, sed studio ornata. Ita, peccato interruptus est cuiquam iustitiæ tenor? si is instauratur, meritis & Christi sanguine admotis, si Gratia cœlestis, diffudata vniēs, velut adsuitur; si dona noua, si virtutes nouæ, veteribus scissuris prætegendis, accedunt: *Ecce noua omnia*, adeo, vt mirabundus spectator, arte dicat peccatorem, non casu, instar Iunii Bruti, collapsum.

Denique; quam multis militibus cicatrices suæ gloriosæ! quam multæ Glyceræ næuis suis delectātur! quam multis tenuis blesismus suus placet! ad Maiestatem diceres adfectatum.

Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonū. Rom 8.

Quid? quod & hoc ad aliorum ruborem, qui paucioribus licet minoribusque peccatis irretiti, inde tamen extricare se, erumpereque noluerunt, aut nō posse iactarunt? Vt contra ignominiæ pertinaciū.

Sed inquis: Cur igitur à Dauide quædam dicūtur *remissæ iniquitates, & tecta peccata*? Psal.

Cur ab ipso Iudice, apud Ezechielem: *Si impius egerit pœnitentiam, &c. omnium iniquitatum eius non recordabor*? Ezech. 18.

Ego remissa, tecta, & oblita Deo tot crimina resipiscentium dico, qua ad Pœnam æternam, non qua ad Gloriam eius ipsius, atque illorum; nec qua ad Ignauorum verecundiam.

Quam multa Laconico, seu tenui ac pellucido velo obteguntur, vt speciosius paulò videantur.

II. Ex

II.

Ex ſuppliciis etiam grauibus, ob leuicula delicta, in hac vita, irrogatis.

Deinde is ſeuerus planem, qui cum maximè blandus ſæuit.

Sed aliundè quoque Iudicis noſtri ſeueritatem agnoſce.

Ecclef.3.
Matth 21.
Iſai 62.

Si *Omnia tempus habent*: & Miſericordiæ, & Iuſtitiæ, ſtata ſunt Deo tempora.

Tempus nunc *miſerendi*: (*Dicite filiæ Sion, Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus*:) Tum verò tempus vlciſcendi; *Dies illa, dies iræ.*

Ergò, vt diſcas, quam ſeuerus tunc Iudex noſter futurus, rigorem illius vide, in delicto, munuſcula, vel ipſo tempore miſerendi.

A ſæculis illis aureis naſcentis mundi ordiamur.

Sæuiſſe aũt videtur Iudex noſter etiam hoc tempore miſerendi.

Quantillum (quæſo) erat, Protoplaſtos Primateſque generis noſtri, buccellam pomi vetiti comediſſe? At quam graues pœnæ ac multę hinc illis, ab illo! quam late graſſantes! *Stirpem, & genus omne futurum exercent.*

Gen 3.
Virg 4. Aeneid.
Geneſ 3.

Ad virum: *Maledicta terra* (inquit) *in opere tuo: in laboribus comedes ex ea, cunctis diebus vita tua.*

Spinas & tribulos germinabit tibi & comedes herbas terræ, donec reuertaris in terrā, de qua ſumtus es.

Agricola improbus, atque adeo ager ipſe diris deuotus.

A paruis etiam cauſis, & ſæpè.

Ad mulierem: *Multiplicabo ærumnas tuas, & cōceptus tuos, in dolore paries filios, & ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui.* Viro Labor, Vxori decretus Dolor, & quia illa viro peccandi autor, etiam dura Seruitus.

Quin & totam vtriuſque ſtirpem vindictæ hæ tangunt.

Virg.1. Aeneid.

Tantæne animis cæleſtibus iræ! inquis.

Tantæ inquā, & addo: quæ placari etiam nunquā aliter, quam Dei occidio, potuêre. I nunc,

I nunc, & Iudicem tuum ipso vltionis tempore, tam mollem iacta, qui ipsis Clementiæ temporibus, tam seuerus.

Quantillũ, quod *videntes filii Dei filias hominũ, quod essent pulcræ, acceperunt sibi vxores, ex omnibus, quas elegerant?* Sodomiam tum nullam lego, sed nuptias duntaxat voluptarias. *Genes. 6.*

Diluuio tamen aquarum terrâ, Cœlorum erumpentium, *consumta est omnis caro, quæ mouebatur super terram, volucrum, animantium, bestiarum, omniumq́ reptilium quæ reptant super terram. Vniuersi homines, & cuncta in quibus spiraculum vitæ est in terrâ, mortua sunt.* paucis hominibus, velut seminibus, exceptis. *Ibid. 7.*

I nunc, & Iudicem tuum tam mollem iacta, &c.

Quantillum, quod vxor Loth è Sodomis fugitans retrospexit? In statuam salis tamen mox versa, diriguit. *Gen. 19.*

I nunc, & Iudicem tuum tam mollem iacta, &c.

Quantillum, pauperem Sabbatho ligna collegisse? Isdem tamen iussus à toto pop. lapidari. *Num. 15.*

I nunc, & Iudicem, &c.

Quantillum, Acham militem de anathemate Hierichuntis vsurpasse. *Iosue 7.*

Idcirco tamen cæsa sæpè Isaacidarum acies, tamdiu cædenda, quamdiu prædator inuentus pœnas non daret.

I nunc, & Iudicem, &c.

Quantillum, Ozam Sacerdotem arcam fœderis irreuerentius, id est (vt Hebræi putant) post vxoris vsum, nocte illa, tractasse; vel nudam arcam adtigisse, vel bobus, non hominum humeris vectandam dedisse? Attamen qui adtigit, extemplo interfectus. *2 Reg. 6. 1. Par. 13.*

I nunc, & Iudicem, &c.

Quantillum,

3. Reg. 13. Quantillum, Prophetam, blandulè deceptum à Prophetâ, in domo Prophetæ, contra Dei iussa pauisse? Idem tamen hinc in reditu, à Leone est trucidatus.

I nunc, & iudicem, &c.

Matth. 22. Quantillum, conuiuam, in epulo geniali, non habuisse vestem nuptialem? Iussus tamen in tenebras exteriores mitti, qui caruit.

Act. 5. Quantillum Ananiam & Saphyram coniugatos, non aliena furatos esse, sed sua dolosè adseruasse? Inde tamen vterque mox interfecti.

I nunc, & Iudicem, &c.

Venio ad Moysen, mitissimum illum hominû, ac participem secretorum Dei. Quantillum erat, illum, petra iam semel vanè percussa, ad aquas contradictionis, animó vacillasse? Idem tamen ideo, terram promissionis prospicere tantum è monte Nebo iussus est, intrare verò prohibitus, qui dux ad illã omnium.

I nunc, & Iudicem, &c.

Quid? Ex sexcentis illis armatorum milibus, & mille septingentis triginta, nemo in beatam illam terram, præter Caleb & Iosue, ob murmura tantula pedem inferre est permissus.

Quid meus Aeneas in te committere tantum,
Virg. 1. Aeneid. *Quid Troes potuere quibus tot funera passis,*
Cunctus ob Italiam & Chanaam, terrarum clauditur orbis?

Obgannierant Core & socii, Moysi; & ecce viuos terra dehiscens absorbuit.

Intemperanter carnes optarat populus, manna fastidito; & ecce vix optatis fruens, ignitis serpentibus prædæ fuit.

I nunc, & Iudicem tuum ipso vltionis tempore, tam mollem iacta, qui, ipsis Clementiæ temporibus, tam seuerus.

III. Ex

III.

Ex magno etiam Innocentissimorum metu.

Denique; quis neget seuerum fore, quem viri omnes magni etsi innocentissimi, adeo perhorruêre. — *Denique Christi seueritatem testatur Sãctorum metus, Iobi maximè.*

Iobi imprimis quanta formido! *Semper* (inquit) *quasi fumentes super me fluctus, timui Deum & põdus eius* (id est grauitatem futuri Iudicii, ex Gregorij mente) *ferre non potui.*

Item: *Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti.* — *Iob. 3. D. Greg lib. 21 moral. c. 16.*

Item: *Quid faciam, cum venerit ad iudicandum Deus, & quum quæsierit, quid respondebo illi?*

Aut nimius Iobi timor (si Iustitiam timentis attendas) aut Iudex profecto seuerissimus.

Audi sic timentis Iustitiam:
1. *Humanitatem in miseros,*
2. *Temperantiam,*
3. *Fortitudinem,*
3. *Tranquillitatem conscientiæ.*

* 1. *HVMANITATEM. Oculus fui cæco, pes claudo. Pater eram pauperum: & causam, quam nesciebam, diligentißime inuestigabam. Benedictio perituri super me veniebat, & cor viduæ consolatus sum.* — *Iob. 29.*

Si negaui, quod volebant, pauperibus; & oculos viduæ expectare feci. — *Iob. 31.*

Si comedi buccellam meam solus, & non comedit pupillus ex eâ (Quia, ab infantiâ meâ creuit mecum miseratio, & de vtero matris meæ egreßio est mecũ.) — *Ibid.*

* 2. *TEMPERANTIAM. Pepigi fœdus cum oculis meis, vt nec cogitarem quidem de virgine.* — *Ibid.*

Si deceptum est cor meum super muliere, & si ad ostium amici mei insidiatus sum; scortum alterius sit vxor mea, & super illam incuruentur alii.

* 3. *FORTITVDINEM.* In aduersis enim idem Marpesiâ caute constantior: fatigatus potius est Diabolus verberando, quã ipse vapulando.

* 4. *TRANQVILLITATEM Conscientiæ. Non me reprehendit cor meum, in omni vitâ meâ*

Iob. 29. *Iustitiâ indutus sum.*

Timide tamen Iudicem vir tantus expectat, timorisque causam adsignat, Iudicii diuini, ab humano, diuersitatem.

Iob. 9. *Si lotus fuero, quasi aquis niuium, & fulserint velut mundissimæ manus meæ, tamen sordibus intinges me*]. Sim mihi candidissimus, tibi tamẽ sordibus videri potero. Aquas autem niuium dixit emphaticè valdè.

Et in Angelis suis reperit prauitatem.

Isai. 64. Iobum lege cap. 7. aut 8 de rigore Iudicis huius.

Isaias haud expers metus: *Facti sumus, vt immũdi omnes nos, quasi pannus menstruatæ, vniuersæ iustitiæ nostræ.*

Psal. Dauid quoque quam timidus! *Non intres in Iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in cõspectu tuo omnis viuens.*

A Iudiciis tuis timui.

1. Cor. 4. Neque Paulus ipse admodum securus: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum,* inquit.

Mihi pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die, sed neq; meipsum iudico; qui autem iudicat me Dominus est]. Censuræ hominum, de hominibus, in vtramque partem, haud ita magni faciendæ, Dei verò, iudicia maximi æstimanda.

D. Hier. in Matth. D. Hieronymus (quamquam ieiuniis planè eneruatus) in quanto etiam metu! *Quoties diem illum considero* (ait) *toto corpore contremisco.*

Idem ad Cromatiũ & Heliodorum. *Ego in scelerum meorum latens sepulcro, & peccatorum vinculis colligatus, quotidie Dominicum illum clamorem expecto, Hieronyme veni foras. Ego deniq; omnia tuta timeo.*

Elias,

Elias Abbas quam timidius! *Tria enim se timere aiebat, Mortem; Occursum Iudicis; Sententiæ dictionem.*

Agathon Abbas, Morte instante, triduum, apertis oculis, mansit immotus, fratribusque rogantibus, *Abba vbi es?* respondit: *Ante tribunal Dei*, & iterā dicentibus, *Et tu times*, adiecit: *Pro viribus adnixus ego quidē parere Dei iussis, at hominē me memini, atque haud satis scio, Deone opera mea placuerint, necne. Alia enim Dei, alia hominum iudicia, neque ego sat securus, antequam ventum ad conspectum Dei.*

D. Gregorius in simili timore: *Væ laudabili Vitæ hominum, si remota pietate iudicetur.* D Greg lib. 29 moral.

Ante terribilis Iudicis subtile atque incomprehensibile examen, non solum mala, quæ commisimus: sed ipsa etiam, si qua in nobis sunt bene gesta timeamus: quia sæpè, in iusto Iudicio, culpa esse deprehenditur, quod Virtus ante Iudicium putatur, & vndè expectatur pia merces, inde suppliciū iustæ sequitur vltionis. Idem l 3. moral c. 5.

Verendum valdè, cum ad hoc ventum fuerit, ne in tam subtili examine, multæ nostræ Iustitiæ (vt putantur) peccata adpareant. D Bern. ser. 55. in Cant.

Vt Idumæus ille, nuntiatâ Saulis cæde, indè occidi est iussus, vndè gratiam, apud Dauidem, aucupabatur: ita, in Iudicio illo, inde aliquis periturus, vnde ad Triumphos adspirabat.

Sceleribus non solum nostris, sed virtutib. etiam timendum.

Inter homines, Iudicia de rebus iisdem diuersissima diuersorum. Qui metus, ex Iudiciorum diuinorum à nostris differentia est.

Quot capita, tot sententiæ. Cur non etiam alia Dei hominumque, de iisdem Censura?

Iudicia Doctorum planè alia, quæ timeas; quam imperitorum, quæ contemnas:

Bono probari malo, quam multis malis. Pub. Mimus.

Veterum Oratorum quispiam in hac mente, qui

qui omnibus præter vnum Socratem abeuntibus, dicere non desiit, cui Philosophus theatrum fuit, & vnus multorum instar.

Sed doctis placere, hoc opus, hic labor est.

Lucilius dicere solitus, nolle se libros suos legi, neque à doctissimis, neque ab indoctissimis, quod hi nihil intelligerent, aliis ipse non saperet satis.

Cicero quoque Rex fori licet, vnius tamen Varronis iudicia reformidauit.

Horat in arte. Quam rara illa Poesis, *Iudicis exactum quæ non formidat acumen!* Adeo doctis auribus, oculisque placere difficile.

Idem. At indoctis, etiam ipsa Barbaries in honore.

Viden' vt Rustico placeat etiam is pictor, qui vel tantum nôrit *simulare cupressum*; Apelli vix Zensis ipse? Et satis capiat asinarias Midæ aures rustica Panis musica; quæ Phœbum, quæ Orlandos Di Lassus, quæ Philippos de Monte, duo decora Montensium meorum, potius grauiter obsendat?

De moribus etiam nostris; alia Dei, alia Hominũ censurâ.

Hominibus aut placere, aut displicere, admodũ in procliui est, Deo non item.

Places ab habitu, si medius; ab actione, si decora; à sermone, si non ridiculus.

Displices, taciturnior; solitas amantior; quà quà solito, in te aut tuos, seuerior, aut contrà, interdum ex causâ, laxior.

1. Reg. 16. Differentiam Iudiciorum istam facit differens intuendi modus vtrisque.

Quam facit varius intuendi modus.

Homo videt ea quæ parent, frænos tantum & ephippia, vel integra, vel lacera, equum ipsum non item: id est, hominibus pelles ipse tantũ actionum spectabiles, non intestina ipsa, non Sensa, non Adfectus, non Fines, quæ si actor ipsus partim

videt,

videt, partim tamen sciens scire non vult, conniuet, & palpat. Suus scilicet cuique fœtor olet bene.

Leges etiam sæpe actis, non acta legibus, adaptãt, Lesbiæ regulæ studiosi.

Deinde, alios suo quisq; metitur pede: pessimi, de optimis, pessima suspicantur. Vt melancholica, prauique humoris corpora, cibos omnes vertunt in choleram: sic animo corrupti, de cæteris censent, pro statu mentis suæ.

Denique ex comparatione, fit censura plerumque: & qui scelerosissimos planè non æquant, boni censentur.

Itaque sæpè fallacia aliorum de aliis, & nostra de nobis, iudicia, ab his causis.

Hominum *statera dolosa.*

Mendaces filii hominum in stateris. **Prou. 18.**

Deus autem intuetur cor, vnde & iudicat diffe- *Psal.* renter, ac sæpè si acta probat, Sensa tamen ipsa, ad- *1. Reg. 16.* fectus, Modos, Finesque valde improbat. *Non iuxta* *ibid.* *intuitum hominis ego iudico,* ait.

Multa sunt quæ de Iudicio Dei homines ignorãt, *Petr.* *quia fortasse quæ vos laudatis, ille reprehẽdit, & quæ* *Chrysol.* *vos reprehenditis, ille laudabit.* *ser.*

Itaque benè Apostolus: *Mihi pro minimo est, vt à* *1. Cor. 4.* *vobis iudicer, aut ab humano die, sed neq; meipsum iudico qui autem iudicat me, Dominus est.*

Vbi Iudicium triplex insinuari vides.
1. *Externorum,*
2. *Proprium cuiusq; de se,*
3. *Dei,* quod vnum, contemptis prioribus, æstimabat Apostolus.

Dei sanè Censura, Regula, Mensura, Libra, aut Statera, alia à nostrâ Lesbiâ, ac seuerior.

Trutinæ dolosæ abominatio coram Domino, statera autem iusta acceptissima,

Statera iusta, & ephi iustum, & beatus iustus erit *Ezech. 45.* *vobis.*

Clemens Alex. l. 2. Stromatū.

Pythagoræ consilium. *Stateram non transilire.*

Si cuiquam, certè Deo *statera æqua in sacculo.* Iudex ipse mensura est, & numerus omnium, Vitiis, Virtutibusque omnibus idem.

Quicquid egimus, ad libram Dei, ipsa Critolai iustiorem, non ad humanam expendetur.

Leuit. 27.

Tunc *Omnis æstimatio, siclo sanctuarii, ponderabitur.*

Ad lapidem Lydium aurum nostrum: & ad Solē nostræ Aquilæ probabuntur.

Daniel.

Itaque multos feriet vox ista: *Adpensus es in staterâ, & inuentus est minus habens.*

Aurum plerorumque subæratum, adulterinæque aquilæ deprehendentur.

Boetius.

Quàm enim sæpe (etiam hic) *hoc quod tu iustissimum & æquissimū putas, omnia scienti prouidentiæ diuersum videtur!*

D. Greg lib. 29 moral.

Vnde, ante oculos Iudicis, quis placere suspicatur, inde sæpe obruitur!

Prou. 14.

Est, est via quæ videtur homini iusta, & nouissima eius deducunt ad interitum.

Iustitiæ pleræque nostræ, iniustitiæ. meræ apud Deum.

Videre libet? State, & ostendo.

Ecquis Saulis *viam* Regi Amalech victo parcētis, & pinguissima gregum, ad sacrificia & hostibus domitis hostias, & dextræ victricis victimas, adseruantis *iustam* neget? attamen *nouissima eius viæ ad interitum deduxere*: &, quod pietatem diceremus, reprobandi Saulis Seminarium fuit.

Ibid.

Est via, quæ videtur homini iusta, &c.

Quod probatum variè.

2. Reg. 6.

Ecquis Ozam damnet lapsuram e plaustro fœderis arcam fulcientem? religionem, velut efferentis Corpus Domini e templi fubitis flammis, nos homines vocemus potius. At hoc Deo ausa occidendi derepente Sacerdotis.

Est via, quæ videtur homini iusta &c.

Ecquis Zelum Iacobi ac Ioannis improbet, qui à

Luc. 9

Christo

Christo, in ciuitatem Samaritanorum, parandis necessariis venturo mox Domino missi, nec recepti, *quod facies eius esset euntis in Hierusalem dixerũt: Domine Vis dicamus, Vt ignis descendat de cœlo & consumat illos?* At Zelus idem ipse Deo causa illos grauissimè increpandi, ac dicendi: *Nescitis cuius spiritus estis.*

Est via, quæ videtur, &c.

Et Petrus verò ipse quàm multa præclarè, senso hominum; quæ pessimè senso Christi!

Christo Domino apud Discipulos vaticinante, quæ passurus esset Hierosolymis, *Petrus cœpit increpare illum, dicens: Absit à te Domine, non erit tibi hoc* At hoc ipsum, Christo Domino hæc verba extorsit: *Vade post me, Satana, scandalum es mihi, quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea, quæ hominũ.* *Matth 16.*

Est via quæ, &c.

Ecquis improbet, quod idem sibi lauari pedes à Domino noluerit? Reuerentiam Domini nos homines dicamus. At hoc, Christi senso, *non secundum scientiam*, vnde & ait: *Si non lauero te, non habebis partem mecum.* *Ioan 13.*

Est via, quæ videtur, &c.

Ecquis improbet constantiam viri, dicentis: *Etsi omnes scandalizati*, &c. *Etsi oportuerit me simul commori tibi, non te negabo?* At hoc ipsum Christo causa deserendi Petri, vt in fugam, eiurationesque laberetur, vel quod is sui nimius admirator, vel, sine Dei gratiâ nimius adrogator & ignauus cognitor sui. *Marc. 14.*

Est via, quæ videtur homini iusta, &c.

Ecquis improbet eundem, ignaui mancipii Malchi, pro defensando Magistro, percussorem? In summo vitæ discrimine, seruus scilicet Dominum tuebatur. Ad hoc Christo ausa illius durius increpandi.

Prou.14. *Est via, quæ videtur homini iusta. &c.*
Eccles 9. *Nescit homo vtrum amore, an odio dignus sit.*

Et verè, Agathonis Abbatis senso; *Alia Dei, alia hominum iudicia.*

Ad metum modestiam que nos prouocat. Itaque hoc magis Iudicium istud vniuersis formidandum, verendumque non criminibus solum nostris, sed & Virtutibus quoque, ne *vniuersæ Iustitiæ nostræ* tūc *quasi pannus menstruatæ* censeantur.
Isai.64.

Et Autore Christo, *Cum omnia feceritis, dicite, serui inutiles sumus.*

Iob 9. Iobi Regis exemplo: *Etiamsi habuero quidpiam iustum; non respondeo ei, sed vt meum Iudicem deprecabor.*

Valer. l.3. c.2. Et Scæuolæ, qui cum aduersus Britannicos, strenuissimè dimicasset, & tranando rediens, corpore, vulneribus, & clypeo sagittis graui, laudem mereretur; veniam tamen à C. Cæsare petiit, dicens: *Parce Imperator.*

D Bern. l. de interiori domo. c 38. Ne dicam, quod præterea. *Multa peccata tunc proruent ex improuiso, quasi ex insidiis, quæ modo nō vides, & forsitan & plura, & terribiliora his, quæ nunc vides.*

CONCIO VI. *vel in ord.* XXI.

2. Cor. 5. Them.] *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisq; propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum.*

FActâ repetitione, ita propositum.

Propositio.

Dicendum hodiè
1. *Ex quibus scripturæ locis, Iudicis seueritas eluceat;*
2. *Ex quibus Iudicis ipsius operibus.*

AVE.

I. Ex

I.

Ex quibus Scripturæ locis, Iudicis seueritas eluceat.

Seueritatem Iudicis clamãt tria { 1. *Baptistæ testimonium.* 2. *Christi oraculum.* 3. *Censura Patrum.*

* j. *BAPTISTAE testimonium* de Christo imprimis territat

Qui post me venturus est (inquit) *fortior me est, cuius non sum dignus calceamenta portare, ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igni, cuius ventilabrum in manu suã, & permundabit aream suã, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Matth. 3. Seueritatẽ Iudicis clamant tria. 1. Baptistæ testimonium.

Ne erres, de Iudicio illo iste est sermo.

Ventilabrum in manu Christi, *arbitrium iudicat potestatis* autoribus Hilario, Ambrosio, Lyrano, D. Anselmo *significat discretionem vltimi Iudicii.* *Hylar can. 2. in Matt. Ambros in Luc. 3. Lyr. in 3. Matth. D. Ansel in 3. Matth.*

Terrent singula { 1. *Instrumentum* (ventilabrum.) 2. *Agendi cura anxia* (permundabit.) 3 *Pœna ingens* (Comburet igni inextinguibili)

* 1. *INSTRVMENTVM.* Ventilabro enim vtuntur Agricolæ, quum multa diligentia, in area, frumentum ad ventum perpurgant, ne qua palea, aut vicia vitiet in solaria inferendum.

Ventilabri opus est, ab infructuosis fructuosa discernere. *Hilar. ibid.*

Et res scitè discussæ, ventilatæ dicuntur latinioribus.

Ventilaturum igitur ait, id est, examinaturum omnes omnium actiones scrupulosissimè: neque

temerè illatum iri animas, in beata horrea cœlestis Agricolæ. *Non enim intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens, aut mendacium.* (Apoc 11.)

(Amos 9.) Cui Amos ferè consonat, senso ac phrasi; *Ego concutiam in omnibus gentibus domum Israel sicut concutitur in cribro.*

(Psal 74.) Et Rex Psalmista: *Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo* Stato Iudicii tempore, etiam perfectissima retractabo. *Ego rectum iudicabo* vertit D. Hieron. ex Hebræo.

(1 Pet. 4.) *Iustus vix saluabitur.*

* 2. *AGENDI cura anxia.* Huic enim exprimendæ ad iecta, vox (*permundabit*) Certè vim significandi auget particula (*per*) præfixa dictionibus.

* 3. *PAENA ingens. Comburet enim igni inextinguibili* (ait) de quo latius in sequentibus.

(2. Christi oraculum.) * ij CHRISTI *oraculum*, de Ioanne.

(Matth. 11.) *Non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista: Qui autem minor est in regno cælorum, maior est illi.*

Notus nimis omnibus hic Baptista, & si præmodestiâ idem *ignotus sibi*, id est, minime admirator sui.

Ab vtero, imo In vtero, & Propheta & Sanctus.

Ab vtero mox Eremita, *ne leui saltem maculare vitam, famine posset.*

Seuerissimus idem vndequaque, quà
- *1. Vestitu,*
- *2. Cibatu,*
- *3. Potu,*
- *4. Concionibus.*

* 1. *VESTITV.* Illi enim camelus toga & sagum fuit, & Zona Funiculus.

(D. Aug l. 10 conf. Plin. l. 11. c. 29.) * 2. *CIBATV.* Nam melle syluestri, ac locustis, ceu animalibus (vt Augustino placet) quæ Parthis in cibo grata, teste Plinio; ceu (quod reor magis, quoniam plantæ multæ animalium nominibus adpellantur)

lantur)herbis eius nominis, vt rapunculis, corculis germinantium,id est,germinibus, pomis syluestribus victitabat. Nam arbitrari virum tantum, impuro, venenoso, & irato Deo nascente animali, quod etiam hyeme non reperitur, vitam tolerasse, est nefas.

* 3. *POTV, Vinum enim & siceram non bibit,* limpido fonte semper vsus. Luc 1.

Vir tam abstemius, vt Christo sit dictus *non manducans neq; bibens.*

* 4 *CONCIONIBVS,* in quibus Veritati magnis, quam personis studuit.

Homo minime timidius, vt qui nec inter arma Militibus siluit leges Dei.

Nec popularis, qui populos vocarit *genimina viperarum, &c.*

Nec parasitus apud Reges, qui Herodi ausus dicere (in medio foro, ex mente Chrysostomi) *Non licet tibi habere vxorem fratris tui*, de quâ illius libertate, vinculis, ac nece, conciones circiter 25. in Cathedrali Audomatop. olim à nobis declamatas, prælo maturamus. Marc. 6.

Vir vndequaque verè magnus, aut homine superior, aut Angelus in homine, de quo dictum: *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam qui præparabit vitam tuam ante te.* Vir pro Messia facile recipiendus, si Legatos Iudæorum, Sacerdotes & Leuitas audisset.

Attamen quantus quantus fuit, beandis minor fuit. *Qui minor est in regno Cælorum maior est illo.* Quod expositum

Vbi, & qui Ioanne magno maiores. { *In regno cælorũ.* } 1. *In Cælo.* { 1. *Angelorum minimus* varie. Anselmo n. *Dum aliquis in mortali vitâ passibilitati subiacet minor Angelis, qui immortales sunt esse apparet.*

Matth 11. D. Anselmus comment. in 11. Matth.

2. Beatorum

2 *Beatorum quislibet*, quos purgatiores Ioanne Baptistâ agēte in terris, esse omnes oportet.

Hilar. can. 11. in Matt. Ansel. sup.

2. *In Ecclesia.* { 1 *Christus*, Iudæis minoris Ioanne æstimatus (ex mente Hilarii, & Anselmi.)

Beandorum quemq; , sanctitudine Ioannem aut æquare, aut superare conuenit, non vt veste ac victu, cum illo, pari omnes vtantur, sed vt quislibet, tā sui Ordinis, ac legum conditionis suæ sit obseruator, quam ille eorum, quæ Præcursorem, & Baptistam Christi decebant.

Id est: Diues, diuitiis: vxoratus, vxore temperātet vtatur, atque ita de cæteris.

Hinc ergò fas examinis vltimi seueritatē odorari.

Censuræ Patrum. * iiij. *PATRVM CENSVRAE.*

Isidor. Isidori imprimis, cuius sensu; *Ad districti Iudicii examen, nec Iustitia iusti secura est.*

Petr Chrysol serm. Et Petri Chrysologi: *Multa sunt, quæ, de Iudicio Dei, homines ignorant: quia fortasse quæ vos laudatis, ille reprehendit; & quæ vos reprehenditis, ille laudabit.*

D Greg. lib. 24. moral. c. 18. in 33.° Iob. Idem vlt moral. in fine D. Gregorii Magni: *Nec hoc quidem sine aliquo reatu nostro est quod laudabiliter gessimus, si remotâ pietate iudicetur.*

Causam expectas? *Mala nostra, sunt pura mala; sed bona nostra, non sunt pura bona.*

Quod Virtus multa ad sui integritatem requirat. Vitium pauca. Virtutis, Vitiique hoc discrimen, quod illa, vt sit talis, circumstantiis suis vndequaque est coronanda; illud, tale fit, quacunque ex parte.

Vt perfectio rerum tam Naturalium, quam Artificialium multis constat; vnico, imperfectio: ita & sors Moralium, in vtramque partem.

Formo-

Formoſum aliquem vt dicas, quæ non ſpectas? Os,humerosque:Habitumque Coloremque, &c. vt neges,ſatis,quod libet horum deeſſe.

Propugnaculum vt dicas munitum,an non Sitū, Muros, Aggerem, Foſſas, Machinas, Pulueres,Globos Militem aut Ciuem, & id genus infinita adſpectas?vt immunitum ſatis aliquo horum carere.

Monetā vt probes requiris
- 1 *Materiam propriam*; aurum argentumue,&c.
- 2.*Formam*, ſeu ſigillum legitimum.
- 3 *Pondus iuſtum*.

Eadem,ſeu Materia tantum peccet (j. ſi aurum ſubæratum Lydius lapis renunciet:) ſeu Forma tantum(id eſt ſi percuſſa ac ſignata à latrunculo,aut etiam Principe peregrino:) ſeu Pondere (ſit ex auro primo licet)reiectabis.

Moralium perfectio imperfectioque,iiſdem momentis cenſetur,

Itaque Operib. meritoriis etiam trifaria bonitas neceſſaria. *Vide Scotū 18.q.qu. dlibetorum D.Aug.l.13. confeſſ.*
- 1.*Gratia*,quaſi ponderis iuſti in monetâ;
- 2.*Circunſtantia*,quaſi formæ;
- 3 *Generis*,quaſi materiæ.

* 1. GRATIAE. *Pondus enim meum*, vel operis mei,*amor meus*,aiebat Auguſtinus, *illo feror, quocunq; feror.* Actiones meritoriæ ſaltem tria exigunt.

Radix boni operis Gratia.

Audi decernentem Gregorium: *Non habet aliquid Viriditatis ramus boni operis, ſi non manet in radice charitatis.* 1 *Gratiam. D.Greg. hom 27.*

Imò & Ter maximum illum Paulum. *Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero,nihil mihi prodeſt.* *1.Cor.13.*

Senſo Iuriſperitorum, *Acceſſorium naturam ſequi congruit principalis.* *Extra de reg.iuris l.6.*

Sed actionum humanarum baſis Conſcientia,illę acceſſoriæ:Ergo gratæ illæ aut male gratæ Deo,pro Conſcientiæ modo.

Orâris,

Gen 4. Orâris, ieiunâris, nudum vestieris, pro habitu vixeris, &c. placuisti Deo his intentus, si hæc ex bono purgatoque Conscientiæ fonte, non placuisti si ex turbulento. Exempla vtriusque tibi, ex Abelis Cainique sacrificio.

Psal. 4. *Sacrificate sacrificium iustitiæ, & sperate in Domino.*

Prou. 15. *Victimæ Impiorum abominabiles Domino.*

Psal. *Non est speciosa laus in ore peccatoris.*

Oratio eius fiat in peccatum.

2 Circumstantiam. Terent in And. * 2. *CIRCVMSTANTIAE*, vt *ne quid nimis*, minusue; vt in tempore; vt hæc agens, illa non omittas, &c.

D. Bern ep. ad fratres de monte Dei. Audi peritum horum Bernardum: *Illa corporum exercitia, si, ex indiscretionis vitio, sic agantur, vt, vel deficiente spiritu, vel languente corpore, spiritualia impediant qui sic est, corpori suo abstulit boni operis effectum, spiritui affectum, proximo exemplum, & honorem Deo, sacrilegus est, & horum omnium reus.*

Carnem, non vitia, occidere; hoc est ciuem, non hostem trucidare.

Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, nō eneco, ait Paulus.

Deinde: ne spe aut lucri, aut laudis, ne amore sui magis quam Dei.

De Pharisæis, qui in his morbis, dictum: *Amen dico vobis receperunt mercedem suam*, gloriam, quā vnicam, aut præcipuam aucupabantur, animalia gloriæ.

3. Genus. * 3 *GENERIS*, vt materialiter bonum sit, quod agimus, seu (vt loquuntur) de genere bonorū, & virtutum classe.

Deus bone! Quam sæpè censemus bonum malū! magnum, exile! meritorium gradu summo, quod nec quidem leuiter tale, quacunque ex causa; imò aduersum sæpe, ac noxium!

Quod

Quod altum est apud homines, abominatio est apud Deum. D.Bonau.in Vitâ eius c.6.

Seraphicum, quod Seraphicus Franciscus Idiota doctissimus dicere solebat: *Quantum homo est in oculis Dei, tantum est, & non plus.* Luc.16.

Nemo scit an odio, an amore dignus sit: sed omnia in futurum seruantur incerta.

Virtus est simplex, omnigenum vitium; rectè agi vno modo, multis male. Arist. l.1. magn moral.c.24.

Rectà scopus adtingitur; multifariè, infrà, suprà, extrà læuaque deflectendo, aberratur.

A medio vitiorum, ad alterutrum nimium recici, perfacile est.

II.

Ex quibus Iudicis ipsius operibus seueritas eiusdem manifesta.

D Greg hō. 36.in Euag.

Sicut probatio dilectionis, exhibitio est operis: ita seueritatis, ipsæ vltiones. Sed & vltiones, seueritatis Christi testes.

Vlciscitur autem Deus peccata,
- *1. Minima, vt magna;*
- *2. Alienæ actionis, vt nostræ;*
- *3. Adolescentiæ, vt maturæ ætatis;*
- *4. Posthuma, vt in vitâ perpetrata.*

* 1. *MINIMA, vt magna.* de quibus etsi antè dictum, iuuat tamen sequentia, seu laciuias decoras, adsuere. 1. Vlciscitur enim minima vti magna.

D. Hieronymi nocturna illa vapulatio, quam vi- bicosa, quamque à paruâ causâ, sensu nostro! Angel Polit l.miscel. c.1.

Politianus somnium id quidem putat, ex ipso D. Hieronymo id colligens; sed alius bonæ etiam notæ scriptor, probatus Lipsio meo, rem gestam censet. Autor Policrat l 2. c.17.

Vibices verò etiam in D. Hieronymi corpore inuentæ, fidem fecêre, non soporis aut somnii rem fuisse, sed punitionis. Quod probatum vapulatione Hieronymi.

Quæ causa, quæ pœna ea tandem fuerit, rogas? Ille ad

D. Hier. ep. ad Eustochium.

Ille ad tribunal Christi in somnis tractus, rogatusque quis esset; cum *Christianum se esse respondisset, audiit; Mentiris, sed Ciceronianus*; (quod scilicet homo benè dicendi, scribendique, cupidissimus, Ciceronem auidissime lectitaret) *tandemq; post inficias nullas, largiter vapulauit, neque ante est dimissus, quam iuratus spopondisset, nihil se deinceps, præter sacra volumina, lecturum.*

Virg. 1. Aeneid.

— tantæne animis cœlestibus iræ?

Terent.

Paululum supplicii, pro magno peccato, satis est patri.

Quantula enim ea causa? Nam Cicero inoffenso decurritur pede; castus, pius, ac ferè sine Christo Christianus, &, ad Christiana eloquenter dicenda, autor idoneus!

Quid si Catullos molles, aut Amadisios Gallicos, aut si qui impuriores, lectitasset?

Prætextata verò mulier nobilis, quam leui etiam delicto grauiter castigata!

D Hiero. ep. 7. ad Lætā uxorem Toxotii fratris Eustochii.

Et prætextata supplicio.

Audi Hieronymum: *Prætextata* (inquit) *nobilissima quondā fœmina iubente viro Hymettio, qui patruus Eustochii virginis fuit, habitum eius, cultumq; mutauit, & neglectum crinem mūdano more texuit sibi vincere cupiēs & virginis propositum, & matris desiderium. Et ecce tibi, eadē nocte, cernit, in somnis venisse ad se Angelū, terribili voce minitatē pœnas, & hæc verba frangentem: Tune ausa es viri imperiū præferre Christo? Tu caput virginis Dei tuis sacrilegis adtrectare manibus? quæ iam nunc arescent, vt sentias excruciata, quid feceris; & finito mense quinto, ad Inferna duceris, sin aūt perseueraueris in scelere; & marito simul orbaberis, & filiis Omnia p ordinē expleta sunt, & seram miseræ pœnitentiam velox, signauit interitus. Sic vlciscitur Christus violatores templi sui, sic gemmas, & pretiosissima ornamenta, defendit.*

Et tu parum seuerum fore Iudicem istum putes?

*2. ALIENAE actionis, vt nostræ { 1. Patrum, 2. Filiorum, 3. Subditorum. — 2. Aliena, vti nostra.

*j. PATRVM, Adami & Euæ, quorum *iniquitatem vindicat in filios.* — *Exod. 10.* Parentum.

Quid enim fecimus nos, vt etiam cum illis moriamur? Illic neque nos visi, neque auditi. Nam non ex traduce anima: neq; ante creatur, quam infunditur. In lumbis Adami, si latebamus, certè corpore solo, quod per se peccati incapax.

Non nos momordimus pomum illud (vt ita dicam) didascalicum, ac sciendi (vt serpens iactabat) autorem,

Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt. — *Hier. 31.*

Quæ non rapuimus, exoluimus, iustè quidem, sed tamen seuere, quis neget? — *Psalm.*

*ij. *FILIORVM:* cuiusmodi in Heli sacerdote paradigma, quem Deus, de non correptis seuerius filiis insolentioribus, durè ipse corripuit, Sacerdotio exautorans; Liberis in bello cæsis orbans, & toto capite ipsum in terram è sella lapsum, conquassans. — *1 Reg 3.* Filiorum.

De quo Ethicus Antistes: *Qui iniquè agentes filios non corripuit, iniquitatem fecisse reprehenditur, quæ in æternum victimis, & muneribus nequaquam expietur.* — *D. Greg l. 2. in 1. Reg c. 3*

Mirè Ephorismus Deo placet. Ephori enim, Lacedæmoniorum Magistratus, Patrem multarunt, quod duos filios passus esset litigare. — *Plutar to 2 moral. in apopht. Laced.*

Et Lex Falcidia Romanorum, qua primo quidem mouebatur filius errans. Secundo corripiebatur: Tertiò agebatur in Crucem: Pater vero tandem proscribebatur. — *Lauræus in Theatro.*

*iij. *SVBDITORVM.* Iudicium enim à domo Domini. — Subditorũ.

Heb. 13. Audin' Paulum? *Præpositi vestri peruigilant rationem pro animabus vestris reddituri.*

Ezec. 34. Imo & iudicem ipsum? *Ecce ego* (ait) *super pastores, & requiram gregem meum, de manu eorum.*

Hiere. 13. *Vbi est grex, qui datus est tibi, pecus inclytum tuum?*

Ezec. 33. *Si speculator viderit gladium venientem, & non insonuerit buccina, & populus se non custodierit, veneritq; gladius, & tulerit de eis animam: ille quidem in iniquitate sua captus est, sanguinē autem eius de manu speculatoris requiram.* Quæ est hæc parabola? nisi *si* (tu Pastor, Rectorue) *non fueris locutus, vt se custodiat impius via sua,* (i. nisi tota libertate vitiis obstiteris) *ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram,* id est, vt proprio crimine non pereas, peribis alieno?

Dubio procul, vt animas gregis sui Pastoribus dedit Deus numeratò: ita numerato illas est exacturus. Si qua perierit, *erit anima* pastoris *pro anima illius.*

D. Chrysto. 8. in 1 Thess. c. 5. Chrysostomus fatetur ingenue: *Vnusquisq; vestrum* (inquit) *pro sua quidem anima metuit: ego vero, & de ista præsidentia rationem reddam. Itaque omnium maxime impossibile est, vt ego effugiam.*

Sap. 5. *Durissimum iudicium fiet his qui præsunt.*

Quorum causa Principes acti in cruces. Exemplum quam illustre tibi in Numeris, vbi ob fornicationem populi Principes in cruces acti

Num. 30. Dei iusso. *Tolle* (inquit Deus ad Moysen) *cunctos*

D. Aug. ep. 293. ad Maximinum Episcop. *Principes populi & suspende eos contra Solem in patibulis.*

Adeo periculosa res Præsidentia; adeo *quæ hic honorant, ibi onerant, quæ hic releuant, ibi grauant,* aiebat Augustinus.

Cuius rei æquitas probata. Apud Deum *non solum qui faciunt sed etiam qui consentiunt facientibus* (vel solum conniuendo) *digni sunt morte.* Quid-

Quidni enim vero?

Domini scilicet, lagunculæ aut perditæ, aut fractæ, iacturam à seruis reposcent: non animarum à pastoribus Deus?

Nobiliorum rerum vt cura maior, ita iactura vrentior.

Sed anima quid nobilius, diuinæ naturæ consorte, cuique seruandæ mortuus est Deus? D.Bern. l. Medit.

D.Bernardi sensu, *Totus iste Mundus, ad vnius animæ pretium æstimari non potest.*

Ergò, vt Pastorum nemo vel ouiculam inultus amittat: ita nec impunè pastores animam vllam.

Sed neque Pædagogorum quisquam, regias filias prostitui (etsi ipsus nō prostituat) permiserit impunè, quibus instituendis Eunuchus ipse, ac custos sit datus. Senec. in Throade.

Nam *Qui non vetat peccare, cum possit, iubet.*

Concludo: *Quæ ergo erit districtio iniquitatis propriæ si irremediabilis culpa est, negligentia curæ alienæ.* D.Greg. l.2. in 1 reg c.5. D.Ambr. in Luc. 15.

* 3. *ADOLESCENTIAE. Si nulla Dei regno infirma est ætas,* etiam flagello nulla. 3. Adolescētiæ, vti ætatis maturæ.

Disce ex Iobo: *Scribis contra me amaritudines, & consumere me vis, peccatis adolescentiæ meæ.* Iob 14.

Credidit, qui timens dixit. *Delicta iuuentutis, & ignorantias meas, ne memineris Domine.* Psalm. 18.

Timuit magnus Augustinus, tam anxiè etiam scripto confessus, quæ puer, & lactens commisisset. D Aug. libris Confess.

Exemplis constat. *Cum ascenderet Elisæus per viam, pueri parui egressi sunt de ciuitate, & illudebant ei, dicentes: Ascende calue. Qui cum respexisset, vidit eos, & maledixit eis, in nomine Domini: egressique sunt duo vrsi de saltu, & lacerauerūt ex eis quadraginta duos pueros.* 4. Reg. 2.

Gregorio teste, Puer quinquennis, è sinu Patris, blasphemans, à dæmone auulsus est. D.Greg. l. 4 dial c. 8.

Sophronio autore, Pueruli Pastores per ludum missam facientes, cœlitus igne consumti.

Non ergo seuerus is iudex, qui puerilia puerorum non sane pueriliter castigat.

4. Posthuma, vti in vita perpetrata.

*4. *POSTHVMA* vt, in vita perpetrata; si his causam aliquam dedimus, vel inuento nouo (vt fit) vel Exemplo.

Exod. 20. Hinc Deus ipse de se; *Ego Deus Zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me.*

1. Tim. 5. Et Gentium Doctor: *Quorundam hominũ peccata manifesta sunt præcedentia ad iudicium quosdam vero subsequuntur.*

Plerique enim certè *in adinuentionibus suis Deum ad iracundiam prouocauerunt*, etiam post mortem: quales, ingeniosi vestium lasciuarum, & peccatorum merè nouorum, aut nouè mixtorum inuẽtores, quorum inuentis aut statur, aut adiicitur, detrahitur nunquam.

Concludo igitur cum oculato teste, & monacho qui quondam, post vitam insolentius actam, æger, & ante Christi tribunal raptatus, inde reuersus, ergastulo deinceps libens se angustissimo, tenuique rima lucem admittente, inclusit, fleuit semper, oculosq; solo defixit, rogatusque, ecquo id tandem? respondit: *Nemo credit; Nemo credit; Nemo credit*; & se interpretans, adiecit; *nemo credit, Iudicij futuri quantus sit rigor*. Reuera enim. *Nemo credit*.

Tu tamen ex his tot tantisque disce oportunè credere, vtiliterque trepidare, ne trepides aliquando importunè, ac frustra. Time, vt non timeas,

CON-

CONCIO VII. *vel in ord.* XXII.

Them. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prou[illegible] est[illegible] e bonum, siue malum.* 2.Cor.5.

FActa repetitione, ita propositum.

Dicendum hodie mihi rursus
1. *Iudicem nostrum esse à Prudentia, Scientiaque singulari formidabilem.*
2. *Eundem (vt sit ignarus) mutarum creaturarum accusatione omnia resciturum.*

AVE.

I.

Iudicem nostrum esse à Scientia Prudentiaq. singulari formidabilem.

Vt ægris, in medici iunioris manus incidere; cōtra, Duces senes impugnare, horrendum: ita veterano canoque iudici sisti, Improbis formidolosum. * *MEDICVS* enim adolescens (cui artis præceptorumque multum, experientiæ parum) secat non ra- Senes Duro temerè, atque vrit; sæpè gibbosa efficit sepulcre- ces Iudicesta, occidioque multorum, vix tandem paucorum que metusaluti prouidere discit. Non docendo, sed nocendo endos. discit.

 * DVX

* *DVX* senex (quem prudentia, & strategematum seu vtendorum, seu commodè auertendorum cognitio, ætate collecta implet: audacia verò deserit, multas res expertum, & fractarum virium conscium) vincitur ægrè, vincit facillimè, & vel, instar Fabii, *cunctando restituit rem.*

Ennius.

Iulius Frōt. li. Stratag.

Frontino itaque huiusmodi Duces placent,

Et Pompeio, cuius vox ad milites hæc fuit: *Nec vos mea terreat ætas.*

Lucan. l. 2.

Ouid. li. 6. Fast.

Dux sit in his castris senior: dum miles in illis.

Quasi dixisset: *Hæc, dare consilium, pugnare, paratior illa;*

Hæc ætas bellum suadet, at illa gerit.

Prouerbiis etiam probantur. *Iuuenum lanceæ: Senum consilia: Capita Senectutis: Brachia Adolescentiæ.*

* *IVDEX* verò senex maximè Improbis metuendus, vt qui vsu multa didicerit, ac facillimè dolos nequitiasque odoretur, ægrè circumueniatur, *cuique verba dare difficile sit.*

Terent in Andria.

Itaque iudices senes esse vult, vel ipsum Senatus nomen, à Senibus (è quibus olim Solis Senatores Iudicesq; creabantur) deductum: & ipsum Patrum Conscriptorum vocabulum, tam ætatis, quam beneuoli adfectus nota.

Hinc Senior sæpè Hebræis pro Senatore, vt hic: *Mittent Seniores ciuitatis illius.*

Deut. 19.

Senes olim Senatores omnes.

Presbyteri etiam dicti, Christiani Sacerdotes, id est, Seniores, Conscientiarum, rerumque sanè maximarum Iudices decreti. Quare ætate, vel sensu saltem Senes erunt. Senatores huiusmodi ac Iudices inaugurandi.

Eccli. 12.

Isai.

Væ terræ, Conscientiæque, *cuius Rex puer est.*

Dabo pueros principes eorum, vt ingentis malis sunt minæ.

Iethro certè Moysen generum hortatur, Iudi-

cii collegas conscribendos Senes deligere.

Solon Atheniensis lege sanxit, *ne quis admodum iuuenis ad Magistratum, aut consultationes admitteretur, quamuis prudentissimus esset visus.* Stob. ser. 118 Quorum decreto maximè.

Venetorum ritu nemo ante canos Iudex: deplorandum vero, si (vt quidam ferunt) canitium arte inducunt:

Platonis sensu, *Non iuuenem, sed senem esse, bonum oportet Iudicem qui sero, quale quid iniustitia sit, didicerit, tanquam qui non propriam in animo suo eam senserit, sed alienam, in alienis animis, longo tempore nouerit, atque idcirco cuiusmodi sit malum discernit, scientia potius quam propria experientia iudicans. Generosissimus certè iudex huiusmodi esse videtur.* Et cur. *Plato l. de Repub.*

Cui eidem placet, *Quæsitorem tribus his ornatū esse, Scientia, Opinione, Parrhisiâ, seu loquendi liberrate*; id est (vt ego interpretor) animum habere omnia suspicantem, facile ex nutu, aut signo leuiculo, odorantem; & canis instar, odoratu vestigii, scelerosi, quasi leporis, latebras detegentem.

Quæ omnia Senum maximè propria, quibus ab Experientia, Scientia inest: & Suscipio, ac metus fraudis, à senili imbellia; multus; & ab multa ætate, Libertas.

Hinc vulgatissimum illud: *Seni verba dare, difficile est.* *Terent. in Andria.*

Caligantibus Iacob decrepiti oculis, cæterisque corporis sensibus retusis, internus ille mentis oculus, Intellectus acuebatur. *Genes.*

Dauid Senex frigidior; ab adolescentula formosissima. j. (interprete Hieronymo) à Sapientia fouebatur, quæ maior Senibus; in adolescentib. *quasi ignis in lignis viridibus suffocatur.* *D. Hier. ad Nepot. p. 3. ep. 5.*

Senumque canumque vis pariter odora: eminus enim vtrique, illi malum, fraudemque: isti lepores odorantur.

Prudentia vnde. Sed hæc iudici nostro maxime insunt, imprimis Prudentia nullis dolis circumuenienda.

A Natura. Prudentia inest alicui, vel
- 1. *Natura,*
- 2. *Aetate longa,*
- 3. *Peregrinatione varia.*

* 1. *NATVRA,* vt formicis, apibus, Angelis: multò verò magis Filio Dei Christo.

Ætate. * 2. *AETATE LONGA,* vt Senibus. Quam senex Christus, cuius principia temporaria nesciuntur?

Dan. 7. *Antiquus dierum sedit.* cui etiam Assessores Seniores.

Apoc. Igitur si adeò senex, & consequenter rerũ omnium callentissimus.

Vt enim detur in Deo Nescientia quædam naturâ, aut Imprudentia: longæuitas tamen tanta, perdocuerit illum vniuersa.

Dæmones scilicet ipsos (natura alioqui scientissimos) tot, ab initio mundi, experimentis, seipsis fieri sapientiores, astutioresque æstimabis: Deum autem à diebus æternitatis regnantem, valde sapere inficiabere, vt Natura rudem fingas?

Peregrinationibus. * 3. *PEREGRINATIONE varia,* quæ, instar ætatis longæ, adducit experientiam.

Homer. Vers. 2. Odyss. Horat. in arte. Homeri censura, Vlysses ille inde fallacissimus, prudentissimusque, *Quod mores hominum multorum vidit, & vrbes,* erro 20. annorum scilicet.

Iudex verò noster (vt ita dicam) pollotropos.

Quæ Christo frequẽtatę. Christus Regnorum omnium incola,
- 1. *Cœlorum,*
- 2. *Terræ,*
- 3. *Maris,*
- 4. *Inferni.*

In Cœlis. * 1. *COELORVM,* vbi Angelorum velut Aulicorum

rum suorum stantium, cadentiumq;, ab primo iam ortu, mores vidit, quos præsciebat scientia, quam visionis Theologi Scholæ nostræ appellant.

* 2. TERRAE. *In terris enim visus est, & cum hominibus conuersatus est*, vbi (etsi *nosset* iam optimè *figmentum nostrum*, opus suum) tamen *ex his, quæ passus est didicit* multa valde, scientiâ quam Experientiæ vocant. Baruc. 3. Psalm. Heb. 5.

Illic cum dæmonibus ipsis, passim ac sæpè luctatus, in Deserto, in Vrbe, & Orbe propè toto, quid non expertus est? Matt. 4.

* 3. MARIS, quod sæpè cum Apostolis oberrauit.

* 4. INFERNI. *Descendit in Inferiores partes terræ.* Ephes. 4.

----Multum ille & terris iactatus, & alto. Virg. 1. Aeneid.

Igitur prudentissimus iudex iste, tot Regnorum morumque inspector, effectus, vt talis Natura non esset.

------Non facile est tibi.

Decipere Vlyssem istum, aut cauillos, palpumue obtrudere iudici isti tam seni, totque res experto. Vnde & is iudex formidabilior.

Ergo etiam, à Prudentia tanta, is formidabilior.

* *SCIENTIA* verò illius quanta! oculi eius quam acuti, ac perspicaces! Sed & sciẽtia quæ in iudice nostro est summa, terret.

Quàm fallitur, quisquis ait; *Dereliquit Dominus terram, & Dominus nos non videt!* Ezech 9.

Tenebræ circundant me, & parietes cooperiunt me Eccli. 23.

Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob. Psal.

Ostia pomarij clausa sunt, & nemo nos videt. Dan. 13.

Si homines lates, pates Deo.

Psal. *Qui plantauit aurem, non audiet? Qui finxit oculum non considerat.*

Scit enim facta atque infecta. Dederit alteri quod ipsus non habet?

Videt, videt, adspectatque omnia, Sol iste magnus; imò *videt hic Deus omnia primus*, etiam infecta.

Ouid. l. 4. Metam.

Ille ex Argonautis Lynceus scilicet tam acuti sit visus, vt remotissimas naues, è specula dinumeret, transque parietem perspiciat.

Lyncum oculi septemplices prope muros penetrent.

Aquilæ ex alto, in alto mari, prædam cernunt.

Et negetur Deo, publicas, occultasque hominis actiones inspectare, aut scire? Scilicet.

Cant. 1. Cauesis: *Similis est dilectus meus capreæ hinnuloq; ceruorum* (inquit sponsa) Eminet autem caprea visus acumine, imò & aliis visum præbet. Autoribus enim medicis, inest animali huic intra viscera humor quidam depulsor caliginis oculorū, & obtusiores quoque visus exacuens: ideoque Græcis δορκὰς ἀπὸ τῦ δέρκειν j. à vidēdo dicitur.

Sed & luporum ceruorū illud genus, quod Lyncem vocamus, est perspicax valde.

Hinc attico melle dulcior Bernardus mens: *Time oculos capreæ, time illum qui per Prophetam dicit: Et erit in die illa, & ego scrutabor Hierusalem in lucernis. Acuto visu est, nihil inscrutatum relinquet oculus eius.*

Heb. 4. *Omnia nuda & aperta sunt oculis eius.*

Psal. In tenebris etiam Cymmeriis videt. *Tenebræ nō obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur; sicut tenebræ eius, ita & lumen eius.*

Iob. 13. Iob scitè expressit. *Posuisti in neruo pedem meum, & obseruasti omnes semitas meas.*

Vt enim qui canem, laqueo, è collo aut pede, adligato, deducit, videt, rectene an obliquè incedat: ita

Deus, *in quo viuimus, mouemur & sumus*, quidquid intus forisue moliris, peruidet, imo & præuidet vniuersa. *Act. 17.*

Inscio Deo, ne latum quidem moues pedem, aut vnguem. Samaritanus tuus ac custos, Argus est (o Io.) cẽtoculus est, *animal plenum oculis ante & retro*: imo non tam is oculatus, quam oculus totus. Atque in oculis suis nos gerit,

Vti *Consisterat quocumq; loco, spectabat ad Io; Ante oculos Io, quamuis auersus, habebat*, Argus ille fabulosus pellicis custos: ita te tuus (quamlibet Cœlo se celet) totum in oculis habet, tuque oculos illius totus inhabitas.

Deus non longe est ab vnoquoque nostrum. In ipso n. viuimus, mouemur, & sumus. *Act 17.*

Prope est à te Deus. tecum est, intus est. Ita dico (Luculi) sacer intra nos Spiritus sedet, malorum, bonorumque nostrorum obseruator & custos. *Senec. l. 5. ep. 41. ad Lucil. Persius sat. 1.*

Ille Dracone illo insopito horti Hesperidum custode vigilantior.

Ille Ianus bifrons, *à tergo quem nulla ciconia pinsit*, id est prudentiæ, ac sagacitatis magnæ.

Macrobio enim autore, *Ille creditur geminam faciem prætulisse, vt quæ ante, quæq; post tergum essent, intueretur. Quod proculdubio, ad prudentiam Regis, solertiamq; referendum est, qui & præterita nosset, & futura prospiceret.* *Macrob. Saturnal. l. 1. c. 7.*

Noster ille Molimina, voluntates, finesque tuos plenius nouit Spectator, quam tu actor. *D. Amb. in psal. 118.*

Demẽs! *Putas, quod in lupanari te Christus nõ videat, quẽ videt lupanar ingredientẽ? putas, quod in adulterio te non deprehendat, quem videt adulterium cogitantem.* *Lactant l. 6 de vero cultu c. 24.* *1 Reg. 16.* *Iob 38.*

Nihil prodest inclusam esse conscientiam; patemus Deo. In oculis oculos ille nostros, imo nos totos gerit. *Greg. li. 29 moral. c. 7. in illud: Nunquid,*

Homo videt ea quæ patent: Deus autem intuetur cor. Ingreditur profundum maris (id est Gregorio men-

mentem humanam) *& in nouissimis abyssi deambulant.*

Corda denique penitius inspectat. Nam id hominibus nonnullis datũ.

Quis dubitet, quæ homini insunt bona, illa Deo affatim inesse, confiteri? Sed ex hominib. ipsis, quibusdam cordium arcana patuere.

4. Reg. 5. Elisæo absenti, Giezi auarus animus, dona de manu Naaman furtim recipientis, nullo delatore, cognitus fuit.

3. Reg. 14. Ahias in Silo Propheta (quamlibet illi à senio oculi caligarent) vxorem Hieroboami, habitu dissimulato accedentem, vt, de morbo Abiæ filii Regis Hieroboam, quæreret, facile agnouit.

Daniel. Daniel somnii peritior ipso Rege somniatore.

Act. 5. Petrus Ananiæ ac Sapphiræ, in tradẽdo agri pretio, fraudem absens intellexit.

D. Franciscus sæpe sociorum tacitas cogitationes, responso opportuno, pupugit.

Ergo, iudicem Deum obcultissima quæque scire etiam fatendum.

Et ipsi nõdum immortali.

Quid? mortalis ille adhuc, Samaritanæ inconfessæ dixerit: *Quinque viros habuisti, & nunc quem habes, non est tuus vir*: quapropter eadem sic, de illo, ipsa ad ciues suos: *Venite, & videte hominem, qui dicit mihi omnia quæcunque feci:* Immortalis vero hoc ipse ipsum non possit?

Virg. 8. Aeneid. Ne erra; Cacum geras licet, imaque spelunca delitescas, auersosq; cauda, Herculis boues in antrum agas, *Solis inaccessum radiis*; Herculem tamen istum. i. virtutem Dei omnia videntem, nunquam latebis.

Fulgent. l. 2 Mythol. Neque Cacus neque Κακὸν neque Malus, neque Malum sat abditas vsquam latebras habent.

Ouid 4. Metam. *Videt hic Deus omnia primus*, etiam Martem cum Venere, vel in fornice adulterantem.

Oculi

Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super Solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes. *Eccli. 23.*

Non est occultatum os meum (vel, vt quidam legunt, cor meum) *a te, quod fecisti in occulto.* *Psal.*

Non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius, *Heb. 4.* vt, vt annulum magicum Gyges conuertat. *Cic. 3. off. de Gygis annulo ex Platone.*

Atat! Quid dico, videre illum, aut scire, quæ actitas? Præuidit imò, præsciuitque, ac quasi in tabula, ab æterno, legit futurum omne, non tamen magis fato adfigens te, aut cogens, quam ego adesse cogo quos nunc præsentes video vniuersos. Sed & præscit vniuersa.

Ita Dauid: *Intellexisti cogitationes meas de longe.*

Et omnes vias meas præuidisti.

Ecce, Domine, tu cognouisti omnia nouissima, & antiqua.

Neque Dei cognitio ab Opinione, quæ dubia est & labans; aut à fide, quæ Ænigmatica: sed à scientia (vt isti loquuntur) intuitiua.

Ista est iudicis summi scientia, iste tremendus adspectus ipsius, cui peruium est omne solidum, & apertum est secretum, cui obscura clarent, muta respondent, silentium confitetur, &, sine voce, mens loquitur. *D. Leo.*

Adeo *mugilum naturam* ridiculam imitatur *in metu, capite abscondito, totos se occultari credentium*, quisquis hominibus inuisibilis, inuisibilem se etiam putat Deo. *Plinius l. 9. c. 17.*

Calcar id magnum, ad { *1. Timorem,* / *2. Spem.* } Quæ res parens Timoris.

* 1. *AD TIMOREM* Nemo enim frontosus adeo, ausit vt leges lædere, quarum Legislatorem cogitat adspectantem.

Magna

Boetius. *Magna nobis indicta bene viuendi necessitas, qui agimus ante oculos cuncta cernentis Dei.*

Psalm. 118. Dauid hinc melior: *Seruaui* (ait) *mandata tua, & testimonia tua: quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.*

Psalm. 15. *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commouear.*

In vitis PP. Marul. l. 3. exempl. c. 2. Thais olim Meretrix perditissima, cum à Panusio Abbate (qui suos illi amplexus, pio astu, promiserat, si nemine vidente posset) omnia in conspectu Dei cuncta cernentis agi seriò didicisset: vitam ocissimè emendauit.

D. Bern. ser. 12. in Qui habitat. Quidni? Nam; si *non audes Angelo præsente quod me præsente non auderes:* tu audeas adstante Numine?

Senec. l. 3. epist. 6. Si prodest *viuere tanquam sub alicuius boni viri, ac semper præsentis oculis* (quod facere præcepit Epicurus) non prosit viuere sub oculis Dei?

Si *Magna pars peccatorũ tollitur si peccaturis testis adsistat,*

Idẽ l. 1. ep. 11 Iuuẽ. sat. 14. *Si peccaturo obsistat tibi filius infans:* An non magis, qui omnia intuetur Deus, acer etiam vltor futurus?

3. Reg. 3. Popelli certè *Timuerunt Regem Salomonem, videntes sapientiam Dei esse in eo, ad faciendum iudicium,*

Iob. Sed si *plusquam Salomon hic* in cuius conspectu stamus, viuimus; timendus is planè Adulteris illis, *quorum oculi obseruant caliginem*; Furibus, Vsurariis, itemque foris Catonibus, intus meris Neronibus, id est hypocritis, & in obculto bonis, at in sinu, pessimis.

Ac spei. * 2. *AD SPEM etiam*, Eleemosynariis illis sc. qui DD. Nicolaos imitati, clam marsupia auro plena; dotundis virginibus, in pauperum domos, iniiciũt, nocte carceratos recreant, in abscondito orant, &

quo-

quorum *sinistra nescit quid faciat dextera*: Item iniquè damnatis. *Matt.6.*

Pater enim, qui videt in abscondito, reddet, ac prodet vniuersa, idem testis, & Iudex. *Ibidem.* *Virg.6. Aeneid.*

* *MEMOREM* quoque illum *fandi atque nefandi* cogitandum, & scribere illum singula, in rationum libris duplicibus Vitæ Mortisque. Neque operis cuiusquam obliuiscitur..

Audin' Hieremiam? *Peccatum Iuda scriptum est stylo ferreo.* *Hier.16.*

Et Dauidem? *Imperfectum meum viderunt oculi tui. & in libro tuo omnes scribentur.* *Psalm. 138.*

Deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur. *Psalm 68.*

Moysen? *Dele me de libro, quem scripsisti.* *Exod.32.*

Danielem: *Iudicium sedit, & libri aperti sunt.* *Daniel.*

Paulus aliquorum meminit, *quorum nomina scripta sunt in libro vitæ.* *Philip 6.*

Christus ipse ita ad suos: *Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in Cœlis,* ad memoriam actionū humanarum sempiternam.

* *LIBERTAS* vero in dicunda sententia, admirabilis ab innocentiæ fiducia? Neque timidè censet.

Carere enim debet omni vitiò, qui in alterum paratus eas dicere. *Cic.in Salust.*

Sic agitur Censura. *Ouid 6. Fastor.*

Cum Iudex, alios quod monet, ipse facit.

Ecquis vestrum arguet illum de peccato? *Ioan.8.*

II.

Vt sit ignarus ipsum tamen mutarū creaturarum accusatione; omnia resciturum.

Sed esto, facinora tua iudex nesciat; Inanimes tamen de te creaturæ quærentur, & prodent. Creaturis inanimis suæ aures & linguæ.

Vt enim ille (etiam maria quamlibet turbata) aures habent suas, quibus audiant. Imperantē Deum:

Nam

Deut.31. Deut.32. Luc. 8.

Nam si nullæ Cœlo, ac Terræ aures, cur hæ minæ à viro tam sapiente; *Inuocabo contra eos Cælum & Terram?* Et cur minis hoc maius? *Audite Celi, quæ loquor: audiat Terra verba oris mei?* Cur mari, ventisque Christus imperitauit? Aut quomodo *incuruati sunt colles mundi, ab itineribus æternitatis eius?* Quo modo *A facie Domini mota est terra? Montes exultastis sicut arietes, & colles sicut agni ouium?*) ita habent & linguas suas, quibus hominem disertè adcusent.

Abac.3. Psal.

Quib. reos adcusabūt.

Iob.20.

Iob testis. *Reuelabunt Cœli* (j. cœlum aereum) *iniquitatem eius, & Terra consurget aduersus eum.*

D.Chrys. in Matth.

Aurei oris Antistes in hac mente: *In illo die nihil est quod respondeamus, vbi Cælum, & Terra, Sol & Luna: Dies & Noctes, & totus mundus stabunt aduersus nos, in testimonium peccatorum nostrorum.*

Scelerū diuersorum.

Solis ista erit quærimonia; Compulsum se, nunc sanguine, velut rubore, suffundi: nunc gradum sistere; nunc, conuersis equis, intro se recipere, vel metuentem sibi, vel scelerum nostrorum enormitatem non ferentem. Lucem obcultare se coactum sæpè, vel ipso Meridie, quo tempore lucere maximè illi indictum.

Quo in genere Sol & Luna.

Bruson.

Se, in Christi morte, intus ac Domi, horrore humanæ inhumanitatis, in hominem totius humanitatis ornamentum, latuisse;

Virg.1. Georg.

Et Romulo mortuo;

Senec. in Thyeste.

Et, quo die C. Cæsar in Senatu cæsus,

Impiaque æternam timuerunt sæcula noctem.

Ex lib.gall. martyrij MariæStuartæ Scotorum Reginæ ca. 13 pag. 261.

Et, cœna Thyestea, qua frater fratri, edendos liberos, partim elixos, partim tostos proposuit, maiori scelere vltus scelus magnum:

Et, Rege Duffo, à DonnevvaldoDuce in prouincia Mourraica: in arce Forensi, occiso, (cum, ad ocul-

cultandum scelus, sceleris socios Dounevvaldus trucidasset; & in autores seuerum quæsitorem simulans quotidie aliquos, nunc hos, nunc illos, supplicio per calumniam adficeret) ab ipso funestæ cædis die, ad sex perpetuos menses (donec autores deprehensi & plexi) nullum, neque Solis, neque Lunæ, radium in Scotia visum fuisse.

Et, nunc tam crebros dies, pluuiis, aut potius lachrymis nubilos; à rubore, deplorationeque scelerum nostrorum, esse causabitur.

Quærentur Sol, ac Luna de nobis, quærentur (inquam) ac nos prodent, lingua sua Deo satis intellecta.

Hinc prouerb. *Si non hominum, saltem Solis vos pudeat.* *Prou.*

Terra magna rerum omnium, nostrique & parens & nutrix in nos etiam ipsa tunc dictura. Et terra.

Causabitur scilicet coactam se crebro, scelerum nimio pondere, tam eorum; quæ palam, velut in dorso eius, quàm, quæ clam in visceribus eius, in fornicibus à fornicatoribus patrahantur, cõtremiscere; solum insolidè, nauis instar, constitisse.

Auaritiam illam crudelem, obscœnamque. quà, auro inquirendo, *in ventrem matris iterum introire*, totamque euiscerare audemus, adcusabit. *Ioan.3.*

Se matrem, fœdis filiorum mollium spermatibus, sæpè turpiter inspersam, fœcundamque nõ rarò ideo esse desiisse. *Vide Cantip. lib. Apum.*

Tremuisse se, vel inuitam, in morte Christi, humanæque diritatis impatientia, mortuos emonuisse.

Tremuisse, ab aliquot nuper annis, à proculcato Corporis Christi (vt quidam aiebant) Sacramento; qua de re, hoc Numerale tum pueri condebamus.

AprILIs seXto, treMVIt ConterrIta teLLVs,

Sub Dom. Liberto Houthemio Poeta Laureato, Præceptore tūc meo.

(*HorresCo referens*) *CeVratIs Cta noto.*

Nescis, à terra olim apud Deum, Caini delatum scelus? (*Vox sanguinis fratris tui clamat ad me, de terra,* aiebat tum Dominus.)

Genes. 4.

A qua etiã opertissima reteguñtur.

Laudem, Polydori occultam necem retexisse? Virgulta enim illa quæ à tumulo cæsi, Æneas fortè euellebat, secundò & tertio cruentata adparuere, tandemque ex tumulo vox isthæc erupit.

Quid miserum (AEnea) laceras? iam parce sepulto, &c.

Nam Polydorus ego: heic confixum ferrea texit.

Virg. 3. Aeneid.

Telorum seges, & iaculis increuit acutis.

Luc. 12.

Poetæ mythologi, ac mystici, lepidissimo commento insinuant, *nihil opertum, quod non reueletur* vel abs Terra ipsa.

Mydam enim quendam Phrygiæ Regem aures asininas habuisse fabulantur, easq; diu ac scitè obcultatas, tonsori tandem retexisse, & (si cælaret) regni dimidium spopondisse: tōsorem vero, cum rem inauditam, nec silere posset, nec vero prodere auderet, secessisse, humum effodisse, scrobi immurmurasse *Auriculas Asini Midas habet,* atque ita, regestâ in scrobem terra, secretum regium obruisse. At postquam

Ouid. li. 11. Metamor.

Creber arundinibus tremulis ibi surgere lucus
Cæpit, & vt primum pleno maturuit anno,
Prodidit agricolam, Leni nam motus ab Austro,
Obruta verba refert, Dominiq; coarguit aures,

nempe terra, nuper ingesta verba (*Auriculas asini Midas habet,* refundente.

Petronius arbiter.

Qua de re sic Poeta non malus? *Sic commissa verens auidus reserare minister*

Fodit humum. Regisque latentes prodidit aures;
Concepit nam terra sonum, calamique loquentes
Inuenere Midam, qualem conceperat iudex.

Muris

Muris ac sepibus (vt aiunt) *& oculi & aures suæ,* sed & linguæ facinorosis, in illo tribunali, formidandæ.

Mihi crede, *Et lapis de pariete clamabit, & lignũ quod inter iuncturas ædificiorum est, respondebit,* j. idem dicet, quod lapis. Abac. 2. Et saxa ipsa.

Aurum & argentum vestrum æruginauit, & ærugo eorum in testimonium vobis erit, & manducabit carnes vestras sicut ignis. Iacob. 5.

Qua speras latere, hac patebis.

Itaque formidabilis Iudex iste vndequaque. Ex quib. & Iudicii maior formido.

CONCIO VIII. *vel in ord.* XXIII.

Them. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum.* 2. Cor. 5.

FActa repetitione, ita propositum.

Dicendum hodie: Propositio

1. *Formidandum maxime Iudicium vltimum, quod iudex illic idem, qui & Legislator. & Pars læsa, & Testis & Orator suus.*
2. *Quod Oratores illic, contra vnum, multi.*

AVE.

I.

Formidandum maxime iudicium vltimum quod Iudex illic idem, qui & Legislator & Pars læsa, & Testis, & Orator suus.

Terribile Iudiciũ, ab inusitata forma.

Præterea: Iudicii huius facies noua terret ani mos.

Vsitata forma tribus personis cõstãt iudicia.

Noua inquam. Alias enim *Iudicium est actus legitimus triũ personarum, qui redditur in inuitum.* Actor illic cum Reo, & Iudex arbiter ac sequester, in partem neutrius propendens.

D Tho. 2. q. 67. art. 3.

Vnde Thomas: *Iudex iustitia est animata, de causa aliorum duorum cognoscens.*

Aristo. 5. Eth.

Inusitata duab. Iudiceae Reo.

Rebus intricatioribus tamen atque inconfessis, additur Testis; seu Personæ, seu Scripta, seu Instrumenta, seu Argumenta ac coniecturæ probabiles.

Dedecet profectò, eundem & iudicem, & Partẽ, & Testem esse, & Legislatorem.

Sed iudice adcusatore,

D. Amb.

1. Cor 6.

* j. D. AMBROSII censura *Iudicis non est sine adcusatore damnare quia Dominus Iudam, licet fuisset fur, cum non esset adcusatus, minimè abiecit.*

Plutar. tõ. 1 moral in apopht vet Reg.

Scipio minor Censor, viso C. Licinio prętereunte, dixit: scire quidem se, Licinium peierasse; sed quod nemo adcuset, impunem abire; *Iudex enim (inquit) & adcusator idem simul esse non possum.*

Sed iudice teste.

* i ET *In ore duorum vel trium testium, stet omne verbum,* non in iudicis vnius, aut adcusatoris.

Sed iudice parte.

Iudicem potiùs exue, testem indue, quam vtrũque præstes, quisquis causæ statum voles tueri.

L. extat ff quod metus caus.

* iij. DEINDE: *Iudex, in causa propria, nemo debet esse,* ait lex.

Nemo

Nemo iudex sui, hostisque, æquus vnquam fuit, Philantia aut mala sua palpante, aut bona plus nimio adtollente: Ira odioque, facta hostis exaggerante.

Tertius ferè aliquis, de duorum lite ac legis offensa, decernit; rarus aut nemo de sua.

Acrius enim iniurijs vruntur suis omnes, quàm alienis.

Ab inoffenso iudice pœnæ mitiores.

Si iudex idem & pars, ad alium tota res deuoluenda; *nisi iniuria iudicis, sit Communitatis, vel Ecclesiæ iniuria,* sensu D. Thomæ. D Tho. 2.2. q.37 art.4.

* iij DENIQVE: Et ferè alius à Legislatore est iudex, aut Legislatoris morte, aut decreto ita cogente. Seu iudice Legislatore.

Sed, noua quadam iudicii forma, iudex hic noster, vnus personas multas, iudicis, Testis, Partis, Legislatoris, & Oratoris aduersi, sustinebit. Cuiusmodi tum iudex Christus.

*1. *TESTEM* disce; nam iudicem nuper probaui. 1. Nam idē & Testis.

Ego sum Iudex, & Testis, inquit. *Hierem 29.*

Et: *Accedam ad vos in iudicio, & ero testis velox maleficis, adulteris & periuris.* *Malac.3.*

Nonne ego te vidi in horto, cum illo? (inquiet) si tu inficiabere.

Cum esses sub ficu, vidi te. *Ioan.1.*

Ibi corrupta est mater tua. *Cant.8.*

Nōne inuisibili mihi omnia hæc visa, atque audita, hic, isthic, illhic? Tapetibus Cœli cælatus, atque obtectus, quid in media Orbis aula, tu cum hoste meo tractares, videbam, audiebam, *renum testis, cordis scrutator & linguæ auditor?* *Sap.1.*

Regi tanto etiam, sine teste, quis non credat, aut cedat?

Et certè, *Pluris est oculatus testis vnus, quam auriti*

Plautus, in Truc. Decem. qui audiunt, audita dicunt; qui vident, planè sciunt.

Testis omni exceptione maior iudex noster, cuius oculi contemplantur omnia; quanquam nec alii testes deerunt, Angeli boni, malique, Cœlum, Terra, &c. imò ipsi nos, ante nos, & contra nos stabimus testes.

2. Et pars læsa. * 2. ET PARTEM læsam. Huius enim tu sæpè Corporis & sanguinis reus, & inimicus Crucis acerrimus.

Sanguinem testamenti quoties aut ostentui habuisti aut proculcasti? quoties Christum in peccando tu in crucem egisti? quoties tu sacra eius ac templa, ceu inanima ex lapidibus, ceu animata ex hominibus profanasti, spoliasti? &c.

Hierem. 2. Quoties legum eius repagula perrupisti? confregisti iugum, & dixisti, non seruiam?

D. Aug. ser. 37 de temp. tom. 10. Fulguraturum ergo tunc sic tu illum non putas? Cur me grauiore criminum tuorum cruce, quam illa, in qua quondam pependeram, adflixisti? Grauior enim apud me, peccatorum tuorum crux est, in qua inuitus pendeo quam illa, in qua, tui misertus, mortem tuam occisurus, ascendi.

Tu, me deserto, atque eiurato, alios tibi Deos fecisti, Ventrem, Aurum, Vxorem, Regem, Concubinam.

Deut 32. Deum, qui te genuit, dereliquisti, non modo inoffensus, sed & beneficiis etiam ad amorem irritatus.

Non perhorrescas hoc Iudicis à te læsi Tribunal?

Isai. 33. 3. Et Legifer. * 3. ET LEGISLATOREM. Dominus iudex noster, Dominus Legifer noster.

Iacob 4. Vnus est Legislator & Iudex, qui potest perdere, & liberare.

Quùm vero Legifer idem & Iudex; tum legirupis maximè formidandum.

Legi-

Legifer n. à legifrago non modo publicam rem læsam, sed & prudentiam suam, & autoritatem cōtemtam, & putat, & dolet.

Vicarius enim Iudex minus formidandus, quià à { *1. Sensi legis ignoratione;* *2. Zelo tepidiore.* } Nam Vicarii iudices minus formidabiles.

* 1. *SENSI LEGIS* ignoratio, aut est ex { *1 Patronorũ arte* *2. Humana cæcitate.* }

* j. *PATRONORVM arte*, qui Legum nasos plerũque cereos, quò libet inflectunt. Itaque Nocens sæpè absoluitur; Innocens contra damnatur vna vterque Lege, callida legis ipsius, ac iuris interpretatione. Qua falli possunt aut astu causidicorum.

Iudicum oculis, ab Oratoribus, aut Iurisperitis Iuris Spiritus malignis interpretibus, tenebræ offunduntur, aut lux fallens prætenditur. Ita: *Summum ius, summa iniuria.* Cic lib. off.

Accessit ingens legibus, malum sibi, Gregor. Theol.

Qui ritè sensum legis obseruat minus.

* ij. *HVMANA cæcitate* quæ, in mentem Legislatoris vniuersam, introspicere iudicem substitutum vetat. Legislator ipse si decernat, minus contingat, vt *summum ius, summa iniuria* fiat. Scit enim is vnus mentem legis suæ. Aut humana cæcitate.

Ergo, cum iudex idem nobis, qui Legislator, & Legem, & Legis suæ mentem probè callens, iudicium maxime horrescendum.

Vtut omnia hic callidè, ac per cuniculos actitaris, illhic non falles. Mentem scil. legis audies, à Legislatore iudice tunc vniuersam.

De re nunc posita in sententiis, vnis & hoc, & sic licere aientibus; alteris negantibus; vltimis fluctuantibus, plenam, veramque tunc autor ipse Legis feret sententiam, glossis, diplomatis, prætextibus blandulis abrogatis.

Et quã tepidius alienas leges tuemur omnes quã nostras.

*2. ZELO *tepidiore*. Nam qui in Legislatoribus ipsis feruet, in Vicariis ac succedaneis mirè tepet.

Aliena quam oscitanter, nostra quam seriò curamus omnes!

Aelian. Var. hist. l. 13 c. 24.

Legislatores enim ipsi suarum legum velut Zelotypi.

Legislatores imprimis, adeo firmitatis legum suarum auidi, vt nec suis quidem, nec sibi sæpe ipsis, ab exilio aut morte parcant, vt sua suo, aut suorum sanguine sanciant imperia.

Lycurgus Orator legem scripserat, ne mulieres in festo Mysteriorum, curru veherentur. Quæ vero id fecisset, mulctam lueret, quam ipse idoneam putans constituerat. Prima vero ipsius vxor aduersus hoc psephisma deliquit, atque damnata pœnam subiuit.

Cic. 2 de Legib. Stob. ser. 42. Valer. Max l. 6. ca. 5. Aelianus var hist. l. 13 c. 24.

Zaleucus Locrensium Legislator, cum adultero cuicumque oculos expungi sanxisset: ne lapso quidem in id criminis filio pepercit, patrem tamen nõ exutus dimidium pœnæ tulit: Filius ac Pater effecti monoculi. Itaque Legi & Pietati vna est factum satis, Zeleuco, inter misericordẽ patrem & iustum Legislatorem, partito.

Tenues Tennediorum Rex cum securi percuti adulterum voluisset, in filium deprehensum Lege agi iussit.

Liuius l 8 Val l 6. c. 9 Michael. Volat l. 30 tit de parẽtibus erga liberos

Manlius Torquatus cognomento Imperiosus, idem Epaminondas, filios quod aduersus imperia sua, cum hostibus, manus etsi victrices, conseruerãt, securi percussere. Patres scilicet filiorum sanguine imperia sanciuerunt.

1. Reg. 14.

Saul in hoc etiam rigore: Nam cum is hostẽ persequens, quenquam ante vesperam cibum capere vetuisset, & Ionathas filius cursu fractus, mel gustasset, dixit: *Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, quia morte morieris Ionatha*: neque ante remisit vltionem, quam tota acies Mortem filio Regis est deprecata.

Pro-

Pro Rex certè aliquis, aut Vicarius Iudex, illos absoluisset, atque etiam hac à Partibus præmium sperasset.

Lycurgus verò etiam in se immitior, qui cum, datis legibus, Lacedæmones rogasset, iurare seruaturos se illas tantisper, dum peregrè Delphis rediret; iuratis illis abiens, nunquam est reuersus, malens sponte exulare, & (sensò quorundam Cirrhæ suis sibi ipse manibus mortem consciscere, quàm pati leges à se fixas aliquando refigi.

Et Clisthenes Atheniensis, qui primus exilii supplicio à se introducto damnatus est. *Aelian. l. 13. var. hist. c. 24.*

Et Leodius, ex Senatoribus illis summis ille, qui (cum sanxisset, capite truncari, quisquis pugno aut palma, ianuæ aut fenestræ cuiusquam, in Vrbe ipsa, vim intulisset, ipseque postea in legem à se latam ira præcipitante, deliquisset) truncandum se obtulit.

Mortem scil. Legibus suis vitalem subire, quam viuere vitam Legibus iisdem mortiferam illi omnes maluere.

Adeo Legislatores omnes, sanctas esse leges suas, ac fixas volunt:

* 4 ORATOREM denique aduersum. Iam quidem *Mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus*: Tum vero idem, quasi verso (vt aiunt) pallio, in peccatores, non leuitate venali aut argenteo fune subtractus, sed ipsorum peccandi pertinacia abactus, perorabit, *accepta beneficia cum iis, quæ iniquè admisimus, opponens.* *1. Tim. 2.* 4 Et Orator. *G. Greg. Nazianz. orat. 26.*

Quid faciemus (tunc) cum Dominus, plus iam iustus, quam misericors seueritate iudicis, contemptæ misericordiæ reos, cœperit adcusare, & dicere: Ego te (o homo) de limo manibus meis feci, ego terrenis artubus infudi spiritum ego tibi imaginem nostram, similitudinemque conferre dignatus sum, ego te inter *in plagam grandinis.* *D. Aug. ser. 67 de temp.*

ter paradisi delicias collocaui: tu vitalia mandata contemnens, deceptorem sequi, quam Deum, maluisti? Cum expulsus de paradiso, iure peccati, mortis vinculis tenereris, virginalem vterum, sine dispendio virginitatis, pariendus introiui, in præsepio expositus, & pannis obuolutus iacui; infantiæ contumelias, humanosque dolores, quibus tibi similis fierem, ad hoc scilicet, vt te mihi similem facerem, pertuli; irridentium palmas, & sputa suscepi; acetum cum felle bibi, flagellis cæsus, vepribus coronatus, cruci adfixus, vulnere perfossus, vt tu eripereris morti, animam in tormentis dimisi? En clauorum vestigia, quibus adfixus pependi. En perfossum vulneribus latus. Suscepi dolores tuos, vt tibi gloriam darem. Suscepi mortem tuam, vt in æternum viueres. Conditus iacui in sepulcro, vt tu regnares in Cælo. Cur, quod pro te pertuli, perdidisti? Non te ego de morte mea quæro, redde mihi vitam tuam, pro qua meam dedi. Redde mihi vitam tuam, quam vulnerib. peccatorũ indesinenter occidis. Cur habitaculum, quod mihi in te seruaueram, Luxuriæ sordibus polluisti? Cur me grauiore criminum tuorum cruce, quam illa, in qua quondam pependeram, adflixisti? Grauior enim, apud me peccatorum tuorum crux est, in qua inuitus pendeo, quã illa, in qua tui misertus, mortem tuam occisurus ascendi.

Quid debui vltra facere & non feci? (*Isai.*)

Hæccine reddis Domino stulte, & insipiens? (*Deut. 32.*)

Nonne silui, nonne tacui? vt parturiens loquar.

D. Hierony. in serm. Ne erra: *Ipsa crux Christi contra te perorabit, Christus vulnera sua, contra te, adlegabit; cicatrices contra te loquentur. Claui de te conquerentur.* Huc enim illa adseruauit.

Quare & formidabilius iudiciũ vltimum. Non igitur diei illius, coram eodem & Iudice, & Læso, & Accusatore, & Teste & Legislatore statio iure pertimescenda?

II.

Item formidandum, Quod Oratores illic, contra vnum, multi.

Quin & Oratores in vnum multi.

Vt sileat iudex ipse, qui læsus; alii tamen in te vnum multi, apud illum perorabunt.

Multi in vnum in iudicio.
- *1. Dæmones,*
- *2. Angelus Custos,*
- *3. Obpreßi,*
- *4. Corrupti à nobis,*
- *5. Magistri vitæ,*
- *6. Opes ipsæ,*
- *7. Conscientia.*

* j. *DAEMONES*, quorum ipsorum suasu, tàm fœda patrauimus, quorum quemlibet idcirco Diabolum dixere, id est calumniatorem, seu criminatorē, *quippe qui Deum Patrem apud homines criminando traducat; interque ipsos homines alternas lites, controuersiasq́ue iniiciat*, ex Theodoriti & Mosis Bar-Cephæ mente. — 1. Dæmones. *Theodorit. li. 3. curationum, Moses Bar-Cephæ Ep in Beth-Ramā, &c. p. 1. commēt. de parat.*

Vel, *quod crimina, in quæ ipse illicit ad Deum deferat*, Lactantii arbitratu, & Mosis item Bar-Cephæ. — *Lactant. li. 2. instit. c. 9.*

Sciti admodum illi Sycophantæ, & sociorū, quos ipsi ad furta concinerint, proditores.

De magnate inter illos, est istud: *Proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri, die ac nocte.* — *Apoc. 12.*

Achitopheles ego illos voco. Nā vt Achitophel j. est frater ruinæ, vel fratris ruina, vel frater defectus, vel frater insipiditatis, initio quidem consiliarius Dauid fuit, eiusque consilium habitum, vt con- — (Etsi ipsi vitiorū instigatores.) *2. Reg. 16.*

vt consilium Dei; sed tandem cum Absolone contra Dauidem sterit; Ita & dæmones, qui consiliarii nunc nostri, & defectionis nostræ a bono sunt autores, tandem in nos surgent Oratores.

Augustino id creditum: *Præsto erit aduersarius Diabolus & recitabuntur verba professionis nostræ, & obijciet nobis in faciem, quicquid fecimus, & qua die peccauimus, & quo loco, & quid boni tunc temporis facere debuimus Et si tales inuenti fuerimus, exultabit ille aduersarius, in conspectu pijssimi iudicis, superiorem se esse nobis declamans agens talem causam, apud talem iudicem: habet enim tunc dicere ipse Diabolus; AEquissime Iudex iudica istum meum esse ob culpam, qui tuus esse noluit per gratiam, tuus est per naturam, meus est per miseriam: tuus est ob passionē, meus est per suasionem. tibi inobediens mihi obediens: a te accepit immortalitatis stolam, a me hanc pannosam, qua indutus est, vestem: tuam vestem amisit cum mea veste huc aduenit. AEquissime iudex, iudica (inquam) quia iustitia & iudicium præparatio sedis tuæ. Iudica illum meum esse & mecum damnandum esse. Hæc omnia, quæ huc attulit, mea esse cognosco meus esse voluit, & mea concupiuit, mecum puniri debet quoniam, quem tu dignatus es tanto pretio liberare, ipse mihi voluit se postmodum libenter obligare.*

D. Aug. lib. de salutaribus documentis c. 62 tom. 4.

Certe *quisque suos patimur manes.*

Virg. 6. Aeneid.

Cum nascimur, duos sortimur genios: vnus est, qui hortatur ad bona: alter, qui deprauat ad mala, nec incongruè dicuntur genij, quia cum vnusquisque genitus fuerit, ei statim obseruatores deputantur; quibus adsistentibus post mortem, aut adserimur in meliorem vitam, aut condemnamur in deteriorem ex Seruii mente.

Seruius in illud 6. Aenei. quisque suos.

Origenis sensu. *Multæ malignæ virtutes circa animam hominis, ab initio vacantis, iugiter ei insidiantes.*

Orig. hom. 7 in Matth.

Hi adſidui nunc obſeruatores vitæ noſtræ, ſæpè & corruptores, tandemque acerrimi adcuſatores, ac (ſi ferat Deus) impoſtores Sycophantæ, cum paratas domi ficus, & (quod vulgo aiunt) lar aliis coctum ipſi abſumſerint, j. ad peccata traxerint, ignaros furti, inſonteſque, falsò adcuſabunt.

Qui nunc ſæpe inſontes etiam adcuſant.

Sontes illi tunc non adcuſent, qui etiam inſontes nunc, & olim, ex ſuſpicione vana futurorum.

Sic n. olim quiſpiam ex illis, de Iobo, apud Deum: *Nunquid Iob fruſtra timet Deum? Extende paululum manum tuam, & tange cuncta quæ poſſidet niſi in faciem benedixerit tibi* quaſi peccati futuri certiſſimus.

Quid? Ipſum etiam Deum inuidiæ inſimulabat, cum Euæ auribus immurmuraret *Nequaquā morte moriemini. Scit enim Deus, quod in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dii ſcientes bonum & malū* q. d. Quia hoc ſcit hinc futurum, ideo prohibuit, quaſi ſcilcet (Alexandri inſtar, popello diſciplinas Ariſtotelis auſcultatorias inuidenti) etiam hominibus Deus ſcientiam boni malique inuidiſſet.

Imo & Deum. *Geneſ 3.* *Bruſon. l.3. facet.c.38.*

Vt Princeps ſolet non facile, atque amice ferre æquales ſuos principes: ita Deum, Deos pati alios non poſſe mentiebatur.

Annon igitur frontoſiſſimè ſceleroſiſſimos, omnes adcuſabunt, & calumniis ſycophantiiſq; homines perditiſſimos fatigabunt, qui nunc ſic homines probitate ſemideos, imò & Deum ipſum?

Dicet ergò, dicet, ex illis ille, qui nobis vitæ obſeruator decretus:

Quorum oratio, aculeata futura.

Vt Creatione illi ſint tui (Æquiſſimè iudex:) Certè vita degeneri, meique imitatione, planè ſunt mei.

Vt

Vt animi natura aliqua te referant; Me tamen maximè vitiorum corruptela,

Vt Spiritu S. tuo adflaueris, tamen ductu, auspiciisque meis potius, quam illius viuere maluerunt.

In ingrat. Deo. Trahebas tu ad te illos, donis Terræ huius, vt beneficus: pollicitatione Cæli, vt blandus: minitatione Inferni, vt seuerus, & illi surduerunt: Ego neque dedi quicquam, ac ne promisi quidem: non terrui, non illexi, & mihi plùsquam ancillariter paruerunt.

Amabas vnice tu illos, vicem, atque amoris talionem sperans: Illi contra, me tibi riualem recepere, ac pellacem,

Si præcipiebas minaciter: aut recalcitrabant, aut pede pressim veniebant: Ego si suadebam leuiter, dicto citius aduolabant.

In nimium volones ad malum. Summatim dicam? Ingenio, Impudentia, Conatu mihi præibant. Inueniebant, quæ ne cogitabam quidem: audebant, conabantur, agebant, plura ac maiora petiris. Vota mea, ac suasus anteuertebant.

Non audet Stygius Pluto tentare quod audet.
Effrænis Monachus, plenaq́; fraudis anus. — *ÆEneas Syluius.*

Suadebam fidenter adserere? iurabant per Styga, ac Deos omnes: Aëra meris blasphemiis fatigabant.

Suadebam iurare? peierabant.

Suadebam, se ac sua iure defendere? pugionibus, cædibus, vi rem gerebant. Statuebant: *Ius in armis*;

Suadebam, parta tueri, pauca largiri? aliena rapiebant, fænoribus, Simoniis rem augebant.

Suadebam non fraudare genium? illi porcos induebant.

Suadebam festis diebus, vt ne quid superstitiose? illi impie omnia: festa nulla [præter Bacchanalia, non annua modo, sed hebdomadaria) celebrabant,

atque in sacros dies omnia profana, ac sæpè scelerosa relegabant. Illis Sacella, popinæ; Templa, tabernæ; Lararia, Lupanaria; Deus, Venter; Diuæ, meretrices *composita & circumornata, vt similitudo templi.* Psal.

Suadebam ne idolatræ essent? *abominationem desolationis* in templo cordis erigebant. Imagines, tuam, Diuorumque euertebant, meam constituebāt, atque illam, vt Principis veri ceram statuamq; adorabant. Matth. 24.

Vno vis verbo? Ingeniosi ac *sapientes, vt facerent mala, bonum facere nescierunt.*

Tibi, calcaribus illi, Theophrastorum, imò asellorum instar, vrgendi ad bonum fuere: Mihi, fræno (vt noui Theopompi) prope à malis coercendi.

Et verò, quoties ad eosdem illi lapides relapsi offensitauere? In relapsos toties.

Qui nos nimis alta quidem, sed semel, sed vixdum meditatos, æternum perdidisti, tu his parcas, qui toties

Ausi omnes immane nefas, ausoq; potiti? Virg. 6. Aeneid.

Decreto tuo veteri debitos mihi iam posco.

Quod enim Cæsaris imaginem gerebat, iampridem Cæsaris esse voluisti: At hi plenam mei gerunt nullam tui; Igitur esse meos decerne, & à me ad palum iam iube deligari. Matt: 22.

An non *decretum* tuum, *Medorum atque Persarum, quod præuaricari non licet?* Daniel.

Vt velis, ius iubet; vt possis; intra te est.

Da mihi animas, cætera tolle tibi. Genes. 12.

Ista Battus iste Battologia, sed tam acri, vsurus, vt àquamlibet inuito iudice, rogata sit extorturus. Ouid. li. 2. Metam. de Batto.

Ita *omnes inimici eius adprehenderunt eam inter angustias.* Thren. 1.

* ij. *ANGELVS CVSTOS* etiam ordine suo. 2. Angeli custodes.

Orige-

Origen. Origenis senso, *Vnusquisque Angelorum, in extremo iudicio, aderit, producens illos, quibus præfuit, quos adiuuit, quos instruxit, pro quibus semper faciem Patris vidit* causam (opinor) acturus.

Non tam lædendi nostri, quam sui purgandi ergo.

Quidni? Suspicionem enim alioqui negligentiæ, patroni isti nostri incurrerent, nobis clientib. causa cadentibus, atque ad pœnas raptis, ni Deo, ac toti circo suam in tuendis clientibus probarent diligentiam, quod dum facient, oblique clientes, vt ceruicosos atque infrænes, adcusabunt.

Dicis causa: Arx aliqua illustris, aut Antuerpiana, aut Cameracena dedita est, aut vi capta? nisi in Curia ad Principem mox transuolet præsidii Primas, causeturque, pugnare se, atque in mænib. mori voluisse, milites autem se deseruisse, eiecisse, vinxisse, ac sic vicisse, vt dederent sese, inurat gloriæ suæ turpem imbelliæ notam, etiam tandem à Principe, ad tribunal, pœnamque acciendus.

An verò non tu arx & Ciuitas Dauid? Præsidii eius princeps, an non genius ille bonus, Custos tui decretus?

Angeli boni, nos vti paruos Abeles fratres suos seriò curant: & Rubeni ac Iudæ instar, nos vti Iosephos Beniaminosque natu minimos, minimè negligenter adseruant, Dei iussu, si nescis.

Psal. 90. Audin'? *Angelis suis Deus mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis*, & qua in mundum prodis; & qua mundum peragras; & quà è mundo emigras, hoc est, ætate qualibet, & tam via Cupiditatum, quàm Necessitatum.

D. Hier. l. 3. comment. in 18 cap. Matth. *Magna, magna est dignitas animarum, vt vnaquæque habeat, ab ortu Natiuitatis, in custodiam sui, Angelum delegatum.* qua de re nos iam olim latius.

Nos in Monomach. ser. 32. Ergo, si Custos tui Angelus, impugnantibus te Diabolo, Mundo, & Carne, (id est teipso, classicum ceci-

cecinit, si repugnare suasit, si traxit ad pugnam; si deditioni paratum, velut stricto gladio (vt olim ille asinam Balaami) terruit, totaque vi abstraxit, si depositum, integrum hero reddere studuit; tu verò omnium contentor, ac Duci repugnax, imbelliâ temerâ dedisti, perire voluisti, atque in arcis Capitolio (id est, mente tuâ) signa hostis eius victricia effer ri. Iurè profectò causam is suam tunc agat, testeturque, non te periclitatum, Saulis instar, Abneri Ducis somnolentia, sed tua ipsius; non sua te, sed tua ignauia perisse. Num. 22.

Ne incuriosæ custodiæ ipsi arguantur.

Dicet profectò: *Lectulum Salomonis 60. fortes ambiunt, ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi, vniusq̃ ensis super femur suum, propter timores nocturnos:* non dormientibus nobis, aut non tuentibus, homo iste periit, non: ipsus se miser prodidit, dediditque. *Cant. 3.*

Vt mortuo ægriente, medicus, se nihil artis omisisse, illum parum dicto paruisse causatur: Ita & ille, te pereunte, dicet. *Curauimus Babylonem, & non est curata.* Nemo benè seruatur inuitus. *Hiere. 51. Matth. 18.*

Insolens seruus, à sociis, apud Regem, insolentiæ in collegam adcusatus, huius aliquod simulacrum.

Omnes Spiritus Boni & mali coram Deo te accusabunt cum Iudice: Boni, quia Deo debent æquitatē; Mali quia seruant tuam iniquitatem. *D. Bern. l. de interiori domo. c. 38.*

Et forte illud Iobi, huc spectat: *Instauras testes tuos contra me.* *Iob. 10.*

Et hoc Hieremiæ: *Omnes amici eius spreuerunt eam, & facti sunt ei inimici. Facti sunt hostes eius in capite.* *Thren. 1.*

* iij. *OPPRESSI,* quorum vitæ, famæ, opibus, tuâ, vel opum vi, aut amicorum potentia, aut armis grauius nocuisti. 2. Vim nostram passi.

Audin? *Stabunt Iusti, in magnâ constantiâ aduersus eos, qui se angustiauerunt, & qui abstulerūt labores eorum.* *Sap. 5.*

Apoc.6. *Interfecti propter verbum Dei, clamabunt voce magna, dicẽtes: Vsquequo, Domine verus, & sanctus, non vindicas sanguinẽ nostrum, de his, qui habitant in terra?*

Psal.148. *Exultationes Dei in gutture eorum. & gladii ancipites in manibus eorum Ad faciendam vindictam in nationibus. increpationes in populis: ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis: vt faciant in eis Iudicium conscriptum.*

Genes.4. Ibi Abel, in Cainum fratrem, de sui parricidio:

2 Reg 12. Ibi Vrias, in Dauidem, de vxoris stupro, ac sui cæde:

3 Reg. Ibi Naboth, in Achabum, de vineæ rapinâ, seque per calumnium trucidato.

Marci 6. Ibi Baptista, in suum Herodem, de capite litigabit.

Sophoro. prati spirit. c.166. Ibi puerulus, â Poemene pastore canes in misellũ irritante trucidatus, molestum illud. *Quare me occidisti?* quod olim in templo, in Dormitorio, ac Refectorio solebat, ingeminabit.

Seu in facultates. Ibi integræ nationes, cum Tyrannis aut iniquis ditionum suarum possessoribus, aut sæuis dominatoribus, expostulabunt.

Iob.31. *Aduersum me terra mea clamat.*

Isai.14. *Tu enim terram tuam disperdidisti, tu populum occidisti.*

3.Reg. Ibi totus Israel in suum Pharaonem, irrugiet, atq; in Roboamum, virgis iam satis cæsos populos, insuper scorpionibus concidentem.

Vide Pharnutum de fab. Ibi aduenæ in suos Diomedes, qui equos humanis hospitum artubus pauerunt, aut ipsi *comederunt Iacob.*

Ibi. in Harpyias, seu milites rapaces, rusticus cõcussus, ac fame, apud cibos suos Tantali instar, enectus, abligurientæ interim omnia heluone exercitu, declamabit.

Baubabitur, altumque mugiet, quisquis modo, sine periculo maiore, inter iniqua pericula, ne mutire audet quidem, aut *Vix pauca furenti.*

Subijcit, & raris turbatus vocibus hiscit. Virg 3. Aeneid.
Insultant duro imperio, non digna nec aequa,
Ad superos passi Manes. quaeq; ante prosari Silius Ital. l. 13.
Non licitum viuis, tandem permissa queruntur,

Cognoui, quia faciet Dominus Iudicium inopis, & vindictam pauperum. Psal.

Non facias violentiam pauperi, quia iudicabit Dominus causam eius. Prou. 22. *Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam dicit Dominus.* Psal.

* iiij. CORRVPTI *corruptaeq;* à nobis Autro, Suasu, Exemplo, Neglectu. 4. Corrupti quàquà à nobis.

Ibi Danaë cum suo Ioue aureo expostulabit.

Ibi cum Lenonibus Lenisque Magdalenae: Helenae cum Paridibus: cum Herodiadibus, pessimique exempli matribus filiae saltatrices, & redditae matrē *curaturâ iuncea*: & filii qui pellices matrum, qui patrum riuales, qui patrum vxores duas, qui matrum maritos aut concubinos videndo, scelerum gentiliū facti sunt simiae, iurgabuntur. Terent. in Eunuch. act. 2. Scen. 3.

Ibi seu nasum, seu aurem parentibus audacter morsibus liberi auellent, & coram Praetore Christo fidenter dicent: *Sit hoc maternae educationis pretiū. Non Praetor, sed mater mea me ducit ad suspendium.* Iouian. Pōtan tom. 1. l. de libertate, c 9 sub finem.

Ibi de Heresiarchis discipuli, de Episcopis ouium incuriosis, impastae plebes conquerentur.

* v. MAGISTRI *Vitae*, seu Opere, seu Sermone, seu vtroque. 5. Magistri vitae.

Bernardi sensu: *Tot Iudicibus & populis astabis q̄ te praecesserunt in opere bono. Tot arguentib. confunderis, quot tibi praebuerunt bene viuendi exemplum. Tot coniunceris testibus, quot te monuerunt bonis sermonibus, & iustis actionibus.* D Bern l de interiori domo c 38.

Ioan. 5. *Est qui accusat Moses, in quo speratis.*

Hoc pulpitum, hæc cathedra, & ipsi templi huius parietes, & quotquot hic ad vos *pro Christo legatione fungimur*, in vos tunc perorabimus, si nunc nihil exoramus.

Deut. 32. Luc. 16. *Inuocabo contra vos cœlum & terram*, ait ille.

Audite cæli quæ loquor, audiat terra verba oris mei.

6. Opes malè collocatæ. * vj. *OPES IPSAE*, Aurum, Vestes, Frumenta Epulonum, Lazaris, famelicis, nudis, omniũ egenis, abscondita & infossa.

Iacob. 5. *Aurum, & argentum vestrum æruginauit, & ærugo eorum in testimonium vobis erit.*

Auri tunc fortè hæc erit querela: Non fuisse se effodiendum, si infodi rursus, aut arcâ claudi oportebat.

Effossum se, atque alias opes, ad opem effossoribus, ac Lazaro misello; non verò ad pompam, deliciasue effossorum, non ad arcæ farcimen, inutilemque (qualis est Gryphorum, in Hyperboreis montibus, aut Draconis, in hortis Hesperidũm) custodiá.

Et Vestium questus, se aut armariis clausas, aut perticis extensas, potius putruisse, quam nudis porrectas; & frumenta, in fœtorem antè versa, quam vendita, dum annonæ & raritas & caritas maior expectatur.

6. Nosipsi conscientia vrgente. * vij. *CONSCIENTIA deniq; qua cogente tu ipse eris accusator tuus*, Bernardi sensu.

Bern de interiori domo c 38. Hiere. 2. *Arguet te malitia tua, & auersio tua increpabit te.*

Rom 2. *Opus legis scriptum in cordibus* (Gentilium) *testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationum accusantium, aut etiam defendentium, in die cum iudicabit Deus occulta hominum.*

Iuuenal. sat. 13. Tum *Se Iudice, nemo nocens absoluitur.*

D. Chry. hō. 50 ad Antioch. Psal. 50. *Non sustinet anima peccatrix, non sustinet Conscientia*

cientiæ tribunal, quin mox dicat: *Iniquitatem meã ego cognoſco.*

Vt vnus ſemper, ex omni internecione effugit, qui Iobo calamitates nunciaret: Ita è clade virtutũ, ſemper vis Conſcientiæ ſupereſt, quæ mordeat ſceleroſum.

Quum perpetratur peccatum. & priusquam perpetratur, & poſtquam eſt perpetratum, acerbus nobis imminet adcuſator, maximè verò poſteaquam perpetratum fuerit. Nam in perpetrando ſcelere, quoniam voluptate ſumus ebrij, non perinde ſentimus. *Chryſo. concione 4 de Lazaro in Luc c 16. tom. 2.*

Non vt fœtus mulierum, fœtus animorum.

Mulieribus enim volupe concipere, moleſtum parere, iucundum peperiſſe. (*Non meminit preſſuræ mulier propter gaudium quia natus eſt homo in mũdum:*) Et ſceleroſis iucundum quidem machinari, ac concipere, item patrare, ac quaſi parere ſcelus; at patraſſe, permoleſtum. Adſpectum fœtus deformis, patratores ipſi non ferunt; exemplo expoſitum velint. *Ioan. 16.*

Itaque Boni apud Deum, & apud homines audiendis huiuſmodi decretos, ſe adcuſant ſæpè, ad ſalutem, ſolatiumque: ſed & Mali non rarò, apud Iudices etiam vindicaturos, Conſcientia per vim eiiciente hoſpitem permoleſtum.

Pœmenem paſtorem puericidam, vis Conſcientiæ ad Iudicum tribunal, faſſurum ſcelus, ac pœnas daturum, ex monaſterii aſylo, extraxit: Et alios multos eadem ſubigit fateri ſcelera ignorata, & non quæſita. *Sophro. prati ſpirit. c. 106.*

Quæ ſi nunc ita vrget, quantò tunc acrius?

Doctorum Antiſtiti Aug *Certum eſt in die illa, ipſum ante ſe hominem conſtituendum, & ipſam ſibi vitam, in cordis ſpeculo, demonſtrandam, & teſtes contra eam, non deforis aliquando, ſed intus de ipſa anima proferendos.* *D. Aug ſer. 35 de verbis Apoſt.*

Idem ibid. *Ordinabuntur ante infelicem animam, peccata vel crimina sua, ut eam & conuincat probatio, & confundat agnitio, secundum illud, quod scriptum est, arguam te & constituam te ante faciem tuam.*

D. Greg. Naz orat. 26 in plagā grandinis. Nosque nobis, & aliis omnibus ostentante. Et Nazianzeni sententiā, *Nos coarguet Deus, atque ex aduerso stabit peccata nostra, hoc est arces & acerbos accusatores nobis in faciem statuens, acceptaque beneficia, cum iis, quæ iniquè admisimus, obponens, & cogitationem conuerberans & actionem actione coarguens, atque conuincens, imaginisque vitiis obsoletæ, atque fœdatæ, dignitatem à nobis exposcens.*

Threm. 1. Hieremias id forte àn insinuat, dicens: *Vigilauit iugum iniquitatum mearum: in manu eius conuolutæ sunt, & impositæ collo meo*; id est: iam virgam vigilantem, atque vltionis tempus video, iā pro torque aurea, è collo pendet charta, causam habens mortis meæ Iudiciorum more, descriptam.

Senec. in Thyeste, Act. 2. Aliquandò, nostrum nobis ibi negotium agere licebit, imò oportebit, id est, noscere nosipsos, qui hactenus *noti nimis omnibus, ignoti morimur* nobis: & scelera confiteri tunc palam omnibus, qui nunc clam, vni noluimus, vt fiat tum verè *notus nimis omnibus* quisquis nunc per hypocrisim falsò Bonum se vendit at vniuersis.

Greg. Naz orat. 26 in plagam grandinis. Et absoluēte alios, nos vnos damnante. *Postremò nos abducet Deus à nobismetipsis condemnatos, atque ita conuictos ut ne dicere quidem possimus, nos iniquo Iudicio circumuentos pœnas dare.*

2 Reg 24. Seu inuitus, seu volens Improborum quislibet, ita contra se perorabit, Iudicem, Dæmones, Custodes Angelos, omnes vnà absoluens, vnum se damnans: *Ego sum qui peccaui, & ego inique egi: isti, qui oues sunt, quid fecerūt vertatur, obsecro, manus tua cōtra me.*

Virg. 9. Aeneid. *Me me: adsum, qui feci: in me conuertite ferrum,*

O Rutuli mea fraus omnis, nihil iste, nec ausus,

Nec

Nec potuit. Ouid.eleg. de Nuce.
——— *merui, videorq́; necens: exurite flammis.*

Meritò hæc patimur. Genes.

Iustus es, Domine, & rectum Iudicium tuum. Psal.118.

Ruborem suum ipse non ferens, *dicet montibus: operite me: & collibus, cadite super me.* Osee 10.& Apoc.6.

Basiliscorum instar, deformitatis suæ adspectu, emorietur.

Qualis ouis inter lupos, aut columba inter nullos, aut asinus inter leones, aut mercator inter prędones; talis tum peccator miser, inter tot aduersos Oratores.

——— *Vt conspectu in medio, turbatus inermis,* Virg.2. Aeneid.
Consistens, oculis Phrygia agmina circumspiciet:
Heu! quæ me tellus (ait) quæ me æquora possunt
Accipere? aut quid iam misero mihi denique restat?
Cui neq; apud Danaos, vsquam locus, insuper ipsi
Dardanidæ infensi, pœnas cum sanguine poscunt? 2.Reg.24. Dan.13.
Coarctor nimis.
Angustiæ mihi sunt vndique.

CONCIO IX. *vel in ord.* XXIV. 2.Cor.5.

Them.] *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisq́; propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum.*

FActâ repetione, additum. Velim (cariss. Auditores) satis nunc esse, de Iudicii seueritate dictum; velim placida omnia nunciare: sed, vt fidum oportet esse exploratorem; non fallacem (quales quià Iosue olim in terram promissionis fuêre missi) sed omnia, fide summâ, renunciantem, qualia qualia sint: ita & Concionatorem.

Reipub. caritas, suauitati orationis, anteponenda.

Orationis iucunditas, alieno tempore vsurpata, reipsa detrimentosa fit.

Demost. Philip 1. Idē Olynt. 3.

Ex quo sciscitantes è vobis isti Oratores extiterūt: Quid cupitis? quid scribā? qua vobis regratificabor? breui voluptate & gratia, Reip. negotia, quasi propinata, pereunt.

Quod ipse deuouet studio Boni communis.

Igitur mihi vniuersa exploranti, videtur.

Propositio.

Dicendum rursus, seuerum illud Iudicium videri, quà ab
1. *Adparatu.*
2. *Satellitio, Tempore, Locoq; Iudicii.*
3. *Vultu Iudicis.* AVE.

I.

Seuerum Iudicium videri quà ab Adparatu.

Ex adparatu, ferè de futuris iudicatur.

Adparatus ipsi rerum futurarum (vt tauri, altiliaque cæsa, conuiuiorum) plerumque certissima sunt Iudicia.

Romanos enim togatos vides? Pacem esse. Sago indutos, aut valudatos? Bellum ardere inquias.

Lapides ligna, Fossas vides, iactaque altè fundamenta? hinc tecta Cœlo minantia superstruenda intelligas.

Lignorum strues, ac trabes corpulentas pro Rostris? nauis rostratæ cogites instaurationem.

Decem-

Decempedatores, Metatores? Portas vrbis, valuasque ingentes? magnificam attolli vrbem inquis; nisi Myndii fallant, ad quos sic Diogenes olim: *Viri Myndii portas claudite: ne ciuitas Vestra exeat.*

Diogen. Laert. l. 6. vit.

D. Augustinus, de Christi in montem ascensu, sessione, discipulorum ad eum adcessu, orisque cōmemoratâ apertione, & toto ante illam, in genere maximè sublimi, de Beatitudinibus concionem, adparatu, ait: *Ista circumlocutio, fortassis ipsa mora commendat, aliquanto longiorem futurum esse sermonem.*

D. Aug. l. 1. de ser. Domini in monte.

Neque leuem Vlyssis in Aiacem, futuram orationem iudicabat silentium illud, cum vultu seueriore, à Poëta scitè expressum.

Ouid. 15. Metam.

——— *Laertius heros.*
Astitit, atque oculos paulum tellure moratos
Sustulit ad proceres, expectatoque resoluit
Ora sono.

Raro *parturiunt montes, nascetur ridiculus mus,*

Horat. in arte.

Ferè *dignâ* suo *profert promissor hiatu.*

ibid.

Igitur & Iudicii vltimi parasceue, ipsum omnium terribilium terribilissimum fore, prænunciat. Ex adparatu, Iudicii Iudicium.

Atque indè, de seueritate Iudicii censendum.

Vt Tammerlanes ille, Scytharum, seu ex pastore, seu aliundè Imperator summus, ternis tentoriis versiculoribus, triduo alternatim fixis, Candido hodiè pacem ac Clementiam cras Purpureo, Seueritatem; Atro perendie, Sæuitiam, ac fœdanda Flammâ, Ferroque omnia iudicabat: Ita, Christus, alio alioque, pro varietate temporum, adparatu, alium se atque alium, erga nos, fore demonstrat.

Petrus Crinit. l. 1. de honest. disciplina. cap. 1.

Alternis etiam ille (vt ita dicam) triduum vtitur tentoriis.

Christoph. Richer. l. 3. reru Turc.

BB 5 Tri-

Vt enim ex adparatu triduano Tāmerlanes mētem in obsessos suam iudicabat. Ita & Deus aliter atq; aliter.

Triduum est { 1. *Status primæ Innocentiæ,*
2. *Status pœnitentiam.*
3 *Status perenni seruorū peccati.*

1. Statui Innocentiæ.

* 1. *STATVS primæ Innocentiæ*, id est primus obsidionis dies, tentorum candidum à Deo fixum vidit dedititiis, id est probis, candida omnia & prospera; Vitam hanc sine morbis; Victum facilem e paradiso voluptatis promptum; Vitam Semi Deorum: ac tandem ab eâ transitum (Morte nulla intercedente) ad illam beatiorem. At malum! illo die, restitutum Tammerlani nostro isti magno. Peccauit Adam.

2. Status Pænitentiæ.

* 2. *STATVS pœnitentium*, id est, alter obsidionis dies post Adæ nostrumque lapsum, fixum aliud tentorium Purpureum vidit, id est, nondum quidem crudelem experitur Deum, sed papæ! quantò seueriorem? Morbis: Fame, Peste, Morte, Purgatorio, ac tantum non flammis Inferni æternis etiam ad se reuersos castigantem.

3. Statui pertinaciæ adfici se ostendit.

* 3. *STATVS perenniseruorum peccati*, id est, vltimus obsidii dies, atrum illud tentorium expansum videt, feralia, funesta, acerbissima omnia, ferrum flammas, Infernum *paratum Diabolo & Angelis eius*. j. impœnitenter mortuis.

Matth. 25. Scilicet tunc, *Patientia læsa fit furor.*

Vel triduum aliud erit. { 1. *Aduentus Christi primus, quo albenti tentorio, id est, Clementia vsus est.*
2. *Ascensus in Cœlū, à quo expansum purpureum, pauloq; agitur seuerius,*
3. *Aduentus secundus, seu reditus ad Iudicium, quo atrum illud, j. funesta erūt omnia.*

Matth. 21. *Greg. hom. 29. in Euang.* Tunc abrogabitur illud: *Dicite filiæ Sion, Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus. Qui placidus ascendit, terribilis redibit*, ait Greg.

Et illud

Et illud: *Ecce agnus Dei*; subrogabitur istud: *Ego* Et pro va-
ero eis quasi leæna sicut pardus in Via Assyriorum. rietate tem
Occurram eis quasi vrsa raptis catulis. porum, va-
Mutabitur scilicet mitissimus in crudelem, inque riè se gerit.
adeò ferum, Vt non mitescere poßit. *Ioan 1.*
Nec aspiciet me Visus hominis, id est Gregorio, *Osee 13.*
Misericordia Redemtoris. *Iob.7 &*
Adparatus certè vniuersus, Seueritatis futuræ, *Gregor.*
præco disertissimus est, si adtendis. *ibidem.*
Sensibus enim corporis ferè omnibns is terribilis Adparatus
Adspectui, Tactui, Auditui, Gustui, Odoratui, ac ad Iudiciū
Gressui ipsi. terribiliū.

* 1. *ADSPECTVI.* Duo enim Mundi huius o- 1. Adspe-
culi, Sol dexter, Luna sinister & deliciæ Noctis stellę, ctui.
tunc vnà nigrescentes, Iudicis Prætorium, id est
Mundum hunc vniuersum, tenebris horrentibus,
tanquam tapetibus pullis, atrabunt.

Sybillarum hoc vaticinium apud Augustinum: *D. Aug l.*
Eripitur Solis iubar, & chorus interit astris: *18. ciuitat.*
Soluetur cælum, lunaris splendor obibit. *c. 3.*

Et Christus ipsius: *Sol obscurabitur, & Luna non* *Matth. 24.*
dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo.

Et Prophetarum: *Erubescet Luna, & confunde* *Isai, 24.*
tur Sol, cum regnauerit Dominus exercituum.

Obtenebratus est Sol in ortu suo, & luna non *Idem c.13.*
splendebit in lumine suo.

Sol conuertetur in tenebras, & luna in sanguinē, *Ioel 2.*
antequam Veniat dies Domini magnus & horribi-
lis.

Solem nube tegam, & Luna non dabit lumen *Ezech 32.*
suum.

Sol factus est niger tanquam saccus cylicinus, & *Apoc.6.*
Luna tota facta est sicut sanguis.

Vti hominū metu, sanguis ad cor refluus, frigo-
re palloreque corporis membra externa adficit: Sic
Iudicii instantis horrore, radiis intrò receptis, Sol
& Luna tenebris cuncta inuoluent,

2. Tactui. * 2. *TACTVI*, cui quid nocentius igne? Attamen in tantis Solis, Lunæque tenebris, cætera, quasi Graiis ignibus adtacta, inextincte ardebunt. Terra, saxa, & (quod mirabilius) Vnda ipsa dabit flammas, quot flumina, tot Phlegetontes erunt, riuique flammarum, hominibus tunc superstitibus permolesti.

Non in vno tunc loco Ætna aut Vesenus erit; Montes æquè vbique omnes ignes eructabunt.

Ouid. l. 2. Metam.

Cumq; suis totas populis incendia gentes
In cinerem vertent, syluæ cum montibus ardent.
Quod modo pontus erat, siccæ fit campus arenæ.

Psal. 96. *Ignis* conflagrationis *ante ipsum præcedet*.

Montes sicut cera fluxerunt. j. fluent ab his flammis, velut liquefacti.

Omnia tunc; omnes tunc rogus vnus erunt. molesque tota mundi huius operosissima ibit in fauillam.

Arsurum etiam vel ipsum Cœli Capitolium putes.

Ouid. 1. Metam.

Esse quoq; in fatis reminiscitur affore tempus,
Quo mare, quo tellus, quo summus & ardeat æther

Terroresq; magni de cælo erunt, à fulgurationibus crebris:

Apud Aug. l. 18. ciuit. c. 23. (*Decidet è cœlis ignisq;, & fulguris annis*, ait Sybilla Erythrea) à cadentium syderum lapsu.

Delapsura enim sydera, aut
1. *Adparenter*,
2. *Verè*
3. *Aequiualenter*.

* j. *ADPARENTER*. *Vt interdum de cœlo stella sereno,*

Ouid. 2. Metam.

Quæ si non cecidit, potuit cecidisse videri.

* ij. *AVT VERE*, sicut defluit folium de vineâ, & de ficu. (Nam quid Cœlo stellis opus, homine subducto? quid viti cum folis, factâ vindemiâ?)

* iij. *AVT*

* iij. *AVT AEQVIVALENTER*, stellis 1.
scilicet aut lumine spoliatis; aut sui luminis influxū 2.
suspendere coactis, aut nubium obpositu præpedi- 3.
tis, aut à veri Solis. j. aduentantis Iudicis, vel magnæ 4.
totius Mundi conflagrationis splendore nimio ob- 5.
fuscatis.

Solent enim minora lumina maioribus obfuscari, & Solis iubare exorto, minora sydera non videri.

* 3. *AVDITVI.* Nā *littora littoribus contraria, fluctibus vndæ* collidentes, & à littoribus partim ab vndis aliis incursantibus repercussæ, mirum quā terribili fragore animos territabunt.

3. Auditui. *Virg 4. Aeneid.*

Iudicaturo Domino, lugubre Mundus immugiet.

D. Hier. ep. 1 ad Heliodorum.

Audin'? *Arescentibus hominibus, præ confusione sonitus maris, & fluctuum*, ait Christus.

Sed & *Terrores de cœlo*, horridos illos nubium collisarum tonos. j. tonitrua intelligo, quæ tunc solitò acutiora erunt, crebriora, asperiora, factura verè terrores magnos. Nam si nunc audacissimos quosque nostra adeò terrent, vt Caligulas efferatissimos sub cubile abdi compellant, & Atheos vniuersos Diuinitatis metu feriant, adeoque examinent, vt *Ioue tonante, fulgurante, comitia haberi nefas* olim fuerit, forte, ne metu adimente consilium Concilia minus rectè consulerent, quid tunc illa vndequaque auctiora?

Cic 2. de diuinit. 1. Thess. 4. 2. Cor. 15.

Aut *Terrores de cœlo* vocem Archangeli, à tuba Dei, interpretor, i. e. terribilis sonitus taratantara. Magno enim vocis clangore opus, si semel ac simul à Populis Cœlestibus, Infernatibus, & Medioximis audiri oportet tremendam illam indictionem: *Surgite mortui, venite ad Iudicium:* & si illo excitandi, qui plusquā Epimenidis, aut septem fratrū Ephesiorū somnū, in Cœmiteriis, i. e. Dormitoriis ac Sepulcretis, indormiêre. *Mittet Angelos suos cū tubâ, & voce magnâ, & congregabunt electos eius a quatuor ventis.*

D. Hier. in Matth. Diogen. Laert. l. 1. Vit. de Epimenide. Niceph. l. 4. Eccl. hist. c. 45 de 7 fratribus. Matth. 24.

Tuba-

Tubarum, Tympanorum, & tonitruorum omnium (quæ quamlibet aſpera, vix paucis miliaribus exaudiuntur) ſonos, litus ille Archangeli peruincet.

Muralium Machinarum omnium ſimul ſoni, muſca volans, ad hunc boatum, quo facilius, quam olim Sacerdotum tubis, muri Hierichuntini (ſi tum ſtarent) collabaſcant.

Matth. 24. Nam *& virtutes cœlorũ commouebuntur*, j. Cœlum ipſum moueri his poſſit & Angeli ipſi, non quiuis, ſed etiam, qui ex Virtutum j. fortiſſimorum & Cœli motorum ordine ac claſſe.

Ne addam voces fortaſſis in aere, vel à bonis Angelis ſuos tunc deſerturis, vel à malis, Dei deſertoribus profectus, auditum iri.

4. Guſtui. * 4. *GVSTVI*, quem fames à ſterilitate terræ, ab agris multiplici bello deſolatis; & ſitis, ab æſtu incenſi Mundi, ad arefactis fontibus, adfligent.

Matth. 24. Vox Chriſti: *Erunt peſtilentiæ, & fames.*

Lactant. l. 7. de diu. præmio c. 6. Lactantii: *Nec terra homini dabit fructum, nec ſeges quicquam, non arbor, non Vitis feret. Sed cum in flore ſpem maximam dederint, in fruge decipient. Fontes quoque cum fluminibus areſcent, Vt ne potus quidem ſuppetat, & aquæ in ſanguinem, aut amaritudinem mutabuntur.*

D. Hier. in reg. Monac. c. de timore vltimi Iudicii. Et Hieronymi: *Terra ardebit, areſcent flumina, & maria ſiccabuntur contra rerum naturam, & inſumto diuinitus humore ariditatem in aquis ignis operabitur.*

5. Odoratui. * 5. *ODORATVI*, qui nihil, præter aëra peſtiferum, naribus hauriet, & auras, poſt terræ motus, ſubterraneas corruptiſſimas, & ex cadaueribus brutorum, hominumque bello, Fame, Siti, Peſte pereuntium, meram peſtem.

Matth. 24. *Erunt peſtilentiæ*, ait Dominus.

* 6. GRES-

* 6. *GRESSVI*, ſub quo ſolum non amplius 6. Greſſus.
iam ſolidum ægrè ſtabit, Delon tremulam, aut a-
gellos illos Inſulares ad mænia Audomaritarum,
mobiles atque errabũdos (quos vidimus, tetigimus,
calcauimus:) aut nauem inter fluctus, vi ventorum
in diuerſa raptatam putes orbem tunc vniuerſum.

Infrà, Terram ſub pedibus tremulam, ac ſimilem *Num.* 25.
iam iam dehiſcenti, vt *deuoret habitatores ſuos, in* *Pſal.* 54.
Infernum viuentes: Suprà, Cœlum minax, ac ruituro
ſimile, vt obprimat, & elidat, erit intueri,

Audin'? *Erunt terræmotus magni per loca,*
qui vel annoſam illam turrim Babel, & celebrem il-
lam ſeu ab Alberico, ſeu ab Albone in arce noſtrâ
Montenſi inſtauratam, imò Vrbes, Monteſque ipſos
euertant.

Confractione confringetur terra, contritione con- *Iſai.* 24.
teretur terra, commotione commouebitur terra, agi-
tatione agitabitur terra, ſicut ebrius.

Iure dixeris de illâ: *Haud aliter titubat, quam ſi*
mera vina bibiſſet.

Non muri quemquam non turres tuebuntur Non *Senec. l. 3.*
proderunt templa ſupplicibus, nec vrbium ſumma. *nat quæſt.*
Eruentur funditus ciuitates atq; interibunt, non *c. 29.*
modò ferro atq; igne, verumetiam terræ motibus aſ- *Lactant l.*
ſiduis, & eluuie aquarum. *7 de diu*
Summatim: *Erit tunc tribulatio magna, qualis* *præmio c. 6.*
non fuit ab initio Mundi vſq; modò; nec fiet. *Matth.* 24.
Multa debent mala præcurrere, vt malum valeãt *D. Greg. hõ.*
ſine fine nunciare. *35 in Euãg.*
Certè, ſi cum leges Iſraëli, in Sinâ, figeret Deus, *Exod.* 19.
tonitrua, voces, & tubæ terribiles exauditæ, totuſq; Quæ om-
mons ipſe eſſe terribilis cæpit; multo magis hæc e- nia iram
runt, ipſo, de legibus læſis, quæſituro. Iudicis fu-
Atque adparatus iſte, irarum Iudicis mihi certus turam iudi-
eſt prænuntius: hâc paraſceue, nihil niſi *præparata* cant.
ad pœnam impiis iræ terror oſtenditur. *Hilar in*
Audi Pſalmiſtam: *Cõmota eſt, & cõtremuit terra:* *Pſal* 59.
fundamenta montium conturbata ſunt, & commota *Pſal* 17.
ſunt cu *quoniam iratus, eſt.*

A fa-

Ascendit fumus, in ira eius; & ignis, à facie eius, exarsit.

Ioel. 2. *A facie eius contremuit terra, moti sunt Cœli, & stellæ retraxerunt splendorem suum, à facie eius trepidabunt populi.*

Genes. 1. Vt lux primo die creata, Mundo beneuolentem Deum testabatur; ita tunc maleuolentem tenebræ illæ, & cætera vniuersa.

Exod. Vt triduana in Ægypto caligo, deuastandi regni fuit, sic ista, multādi ab irato Deo Mūdi, erit p̄nuntia.

E vultu familiæ totius, iræ heriles agnoscendæ.

D. Hier. in 25. c. Isaiæ. *Quemadmodum, irato alicuius familiæ hero vniuersam conturbari, commoueriq; familiam videmus; ita Domino, ad Iudicium in impios exercendū, descendente, omnes omnino creaturas conturbari, & commoueri videbimus.*

Quo non metu hæc tam multa, tam stupenda natura, tam insolita, Iudicandos territabunt?

Idem in reg. Monach. ca. de timore Vltimi Iudicii. *Si vmbrato repente cælo, Solis claritas nostris adspectibus denegetur, & productæ pluuiæ terris immineant: si commotis vt assolent, elementis, vt in rotā sui currus tonitrua concitentur, & dehinc fulgurum iacula palbebris terribiliter obiecta coruscent: quāquam & consuetudine ista contingant, pauemus, cōtremiscimus, & proni ad terram deposita superbia, ceruices submittimus: Quid faciemus in illa die miseri, quando reuoluto cælo cū Angelicis virtutibus igneus Dominus totus adueniet: Quando cadentibus desuper stellis, Sol in tenebras, & in sanguinē Luna mutabitur? Quando oēs sicut cera liquescent. Quando terra ardebit & arescent flumina, & maria siccabuntur contra rerū naturam, & insumpto diminutus humore ariditatem in aquis ignis operabitur? Quando peccatores dicēt montibus, cadite super nos, & collibus, tegite nos: Quando vocabunt homines mortem, & vocata non veniet: Quando discrimina vertentur in vota; & quod semper oderunt homines, concupiscent?*

Qua-

Qualem putas Iudicii Tragædiam fore, quam funestam, cuius tam horrendus adparatus?

III.

A Satellitio, Tempore, ac Iudicii loco.

* 1. *SATELLITIVM* verò quam facit etiam ad terrorem, quà Multitudine, quà Nouitate, quà Statione sublimi, ac minace, in nubibus! Satellitium etiam Iudicis terribile.

Tunc enim videbunt filium hominis venientem in nube, cum potestate magna, & maiestate. *Luc. 21.*

Enoch ita iam olim vaticinatus: *Ecce venit Dominus in sanctis milibus suis, facere Iudicium cōtra omnes, & arguere omnes impios.* *Iudæ 1.*

In armis stabit; *Multitudo militiæ cœlestis*, hinc Angelorum, isthinc Heroum beatorum, non ad custodiam, sed ad pompam. *Luc. 1.*

Regibus hoc in more.	1. *Ingredientibus oppida,* 2. *Ad bella prodeuntibus,* 3. *Ius dicturis.*	stipari multis.

* 1. *INGREDIENTIBVS oppida.* Sed hic secundus Christi, in Mundū ingressus, illo priore sanè illustrior. Quale Regum triumphantium.

Ergò. *Quemadmodum ingrediente Rege in ciuitatem, exercitus præcedit, ferens signa & vexilla regalia, & ambitus præparationis armisonæ anunciat Regis introitum: Ita Domino descendente de Cœlis, præcedet exercitus Angelorum, qui signum illud triūphale, Crucis vexillum sublimibus humeris præferētes, diuinum Regis cœlestis ingressum terris trementibus nunciabunt.* *D. Chrysost.*

Incidet, Crucem quasi adcusatorem præferentés. Euntium ad præliū.

* 2. *AD BELLA prodeuntibus.* Sed Christus tum venturus *Parcere subiectis, & debellare superbos.* *Virg. 6. Aeneid.*

D.Chrysost. in 24 c. Matth.

Ergò *si Rex terrenus processurus contra aliquem, expeditionem mandat populo, dignitates omnes, exercitus omnes excitantur, tota ciuitas feruet: quanto magis, cælesti Rege exurgente iudicare viuos & mortuos, Angelicæ Virtutes commouentur, terribiles ministri terribiliorem Dominum præcedentes? Ante ipsum, pro candelabris, fulgura viua præcedunt; & pro tubis, horrenda tonitrua.*

Virtutes Cœlorum commouebuntur, id est alio sensu, castra Angelorum Cœli portis bipatentibus effundentur.

Virgil. Aeneid.

Tumque omnis campis exercitus ibit apertis.

Psal.

Et ius dicturorum.

* 3. *IVS dicturis* Sed tum *iudicabit ille in nationibus, implebit ruinas.*

Chrysost hō. 14. op. imp.

Ergò, si *criminosas personas Iudex auditurus in publico, tribunal suum collocat in excelso, circa se collocat vexilla regalia, ante conspectum suum ponit super mensam tabellam, vnde tribus digitis mortem hominum scribat, aut vitam: hinc inde Officiales ordinatæ consistunt in medio secretario; ponuntur genera horrenda pœnarum, quæ non solum pati, sed & videre tormentum est. Stant iuxta parati tortores, crudeliores adspectu, quam manibus. Tanta Iudicij facies cuiusdam schematis terrore vestitur. Et cum ad medium productæ fuerint criminosæ personæ, ante interrogationem Iudicum, ipsius Iudicij terribili discutiuntur aspectu. Similiter & Dominus, se ad Iudicium venturum promisit, similiter cum terrore.*

Quid? etiam Infernus suos omnes, & Furias, & animas illas tot iam annis damnatas, catenatasque effusurus. Furias (inquam) Dæmonesque, damnatorum Lictores futuros.

Certè, hæc noui Iudicii noua forma, & tanta vis armatorum cogitata, terret oculos audacissimi cuiuscunque.

* 3. *TEMPVS* etiam quam horridum? — Sed & Iudicii tempus.

Iudicium enim celebrabitur. { 1. *Nocte intempesta,* 2. *Ex improuiso.*

* j. *NOX* enim tum duplex: à tenebris Solis, Lunæ, ac stellarum insuetis, ac fortean à recursu temporis nocturni. *Nam de die illâ & horâ nemo scit.* — Quà tenebris horridum. *Matth. 24.*

Scripturæ insinuant: *Nubes & caligo in circuitu eius Iustitia & Iudicium correctio sedis eius,* etsi insi.atus quidam *Ignis ante ipsum præcedet, & inflãmabit in circuitu inimicos eius.* — *Psal. 96.*

Dies Domini sicut fur in nocte. — *1. Thess 3.*

Adueniet autem dies Domini vt fur. — *2. Pet 3.*

Media nocte clamor factus est; Ecce sponsus venit, exite obuiam ei. — *Matt. 25.*

De aduentu sponsi, clamor in media nocte fit, quia sic dies Iudicij subrepit, vt præuideri non valeat, quando venit. — *D. Aug. hom. 12.*

Beati serui illi dicuntur, *quos vel secunda vigilia, vel tertia reuertens Dominus à nuptijs inuenerit vigilantes.* — *Luc. 12.*

Deinde: ferè noctu, Iudicia quædam priuata, publici huius quædã specimina, exercuit Iudex noster.

D. Hieronymus noctu virgis cæsus, quod esset æquo Ciceronior. — *D. Hier. ep. ad Eustochium,*

Et Vdo Episcopus noctu lasciuiæ pœnas dedit, pro Christi tribunali. — *Communis op.*

De diuite dicitur: *Stulte hac nocte repetunt animam tuam à te: quæ autem parâsti cuius erunt?* — *Luc. 12.*

Et apud Danielem: *Aspiciebam in visione noctis, & ecce cum nubibus cœli quasi filius hominis veniebat,* &c. — *Daniel 7.*

Vt Areopagitæ (opinor) noctu etiam Iudicia exercebant, credo, vt nullius cõspecto vultu, incorruptius iudicarent; ita & noster Iudex etiam noctu suũ, vt *qui non respicit personam hominis, cuiq; non est cura de aliquo.* — *Matth. 22.*

Vt Aduentu primo: *Cum quietum silentium contineret omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet omnipotens sermo exiliens de cœlo a regalibus sedibus prosiluit:* (*Pastores enim erant in regione illa, custodientes vigilias noctis super gregem:*) ita secundo, noctu, opinor, est reuersurus.

Sap. 18.

Luc. 2.

Quis verò nescit, terribilia, fieri, à Nocte ac tenebris, seipsis terribiliora? qualis nocturna Troiæ, aut cuiusuis vrbis captiuitatis; aut ad arma nocturnis clamor?

Fortè hac de re est illud psalmi, ad virum bonum: *Non timebis à timore nocturno.*

Psal 90.

Qua improuisum, acceleratumque.

* ij. *EX IMPROVISO* etiam, ac citò fiet.

Sicut in diebus Noë, ita erit & aduentus filii hominis. sicut enim erant in diebus ante diluuium, comedentes & bibentes, nubentes, & nuptui tradentes, vsque ad eum diem, quo intrauit Noë in arcam, & non cognouerunt donec venit diluuium, & tulit omnes: ita erit & aduentus filii hominis.

Matth. 24.

Sicut fulgur exit ab Oriente, & paret vsque in Occidentem: ita erit & aduentus filij hominis, scilicet Fulminis ocior alis.

Ac fortè, *de aduentu Sponsi clamor in media nocte fit, quia sic dies Iudicii subrepit, vt præuideri non valeat, quando venit.*

D. Aug. hom. 12.

In momento, in ictu oculi, in nouissima tuba (*Canet enim tuba*) *& mortui resurgent incorrupti.*

2. Cor. 15.

Terribilia autem, si improuisa, si repentina (vt Mortes, Bellaque illa, quorum iniuria ante sentitur, quam fama) etiam ipsis se fiunt terribiliora.

Gregor. Nazian orat. 26. in plagā grandinis.

D. Hier in 3 c. Ioelis.

* 3. *LOCVS verò vt terret sine in montibus, & collibus ineunda, sicut scriptura narrat, iuridicialis, Dei aduersus nos contentio:* siue (quod plures ex Neotericis, post D. Hieronymum, opinantur) vallis, Iosaphat media inter Hierusalē & Montem Oliueti, Prætorium erit, in qua, circum vicinisque locis eius, erunt damnati omnes (vt qui semper in ima animis

Sed & Prætorium ipsum terribile.

De quo opiniones duæ.

nimis pependerunt) electis in aera, corporum gloriosorum agilitate sublatis.

Rapiemur in nubibus, obuiam Christo in aera, ait Paulus: vbicunque tandem Prætorium, ac tribunal illud erit, *Terribilis erit locus iste*, seu vallis illa, seu mons aliquis prope Hierusalem, præruptus. 1. Thess. 4. Gen. 28.

Quæ tamẽ in valle Iosaphat ponit, similior vero.

Probant vallem Iosaphat Prætoriũ fore.
1. *Scriptura.*
2. *Significatum vocis,*
3. *Compendium viarum,*
4. *Vicißitudo,*
5. *Gloria,*
6. *Ignominia.*

* 1. *SCRIPTVRA. Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Iosaphat, & disceptabo cum eis ibi, super populo meo.* 1. Scripturâ. Ioel. 3.

Iesus sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. Ascendit autem ex monte Olueti, valli Iosaphat contermino. Act. 1.

* 2. *SIGNIFICATVM vocis.* Nam Iosaphat idem, quod vallis Iudicii, seu Dominus Iudex. 2. Significatio vocis.

* 3. *COMPENDIVM.* Commodus enim is Iudicio locus, ad quem, velut centrum, seu terræ habitabilis vmbilicum, vt creditur (vnde & illud: *Rex noster ante sæcula, operatus est salutem in medio terræ:*) vndequaque ab extremis terræ, pari celeritate, omnes confluant. 3. Compendio viarum. Psal.

A Regibus seu centuriata, seu primatum comitia, in regni meditullia coguntur, ex more.

Et Prætoria ferè in metropolitanis.

* 4. *VICISSITVDO.* Par, illic Iudicium Seueritatis haberi, vbi olim illud singularis Clementiæ, in Cruce habitum fuit. 4. Vicissitudine.

* 5. *GLORIA.* Gloriosus n. Iudicem ibidem, quam alibi regnare, eosdemq; premere, vbi, & à quibus anteà ipse oppressus fuit: & oppressoribus contumeliosius, idem vtrumque habere & sæuitiæ suæ 5. Gloriâ.

præeuntis, & pœnæ sequentis theatrum.

T Liuius dec.1 lib.6. *Luc.19.* T. Liuio notâ dignum visum fuit, quod M. Manlium *damnatum Tribuni de saxo Tarpeio deiecerũt: locusq; idem in vno homine, & eximiæ gloriæ monimentum, & pœnæ vltimæ fuit.*

Hinc & illud: *Inimicos meos illos, qui noluerunt, me regnare super se, adducite huc, & interficite ante me.*

6. Ignominia suffragantibus. * 6. *IGNOMINIA.* Nam exprobrandis beneficiis is locus aptior, vndè tam Iudex, quam Rei, locos illos prospectent, in quibus vltro citroq; & à Iudice olim collata illa, & à Reis accepta; cuiusmodi sunt Templum, Synagogæ, Prætorium, Mons Caluariæ, Sepulcrum, &c.

Virg. 1. Aeneid.

—*Hic illius arma,*
Hic currus fuit, hoc regnum gentibus esse
Si quà fata sinant, iam tum tenditq; fouetque
Iudex.

Cant. 8. *Hic fuit, hic docuit, temploq; orauit in isto.*

Gen. 28. *Sub arbore malo suscitauit te: ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua.*

Verè *terribilis est locus iste* Iudæis, ac Pseudo-Christianis, vt, cuius admonitu ingratitudinis humanæ vulnera recrudescent.

III.

A Iudicis solo vultu.

Denique & solus Iudicis vultus, 1. Quà is minax, Iudicis verò adspectus, vt toruus, vt minax! vt Impiis, vel ipso splendore terribilis!

Apoc. 1. *Videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt.*

Iob. *In carne mea video Deum Saluatorem meum.*

Atquàm varia variis vna Iudicis facies adparebit!

Christo

Christo enim vt Iano facies gemina { 1. *Diuinitatis vna,* 2. *Humanitatis gloriosa altera.* — Nam is bifrons.

Vtramque probis; Improbis solius Humanitatis faciem conspiciendam dabit. — 1. Quà Deus. 2. Quà homo.

Tollatur impius ne videat gloriam Dei. — *Isai.26.*

Sed & Humanitatis Christi bifarie adspectabilis, qua { 1. *Placita.* 2. *Irata.*

Placida illa, Probis, qui nunc timuere oportune; Irata, & (vt sic dicam) inhumana, Improbis hactenus imperterritis apparebit. Aut potius facies eadem, diuersos non vno modo, hos gaudio, illos horrore, affectura. — Et quà homo, placidus. Probis, Improbis iratus apparebit.

Vt Sol vnus idemque, pro oculorum varia valetudine, huic placet hunc molestat; sic Iudex, pro Cōscientiarum modo, adhuc tacens, hos recreabit, istos adfliget.

Dicis causà Duos vide ad tribunal vnum tractos, illum innocentiæ conscium sibi, alterum culpæ: etsi adhuc Iudex silet; quam tamen vtrique color dispar! Male conscius iram grauem hoc ipsum Iudicis silentium, putat. Iram inquam, non quam vox frementis Iudicis indicat, sed sceleris ipsa recordatio.

Silet scilicet Iudex vnus foris; sed illo seuerior alter Conscientia, terribiliter intus debacchatur. — *Ouid.2. Amorum.*

Multa miser timet quia fecit multa proterue. At ille alius bene conscius, ad decernentis Iudicis vultum foris hilarescit, quoniam, quod timeat, intus non videt.

Conscia mens vt cuique sua est, ita concipit intra. — *Ouid.1. Fastorum.*
Pectora, pro facto, Spemque Metumque suo.

Terrebit ergo Iudex, vel sola vultus, sed irati, Maiestate.

Quidni? Nam & Mithridatem Regem Ponti ferunt, vultus sola autoritate, terrori tanto fuisse immisso percussori Gallo, vt cædere non posset, ni cædendus cædentis manum, in sui cædem, adiuuaret.

M. Claudia. Paradinus in Heroicis. Galeazius ille Marius Dux Mediolanensis Francisci Sfortiæ filius, Andream Lampugnanum libidinibus suis infestissimum, & coniuratum, solâ vultus admirabilili specie, tantisper à sui cæde continuit, dum coniuratus, effigiem Tyranni pugione sæpius impetendo, tremulum animum ad veram cædem confirmâsset.

Breu. Rom. 11 Aprilis. Et Leonis oratio, & nescio cuius in veste Sacerdotali, & minaci gladio, adstantis vultus, Attillum orbis terrorem perterruit.

2. Qua splẽdore perstringens. *Matth. 17.* * *SPLENDORE* etiam. Dubitas? Transfigurati illius in monte Thabore splendorem, tres etiam ex amicissimis non ferentes, corruêre.

Abagari Edessenorum Principis pictor, iussus Christi faciem exprimere, non potuit; emicantem enim ex oculis splendorem non ferebat.

Matth. 21. Sacrorum illi cauponatores, templique Nũdinatores omnes, viso iratiore Christi vultu, magis quã flagello, fugati diffugêre.

D. Hier. ep. ad Princip. Armata militum Romanorum cohors, radiis oculorum eiusdem sic perterrita (vt autor Hieronymus:) & verbis illis duobus amicissimis (*ego sum*) quasi tot fulminibus, ita percussa, vt supina corruerit.

Psal. Is est, scilicet, *qui respicit terram, & facit eam tremere.*

Si terrores tanti, ab illo Amico adhuc, & Mortali; quanti ab Irato iam atque Immortali, fulgente, nõ vt Moyses *ex consortio sermonis Dei,* sed intus entis Dei, atque *inhabitantis corporaliter,* cuius splendorem (vt nos, in laternâ volubili, lucem) &, cum libet, prodit; & cum libet, occultat, multum, paucũ, quantum libet?

Solaris rotæ radios, quanti quanti sunt, è viciniâ ferre si nemo potest; quis immensi Solis huius iubar ferat?

Instar

Instar virorum Illyricorum, aut in Scythia fœminarum, iratè videndo, Improbos velut interimet. *Gell. l. 9. noctium c. 4. Autor Policrat. l. 5. c. 15.*

Vt oculis ægris lux crux: ita malè consciis, Maiestas tanta tormentum.

Et *Virtutes cælorum commouebuntur:* Et, *columnæ Cæli contremiscent*, id est, moueri possint vultu tuo, ac terreri, tu non formidabis?

Columnas Herculis, aut annosas quercus ventus moueat; non arundines aut virgulta? Scilicet.

Quid faciet virga deserti, vbi concutietur cedrus paradisi? *D. Greg. in Moral.*

Quid? Vel Angelica dumtaxat species examinat videntes.

Daniel certè, post Angeli conspectum, ita fatetur: *Non remansit in me fortitudo, sed & species mea immutata est in me, & emarcui, nec habui quicquam virium, sed audiens tacebam consternatus super faciem terræ.* *Dan. 10.* (Nam & Angeli splendor vix homini ferendus.

Et Apostolus, castæ Christi deliciæ; *Cū vidissem eum* (sc. filium hominis, Angelica specie) *cecidi ad pedes eius tamquam mortuus.* *Apoc. 1.*

Præ timore Angeli, exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui, Christo rediuiuo. *Matth. 28.*

Quid? Ac nè Moysi quidem faciem, à *consortio sermonis Dei* fulgurantem, ferebat populus Israel. Sicut nec hominis, homine paulò altioris.

Alexandri Magni, victoriâ desperatâ, ardentius dimicantis micantem vultum acies (Persarum opinor) tota vix sustinuit. *Vide Launæum libello de Hominis Excellentia.*

Marius ille septies Consul, quum victus à Sylla, Minturnas esset adductus, & ad eum mox necandū Eques quidam seu Gallus, seu Cimber (nam vtrumque fertur) sumto gladio, in cubiculum vmbrosum & raræ lucis, esset ingressus, ita oculis emicare mili ti visus est, vt barbarus abiecto gladio fugâ ocyus erumperet, id vnum vociferās: *Nō possum C Marium interficere.* *Plutar. to. 2. vit in Mario.*

Io Becanus Abb in hist. Tammerlanis gall.

Tammerlanes Scytharum Rex, Superborum ac Turcici maximè Imperii lupatum (ô vtinā diutius) ita oculis diuinum nescio quid præferebat, illis Maiestate magnâ corruscantibus, vt irrepercusse illum intueri haud facilè esset, ac sæpè adloquutores adspectu solo obmutescerent. Itaque modestia quadam, ipse oculos à dicturis adsolebat diuertere.

Hest. 15.

Hester ad mariti Regis irati conspectum *corruit, & in pallorem colore mutato, lassum super ancillulā reclinauit caput.*

Terrebit terrebit, vel adspectu solo, Improbis Iratissimus Iudex iste homo Deus.

Abac 3.

Audin'? *In fremitu conculcabis terram, & in furore obstupefacies gentes.*

Mich 5.

Faciam (ait ipse) *in furore, & indignatione vltionem.*

Ezech. 7.

Non parcet oculus, & non miserebor.

Osee 13.

Occurram eis, quasi Vrsa raptis catulis, dirumpā interiora eorum, & consumam eos, vt leo.

Isai 2.

Vota Improborum terrorem illum ingentem probant.

Vrsâ catulis orbatâ nihil ferocius. Tu verò quot Christi catulos rapuisti? animam imprimis tuam, & eorum deinde, quos consiliis, scandalis, illi subtraxisti. Non tu vrsæ illius occursum times?

Denique, Ingentem à vultu Iudicis metum fore, quæsitæ tum ab Improbis optatæque latebræ clamant.

Osee 10.

Introibunt (inquit Isaias) *in speluncas petrarum, & in voragines terræ, à facie formidinis Domini, & à gloriâ Maiestatis eius, quum surrexerit percutere terram.*

Et Osee: *Dicent montibus, operitè nos, & collibus, cadite super nos.*

Et Ioannes Euang. *Reges Terræ, Principes Tribuum, Diuites & Fortes, omnis seruus & liber dicēt montibus & petris cadite super nos, & abscondite nos, à facie sedentis super thronum, & ab irâ agni,*

j. olim

j, olim agni, nunc à læsâ patientiâ, Leonis.

Quasi, ad Medusæi capitis adspectum, cum Atlante metu lapidescent. *Ouid 4. Metam.*

Chrysostomi senso, *Infinita satius est fulmina sustinere, quam illam mitem faciem nos aduersantem videre, & tranquillum oculum in nos respicere non sufferentem.* *Chrysost. hom. 47. ad Antiochũ.*

Spes tantum sit vel tandem elabendi, optatior prope Infernus ipse, breui illâ coram Iudice iratissimo statione.

Vouet Iob: *Quis mihi tribuat vt in Inferno protegas me, & abscondas me, donec pertranseat furor tuus, &* (ad spem) *constituas mihi tempus, in quo recorderis mei?* *Iob. 14.*

Quis stabit ad videndum eum? *Malach. 3.*

Quid tam pauendum, quid tam plenum anxietatis, & vehementissimæ solicitudinis, excogitari potest, quam iudicandum astare illi tam terrifico tribunali, & incertam adhuc expectare; sub tam districto Iudice sententiam? *D. Bern. ser. 8 ad Vers. 8. Psal. Qui habitat.*

Time tu modò oportunè, vt ne importuno serioque, tunc timore perturberis, sed magis cum Apostolis hilarescens *leues caput.*

Stante adhuc Candido, Clementiæ; aut purpureo, Seueritatis alicuius, quasi Purgatorii, tentorio, te Tammerlani isti dede, neque Atrum illud post mortem expecta. Cui remedium nunc timere.

Propugnandi tui impotens, *Roga quæ pacis sunt.* *Luc. 14.*

Debilis Iacob, istum Esau iratè occursantem muneribus placa.

Vitari terror Iudicis non nisi ante Iudicium potest. Modò non cernitur sed precibus placatur. Cum verò in illo tremẽdo examine sederit, & videri potest, & placari iam non potest. *Genes. Greg. l. 4. Moral. cap. vlt*

Si nosmetipsos diiudicauerimus, non vtique iudicabimur. *D. Bern. ser. 55 in Cant.*

Bonum

Bonum Iudicium, quod me illic districto, diuinoq; Iudicio subducit, & abscondit. Volo vultui iræ, iudicatus præsentari, non iudicandus.

Et credo, hæc vniuersa meditantibus hunc facilè sensum futurum, qui Regis fratri cuidam, ab hâc arte, olim fuit.

Vti ex priscis Regib. quispiam.

Ferunt, ex priscis Regibus aliquem hæc seriò, atque intense meditātem, breui grauitatem Stoicam induisse, vanâ se lætitiâ abstinuisse, & (cum, Aulicorum suasu, inhumanitati ac melancholiæ id tribuētium, Germanus eius, aliquandò causam proiectionis tantæ reuerenter ex eo quęsisset) aisse, cras se responsurum. Ex more autem, Rex (si quem capite damnatum vellet) iubebat vespere fatalis diei, pro domo damnati, clangi terribiliter tuba huic vni rei dumtaxat decretâ, clangorque ille, mortis decretæ signum erat certissimum. Igitur vespere illo, Rex, tubâ illâ ferali, ad fratris fores, clangi iubet; Expauescere verò tùm frater inaudito illo clangore; noctem cum familiâ totâ insomnem ducere; primulo diluculo, atratus, sordidatus, scissa veste, lacero crine, prodire; ad palatii fores, ad Regis fratris pedes aduolui, prehensare, veniam poscere; Rex contra, velut rerum nescius, quærere; vnde hi luctus tui, ac preces (mi frater;) Tuba (inquit ille) funerea, quę heri pro foribus meis insonuit, hos metus, has lachrymas ciet. Itaq; cum rex ad fratrē, placidè: Ad feralis tubę vnius taratātara, tu, & frater, & charissimus, & nullius offensæ conscius, ita trepidasti? tu hominis tu mortalis; tu fratris amicissimi, tu inoffensi Regis facie sic perhorruisti? Ego verò homuncio, & cōscius tot delictorum (ne dicā, multa quę excidere potuerunt) & staturus ad tribunal Dei, Immortalis, Insuperabilis, Inflexi, irati non trepidem? Hoc scilicet est (mi frater) hoc vnum, quod irrequietè me lancinat, & seueriores vitæ, ac genii facit. Sic Aulicis vnâ

omni-

omnibus, & Germano, Rex, & agelastiam suam, & tristioris vitæ genus probauit. Ac profectò is silicē gerit in pectore, quem Iudicii vltimi (quod seuerissimum fore, ab adparatu tam horrendo, à tentorio tā atro, facilè est censere) nec metus vllus ferit, nec à libidinibus seria cogitatio auertit.

CONCIO X. *vel in ord.* XXV.

Them.] *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisq; propria corporis, prout gessit, siue bonum siue malum.* 2. Cor 5.

FActâ repetitione, ita propositum.

Dicendum hodiè, rursus formidabile Iudicium, quà
1. *Sententiæ fatum stabit immutabile;*
2. *Reis nulla, vt in aliis Iudiciis subterfugia;*
3. *Et pœna indicta ineluctabilis.* AVE.

Propositio.

I.

Formidabile Iudicium, quà Sententiæ fatum stabit immutabile.

Etiam ac maximè quidem, terret Sententia illa, atque (vt ita dicam) fatum illud nunquam reuocabile, *Ite maledicte in ignem æternum.* — Terret etiā Sententia irreuocabilis. Matth. 24.

Dauum

Terrent. in Andriá,

Dauum suum Simo senex sic adloquens, *Ego si sensero* (à te scilicet nuptias turbari) *ego te in pistrinum Daue dedam.*

Ea lege, atq; omine, vt, si te hinc exemero, ego pro te molam; Sententiæ firmitate territabat q.d. Si te à trirenibus, semel damnatum libero, ego pro te remex futurus, id est, nunquam de sententiâ discedā; æternum moles.

Itâ statuta sententia illa, *Ite maledicti*, &c. vt Christus, si recantarit, aut resciderit, ipse pro nobis sit arsurus.

Paul. in Digesto de Arbit.

Dicet sententiam, eâque mente pronunciabit, vt secundum hoc, discedere eos, qui litigant, à totâ controuersiâ, velit.

Caius reuocandæ causa nulla Ex quatuor illis vulgatis.

Deerunt enim tūc mutādi decreti causæ omnes.

Mutandi decreti hæ fere causæ.
- 2. *Iniquitas decreti ipsius,*
- 2. *Intercessio bonorum,*
- 3. *Pœnitudo Reorum*
- 4. *Mutatus Iudex,* vel *Intellectu, Voluntate, Personâ.*

1. Iniquitate ipsiusdem.

* 1. *INIQVITAS decreti* quæ, cum innotuit, aut ab Iudice eodem, aut alio, decretum vetus, nouo, rescindendum.

Quæ quadrifarie contingit.

Sed *nunquid iniquitas apud Deum? absit.*

Iniquitatas vero decreti contingit, nunc ex
- 1. *Præcipitantiâ.*
- 2. *Quæsitione indiligenti,*
- 3. *Morbo animi in Iudice,*
- 4. *Testium neauitia.*

j. Vel præcipitatione.

* j. *PRAECIPITANTIA*, quæ est inimica consilio, cum scilicet de vix benè accusato aliquo, vixque audito, fertur extemplo sententia.

Hester. Act. 6 & 7.

Sic Assuerus ferale illud, de Iudæorum excidio, Amano solicitante decretum, præcipitârat, & Iudæorum proceres, de Christo in crucem agendo, & Stephano lapidibus obruendo.

Senec. in prou. D. Chry. sup. Mat. c. 1.

Quanquam *Deliberandū est diu, quod statuendū est semel*, maximè verò in causa capitis, vbi satius indulgentia quam impietate peccâsse. Chry:

Chrysostomi enim senso : *Iustius est iniustum * Iuste euadere, quam iustum iniustè punire: quia reus etsi semel euaserit potest iterum perire: innocens autem si semel perierit iam non potest reuocari.* * *Iniustè vel.*

Nulla satis, de morte hominis, cunctatio longa. *Iuuenal. sat 6.*

Mors enim inflicta, non profligatur; neque vitā, ab vno Iudice ademtam semel, mille Iudices reponant. Quæ in causa capiti maximè fugienda.

Democriti cēsurâ *is Iudex optimus, qui citò intelligit quidem, at lentè iudicat.* *Anton. serm. de incorruptis Iudicibus*

Areopagitæ videre, qui in caussâ mulieris, viri & priuigni parricidium fassæ, ob necatum prius ab eis primi tori innocentem filium; re dubiâ, abire, ad annum centesimum, Ream, & Actores iussere, centesimo decreturi. *Aelian. lib. Variæ hist.*

Et Lacedæmoniorum senes, qui cognoscendis causis de capite, plures dies deposcebant. *Plutar. in Laconicis.*

Nam *Ad pænitendum properat; citò qui iudicat.* *Pub Mimus.*

* ij. *QVAESTIONE indiligenti* vel legum, vel factorum, vel circumstantiarum, quarum aliæ damnant, aliæ absoluunt. ij. Vel quæsitione in curiosâ.

Ignorantia Iudicis plerumq́; est calamitas innocentis. *D. Aug. l. 9 ciuit. cap.*

Putatur enim sæpè aliquis legem Dei violasse, qui statutum homunculi tantum; Sacrilegium admisisse, qui furtum; cupiditate violasse ieiunium, qui necessitate.

Itaq; & alia, pro alia, fertur sententia, mutanda certè, rebus lucescentibus, & verò emergente.

Ita Censores Rom. cum ciuem altius oscitātem, in auditorio Censorum, ignominiæ notâ affecissēt, admoniti, non incontinentia, sed valetudine, factū, illicò restituêre. iij. Vel adfectu prauo, qui in Iudice inest.

* iij. *MORBO animi*, Irâ, Odio, &c. quibus acies Iudicii obtunditur, & voluntas extra terminos suos abripitur.

Quum

Quintil. l. 6. institut.

Quum irasci Iudices, fauere, odisse, misereri cœperunt agi in rem suam existimant, & sicut amantes de forma iudicare non possunt, quia sensum oculorũ premit amor: Ita omnem inquirendæ Veritatis rationem iudex amittit, occupatus affectibus.

1. Reg.

Testium dolis.

Ita Saul Sacerdotum chorum, qui gladium panesque Dauidi fugitiuo dedissent, mox per iram cędi iubet.

Senec. l. 3 de ira c. 17.

Herodes verò tot pueros innoxios, vnius Christi odio trucidari.

Alexander Magnus Clit. amicum inter epulas *transfodit, & manu quidem suâ, parum adulantem,* quem irâ deferuescente, magno, rediuiuum mercari vellet.

* iiij. *TESTIVM nequitiâ*, falsa pro veris, vera pro falsis iurantium, ista innocentis salutem, illa in innoxii necem.

Dan. 3. 3. Reg. 21.

Obcursant huiusmodi infinita, vt de Susannæ adulterio; de Nabothi blasphemiâ, &c.

1. At iniquum esse non potest fatum illud vltimũ, *Ite maledicti &c.* quoniam minimè præcipitatum quod tot annorum milibus fari distulit Deus, ac

Valer. Max. l. 1. c. 1.

suspendit, *lento gradu* ac laneo, *ad vindictam sui procedens*, librans scilicet nunc magno otio, quod
2. tunc decernat. Neque indiligenter causæ discussæ ab eo, qui ipsius ex alto omnia intuetur atque inda-
3 gat. Neque morbo animi deceptus, qui ab Adfectu
4. omni est liberrimus. Nec Testibus, qui in causâ nostrâ nobis ipsis confitentibus reis vtitur.

Ergò, nec spes vlla mutandi, aut molliendi fati illius: *Ite maledicti in ignem æternum.*

Matth. 25.

2. Intercessio bonorũ etiam huc valet.

* 2. *INTERCESSIO bonorum*, quæ, vt apud homines sæpe, sic & apud Deum est potentissima.

Gellius l. 13. noct. c. 12.

Gellii sensu, *Tribuni plebis antiquitus creati videntur, non iuri dicundo, sed intercessionibus faciendis, ut iniuria, quæ coram fieret arceretur*, id est, vt vim fieri vetarent.

*j. *APVD HOMINES.* — Apud Homines.

Daniel Susannam adulterii falsò ream: Christus deprehensam ac nocentem intercedendo liberauerunt. — *Dan.13.* *Ioan.8.*

Zaleucus, populo intercedente, filio adultero oculos vti statuerat, oculos ambos non expunxit, sed *ad vltimum precibus populi euictus, suo prius, deinde filij oculo eruto, vsum videndi vtique reliquit* — *Vale. Max. l.6.c.5.*

Ionatham Saulis patris vindictæ, degustato ab eo, contra edictum, melle subtraxit populus, dicens *Ergone Ionathas morietur, qui fecit salutem hanc magnam in Israel? hoc nefas est, viuit Dominus, si ceciderit capillus de capite eius in terram, quia cum Deo operatus est hodie.* — *1,Reg.14.*

Hester Regina ferale Assueri, de trucidanda gente Israelis, edictum reuocauit, digna virago mulieris nomine, quæ sic herum mollierit. — *Hester.*

* APVD DEVM. Aaron, stans inter viuos ac mortuos, cædi publicæ finem impetrauit. — *Num.16.*

Moysis interuentu, tota gens, post vitulum adoratum, ab internecione absoluta. — *Exod.32.*

Dauidis hac prece; *Dic Angelo percutienti, cesset iam manus tua,* pestis deseuiit. — *2.Reg.24.*

Christi Matrisq; deprecationibus, quam sæpe feralia Dei in nos decreta mutantur.

At Intecessor in iudicio illo, neque instar Tribunorum plebis turbulentè obsistens, neque Diuorum instar blandè deprecās nullus adfuturus, aut si quis, certè vanus. — Sed in iudicio vlt. aut nulla.

Quis enim dicet tibi, quid fecisti? aut quis stabit contra iudicium tuum? aut quis in conspectu tuo veniet, vindex iniquorum hominum? — *Sap.12.*

Pro hac orabit ad te omnis sanctus, sed *in tempore oportuno.* — *Psalm.*

Aut tunc non orabunt Sancti, aut non exorabunt. — Aut vana.

Ezech. 14. *Tres viri isti Noe, Daniel. & Iob ipsi iustitia sua liberabunt animas suas . nec filios, nec filias liberabunt sed ipsi soli liberabuntur*, id temporis.

Psal. *Lætabitur potius iustus, cum viderit vindictam; manus suas lauabit in sanguine peccatoris.*

Cum volũtas SS. Deique sit vna. Beati, velut serui probi, *Vultum è vultu Domini comparant; si dixerit æstuo, sudant.*

Plaut. Iuuen sat. 3. *Luc. 16.* Gaudet Deus de conuersione peccatoris? Etiam *gaudium est Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente.* Symphonias & choros vna tunc omnes exercent, quorum strepitus, cum innoxiè tonat forsitan inaudimus.

Isai. 14. Dolet Deus vlciscens, ac dicit: *Heu consolabor de hostibus meis?* illi condolent, & vna cum illo anguntur.

Ergo & tunc, Deo iudicia seuera hilariter exercente, etiam ipsi hilarescent, blandi, Creatoris sui adulatores.

Quidni? *Iudicia enim Domini vera, iustificata in semetipsa.*

Stabit igitur fixum nullo potenter intercedente, ferale hoc iudicii illius decretum, *Ite maledicti*, &c.

3 Et Reorũ pœnitudo. * 3 *POENITVDO Reorum.* Facta infecta propè facit scelera pœnitentia.

Sen. in Agamen. *Quem pœnitet peccasse, pene est innocens*, ait quidam.

D. Amb. de Caim & Abel. *Mitigat iudicem pudor Reorum.* Dauidem absoluit *Peccaui* illud vnum vulgo, cantatissimum.

Hierem. 18. Et vox Dei est ista: *Repente loquor aduersus gentem & aduersus regnum vt eradicem & destruam, & disperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa, à malo suo, propter quod locutus sum aduersus eam, agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui vt facerem ei.*

Res apud Dei nunc potentissima.

D. Amb. l. 1. in Lucam. Nũc certe ita habet: *Nouit Dominus mutare sententiã, si tu noueris emendare delictũ*, ac mentem in vtramque partem.

Vultum Deus è vultu tuo pœnè comparat,&velut arbitrio tuo nunc & miserescit & sæuit.

Experti multi. Niniuitæ imprimis, de quibus etsi dictum (*Adhuc 40. dies, & Niniue subuertetur,*) tamen quia Rex & pop. ipsaque armenta luxere, decreto ferali abrogato, superstitere. *Iona 3.*

Ezechias quoque. Nam illud (*Dispone domui tuæ quia morieris tu, & non viues.*) rescissum, & mœrēti 14. vitæ anni adiecti. *Isai. 38.*

Et Achab, post exitiale illud nuncium (*Hæc dicit Dominus: Occidisti insuper & possedisti... In loco hoc, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum:*) cilicio, ieiunio, dormitione in sacco, & id genus spontanea sui castigatione, extorsit hoc Deo: *Nonne vidisti humiliatū Achab coram me? quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius, sed in diebus filij sui inferam malum domui eius.* *3. Reg. 21.*

Mutauit ille tunc sententiam, quia delicta illi mutauerant.

Quanquam non tam sententiæ illæ fuere, quàm minæ, ac terrores: aut, si sententiæ, certè conditione restrictæ, (Si, Nisi, &c.)

Neque tamen minùs verax Prophetia, sensu ita scilicet diuiso: Si Niniue, qualis nunc est, talis perseuerat 40. hinc die subuertetur: Sed Niniue 40. die non eadē fuit (*Verte .n. impios, & non erunt*) Quid igitur mirum, si subuersa non fuit? De prima enim dumtaxat ac scelerosa Niniue dictum erat. *Prouerb. 12.*

At in Iudicio isto nihil tale; neque minæ illic sed decretum merum, atque (vt ita dicam) fatum, nulla conditione de pœnitudine, aut impœnitudine, nec adiecta, nec subaudita. Nihil ibi ad terrorem dictum. Tunc imbecillima.

D Aug. l. 3. de symbolo — Tum *Iudex nec satisfactione, vel pœnitentia mitigabitur.*

Sap. — Erunt quidem illic omnes *pœnitentiam agentes*, sed seram, nec veram, nec profuturam.

Cic. l. 7 ep. fam. ep. 16. — *In Equo Troiano scis esse in extremo*, SERO SAPIVNT.

Notanda ergo hic differentia duplex.
- 1. *Temporum*, qua hoc miserendi est; illud, vindicandi,
- 2. *Sententiarum*, qua comminatoriæ illæ ac conditionum plenæ; ista, decretum ac fatum.

Emendandi, merendi, ac miserendi tunc tempus euanuit scilicet.

Mortuo homine, nulla erit spes vltra.

Prouerb, 11. — Omnes *ligatis* tunc *manibus & pedibus*, promouendi impotentes.

A temporũ sententiarumque diuersitate. — Hoc Mors homini, quod Angelo lapsus.

Stant omnes statu tunc immobili, tã Probi quam Improbi, Angeli, Hominesque,

Neque Deus à sententia recessurus, sed ne molliturus eam quidem, vt nunc sæpè.

Virg. 6. Aeneid. — *Desine fata Deum flecti sperare precando.*

4. Et Iudex mutatus. — * 4. MVTATVS iudex, aut
- 1. *Intellectu*,
- 2. *Voluntate*,
- 3. *Persona cedente.*

Vel Intellectu. — * j. *INTELLECTV*, cum fit, emergente veritate, doctior.

Vide V. Bedũ ho. 11. in li. Luc. (A qua mutatione abest Deus.) — At Sapientiæ Christi nulla, per tempus, incrementa, quem à prima conceptione Spiritus sapientiæ impleverat, imò qui ipsa Sapientia & Natura, qua Deus, & Persona, qua Dei Filius.

Puer ille plenus sapientia, & gratia fuit, ab ipsa conceptione, aiunt Theologiæ Magistri.

Apud Magist. 3. sent. dist. 13. §. a. — Hinc Hieremias: *Nouum faciet Dominus super terram: mulier circundabit virum:) quia in vtero virginis perfectus vir extitit non solum propter animã & carnẽ: sed etiam propter sapientiam & gratiã, qua plenus erat*, ait Magister.

Ne-

Neque Christo, vt cæteris, *veritas temporis filia*: neque ipse vt nos, temporis discipulus.

Nec obstat illud: *Et Iesus proficiebat Sapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines.* Nam illud, non in Christum deriuatam, sed à Christo ad alios traductam insinuat sapientiam & gratiam, id est, Indies magis magisque vim Sapientiæ reconditam expandebat hominibus videndam, palpãdam: vel per eam, velut instrumentum, fiebat hominibus Patrique Deo, meritis nouis gratiosior. *Luc, 2.*

* ij. *VOLVNTATE*, si fiat aut maleuolentior, aut beneuolentior.

Accidit. Nam initio deliciæ Adsueri Aman, tandem amaruere; Mardochæus cum Iudæis antea fastiditi, denique dulcuerunt vt volubiles sunt rota rum ventorumque instar hominum maxime Principum voluntates & in vtramque partem, odii amorisque cito ac momento leuiculo, transfugaces.

Sed Deus immutabilis dans cuncta moueri.

Ego Dominus, & non mutor. *Malac. 3.*

Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. *Iacob 1.*

Vox Iouis ex Homero: ὐδέ γαρ ὐδεν ἐμον παλινάγρετον ὐδ' ἀπατηλόν Ουδ' ἀτελεύτητον, ὅπερ ανκεφαλῆ κατανεύσιο. id est (vt ego verto) *verbum irreuocabile, non fallens, & non inefficax, quodcunque capite annuero.* Quæ in Deo constantissima. *Homer. 1. Iliad.*

Quod Cœli Augusto placuit semel, noo displicet postea vnquam.

Adeoq; apathos, & minimè æger animi hic iudex, vt nullum, ira feruẽte, factum aut fatum emittat, quod eadem, instar ferri candentis, deferuescente, infectum infatumue voueat.

Ab Alexandro per iram amente animi, ad pacatum & menti redditum fas prouocare; ab isto nefas, qui nec vt Duce, nec vt milite, ira vtitur, seu Æquitate.

Dedecet.n. maximè legiferos voluntatis inconstántia. Et indecora sane iudici, sententiæ, vti & legum; inconstantia, & triduana illa firmitudo statutorum.

Ideo leges olim in tabulis æreis scriptæ. Mosaica in lapideis, ideo fixæ dicuntur & sanctæ, vt firmas scires esse oportere.

Virg.6.Aeneid. Probri loco dictum: *Fixit Leges pretio, atque refixit*, non modo auaritiam carpendo, sed & inconstantiam.

A qua, ipsorum. Retractatio frequens, contemptus parens, quasi aut imprudentia legem euomuerit, aut iniustitia extuderit, aut ipse Censor animal sit inconstantiæ,

Legumque contēptus. *Salust.ora. in Ciceron.* in quem iactari merito possint probrosa illa; *Aliud stans, aliud sedens de Repub.cogitas*; *Homo duabus sedens sellis*, &c.

Et hinc legum irreuerentia, vt quas tum ita excipiunt populi, vt hospites cras abituros, neque redituros deinceps vnquam.

Plutarch.in apoph. Philippus Macedo vidit, qui multare se ipse maluit, ne iniustus esset, quam reuocare sententiam, ne leuiculus haberetur. Nam cum pro tribunali sedēs, dormitabundus, minusque ad iuris æquitatem adtentus, de Machetæ cuiuspiam causa cognouisset, & iniquiorem tulisset sententiam; Machæta exclamante, se à dormitabundo, ad attentum prouocare, surrexit, & cognito sententiæ errore, non rescidit illam quidem, sed pecuniam, qua iniquè multatus fuerat Machætes, ipse persoluit, nec iniustè, nec inconstanter scil.

Dan.6. Et Medi ac Persæ (vt opinor) sub Dario, *quorum decretum præuaricari non licet*.

Pilatus etiam in hac parte, dum ait: *Quod scripsi, scripsi*.

Et tu Fatum hoc *Ite maledicti in ignem æternum*;

num, aut mutaturum inconstanter, aut molliturum muliebriter speres immutabilem ipsaque constantia constantiorem Deum?

Desine fata Deum flecti sperare precando. — *Virg. 6 Aeneid*

* iij. *PERSONA*, si aut officio, aut vita, seuerior ille perfungitur, & quispiam succedit mitior: aut si prouocanti, alius indulgetur. — Vel persona.

Summis iudicibus ac Monarchis ea res grauis quidem, at non insolens, neque inconcessa.

Vnus Antonius Pius Imperator, vt ab eo, si malè senserit, prouocaretur, sanxit. — *Vlpian. l. 48 digest.*

Paulo, ne Hierosolymam duceretur, à Festo, ad Cæsarem adpellanti, dictum *Cæsarem adpellasti, ad Cæsarem ibis.* — *Act. 25.*

At iudex noster vti immortalis, ita perpetuus; neque ab eo prouocatio vlla, neque sententia interlocutoria, neque dilationis (vt isti vocant) cautela. — Quæ nobis semper eadem.

Nam quo, aut ad quem prouocetur?

Vlpiano, *Qui appellat, maiorem iudicem debet appellare.* Sed *nullus ei similis in Legislatorib Quis poterit scrutare vias eius, aut quis ei dicere audet, operatus es iniquitatem?* — *Vlpian. Iob. 36.*

Forte an Pater? *Sed is omne iudicium dedit Filio.* Omne (inquam) priuatum, publicumque, atque in his ita pronunciare illum voluit, vt, sine controuersia sententiæ stetur illius.

Hic terminus hæret. — *Virg. 4. Aenein*

Sed (inquis:) vt stet sententia: mollietur tamen opinor. — Vnde nec hac sperandum quidquam.

Nam & sæpe hic Mortes commutatæ { 1. *Naturalis,* 2. *Inhonora,* 3. *Saua.* } in { 1 *Ciuilē* 2 *Decentiorem* 3. *Hilariorem.* } { 1. *Exilium.* 2. *Seruitutem.* }

Sed nec vlla, vt alias, tunc à rigore sententiæ discessio.

Gabaonitæ, ne occiderentur, seruire iussi.

Nobilibus, gladius, vice laquei, decernitur.

Militibus, sclopetarum ictibus, ad palum ligatis, perire permittitur.

Arsuris ante ignes, præfocationes conceduntur.

Frustatim distrahẽdi, ante vel gladio, vel laqueo, enecantur.

Clementiæ quoddam genus est, segnius esse crudelem.

At tale illic nihil, de sententiæ latæ rigore nihil discedetur.

Audin'? *Non reuertetur furor Domini, vsque dum faciat, & vsq; dum compleat cogitationes cordis sui, & dabit iniquos in obprobrium sempiternum & in ignominiam æternam, quæ nunquam obliuione delebitur.*

Luc. 16. Mollietur inquis? Ita scilicet, vti Epuloni inter flammas roganti concessa est aquæ stillula; & vt à Christo, suos ab his pœnis redempturo, calix translatus est.

Ezech. 23. *In via sororis tuæ ambulasti* (obstinatè peccasti, instar naturæ Angelicæ) *& dabo calicem eius in manu tua. Hæc dicit Dominus Deus Calicẽ sororis*

Isai. 51. Psalm. 74. *tuæ bibes profundum & latum* (nihilo mitius Angelis damnabere) *eris in derisum & subsannationem, quæ est capacissima. Ebrietate & dolore repleberis: calice mæroris & tristitiæ, calice sororis tuæ Samariæ. Et bibes illum, & epotabis vsque ad fæces, & fragmenta eius deuorabis.*

Hierusalem bibisti de manu Domini calicem iræ eius: vsque ad fundum calicis soporis bibisti, & potasti vsque ad fæces.

Calicis, qui in manu Domini, fæx non est exinanita; bibent omnes peccatores terræ. fæcem ipsam, & amarissimum illius ebibere cogentur.

II. *Reis*

II.

Reis hic nulla, vt in aliis Iudiciis, subterfugia.

Dubio tamen procul, audietur & pars altera, eritque (Romano more) suus defensioni locus: nemo causa indicta damnabitur.

Non enim ei regnandum (ne Philippo Macedoni quidem) cui causam vetulæ poscentis audire non vacat. *Plut. to 1. moral in apopht. ver. Regum.*

Apage à Iudiciis Malchos illos dextra exauritos, auritos sinistra, id est, quibus pars altera, eaque læua accusatoris dumtaxat auditur.

Vox n. Dei; *Præcipe Iudicibus, dicens.* *Deuter. 16.*

Audite illos, & , quod iustum est iudicate. Sed etsi defensioni illic locus.

Item: *Ita paruum audietis, vt magnum.* Audi & alteram partem, ait popellus.

Hac fini olim iudices Hebræorum, in portis vrbium sedere iussi, quo facile vniuersi ipsos adire, audire ipsi æquè vniuersos possent. *Deut 1 & 2 paral. 19.*

Hinc illud: *Nobilis in portis* (id est in Senatu) *vir eius!* *Prouerb. 31.*

Et? *Non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta,* id est coram iudicibus. *Psal.*

Sapientum censura. *Qui prius condemnauerit, quam causam luculenter audiuerit;* *Menander.*

Is malus est, quia male credidit.

Qui statuit aliquid parte inaudita altera; *Senec. in*

Æquum licet statuerit haud æquus fuit. *Medea. 4.*

Salomoni sapienter audita æquè vtraque meretrix. *3. Reg.*

Alioqui, magni & magnorum casus.

Genes. 39. Putiphar Iosephum seruum, à Domina
Theseus Hippolytum filium, à Nouerca
Senec. in Hippolyto. Prætus Rex Argiuorum hospitem Bellerophōtem, à Sthenobæa vxore.
Daniel 13.

{ falsò procacitatis adcusatos, quia inauditos, qua potuere, perdiderunt.

Susannam populus, auditis senibus solis tantum no lapidibus obruit.

Christus, quia Dicæarchus j. iustus Princeps, imò vero iustitiæ Iudicumque idea perfectissima, in iudicio illo tam solenni, certè & alteram partem auditurus

Bonos Malosque æquè dicturos, *quando vidimus te nudum?* & alia id genus lego.

Si patienter ab illo auditi tot accusatores tui, quidni & tu?

Psal. 50. At vero quid dicas, *vt iustificeris & vincas cum iudicaris.*

Asylum tamen nullū satis fidum.

Falletis, si asyla vlla aut refugii ciuitates, reis nunc nostris frequentatas, adiri posse somnias.

Asyla Reorum fere hæc quatuor;
{ 1. *Inficiæ,*
2. *Translatio criminis.*
3. *Commemoratio rerum ante bene gestarum,*
4. *Deprecatio, baculus maxime arundineus.*

N. 9. inficiarum. *Cic. 2. de Oratore.* * 1. *INFICIAE*, quas qui iuit dextrè, asylum inuenit validum vtcumque, ac firmum. *Ac nostræ fere causæ, quæ quidem sunt criminum, plerumque inficiatione defenduntur.*

Prima hæc Reorum, in iudiciis humanis, lātebra, in quibus, *vita & mors in manibus linguæ.*

At in

At in diuinis eadem vana sæpissimè, & damnosa non raro.

Diuinorum Iudiciorum quædam
- 1. *In hac vita,*
  - 1. *In afflictione,*
  - 2. *In Sacramento pœnitentiæ.*
- 2. *In altera.*

* j. *IN IVDICIIS vitæ huius*, seu Afflictionis, seu Sacramenti, vt damnosa inficiatio, ita lucrosa confessio.

Si non confessus lates, inconfessus damnaberis. *D. Aug. in psal.*

Plurimum suffragatur Deo verecunda cõfeßio, & pœnam, quã defensione euitare nõ possumus pudore releuamus. *D. Amb. l. de Ioseph. c. 36.*

Illis non iudex, sed aduocatus est Christus, qui se propria confeßione damnarunt. *Caßiod. in illud psal. Beati quorũ remissæ.*

* ij. *IN IVDICIIS alterius vitæ.* Vana. Quid enim inficiere apud omnia scientem Deum: & Conscientia tua, cum Scientia Dei conueniente, palam accusante? Criminib. inania festis.

Conscientia quam scitè dicta, quasi simul scientia, vel concors scientia! Homo enim tot scelerum suorum est conscius, quot scius (vt ita dicam) Deus.

Et Conscientia illa quam consiliosè homini data! Nam, vt Caupones dica duplice, aut bacillo bifido vtuntur, quorum illum sibi seruant, alterum illi aduersum hospitibus exhibent, singula vini, aut coctæ in potum Cereris pocula, in vtrisq; æquè incidẽtes, ad suam hospitumq; pacem. Hac. n. arte; remotis mensis, & parte parti collata, & notis vtrobique paribus repertis, suspicione doli liberantur: (Alioqui, aut hospes auarus cauponem, aut malæ fidei caupo decipere hospitem facilè possit, iste iniustum exigendo, ille iustum non soluendo) Ita & Deus Scientia pollens, Conscien- *Et Conscientia nostra ipsorũ prodẽte.*

tia

tia hominem imbuens, canit, ne aut Deus hominem, infectis criminibus onerans: aut homo Deum, facta inficians, alter alterum fallere videretur. In iudicio enim illo, Scientia Dei, ad Conscientiam hominis, adplicatata, ex notis Virtutum Criminumque vtrimque æque repertis, de homine est censendum.

Voluptaris nunc igitur? epularis? bibis, hospes in vasto hoc Mundi diuersorio? Caue-sis. Caupo enim tuus Deus, dicam sibi operum tuorum habet, Scientiam suam: tibi vero eorundem, quasi dicam aduersam minimè fallacem dedit Conscientiam, ex quibus, mensis remotis, id est, solenni iudicii die, scelera tua vniuersa recognosces, tam ex Scientia Dei, quam Conscientia tua, quas esse vniformes & tu, & Deus, & tota conuiuarum corona, videbitis, nihilque commemorare, aut exigere Deum, à te, ex Scientiæ suæ dicâ, quod in tua quoque, id est Conscientia, notatum æque non sit, notis sanè non ambiguis.

Inficias forte eunti cuiquam, ita Deus obcurset: *Nonne hæc condita sunt apud me* (& te) *& signata in thesauris meis*, ac tuis? An non Archiuum vtriusque planè conforme?

Thren. Sed vero Reus ita confitebitur: *Conuolutæ sunt iniquitates, & impositæ collo meo*, veteri iudiciorum more, qui titulum mortis, cruciariorum pectoribus aut collis adpendit.

Cap. 3. *Traducent eos ex aduerso iniquitates eorum.*

Externam nunc quidem alter alterius faciem videmus dumtaxat: Sed tunc etiam internã. Nunc soli patemus Deo: tunc Deo hominibusque patuli omnes.

Lucian. de hæres. Vel Momo tunc satisfiet, aperta, intuendis pectoribus humanis, fenestella illa, ab illo ita in Vulcani homine desiderata.

*2. TRANS-

*2. TRANSLATIO *criminis*, aut in { 1. *Personam*, 2. *Ignorationem*, 3. *Necessitatem*. } Neq; translationis.

Genes. 4. Seu in personam.

* 1. IN PERSONAM, quo genere olim Adam atque Eua vsi, ille in Euam crimen regerens, illa in serpentem. At vt tum frustra, ita & tunc.

Iudicium certè illic aliquod generale fuit, huius nouissimi nonnullum exemplar.

Generale (inquam:) Nam homines illic in duorum lumbis omnes: & Deus Iudex, & Angelus deceptor in serpente.

Generale (inquam:) Nam latæ sententiæ fata illa; *In sudore vultus tui*, &c. &: *In dolore paries filios tuos*, &c. id genus, non illos modo, sed posteros quoque vna vniuersos tangebant.

Vtque illic castigati, criminis translatores Adam atque Eua; vnaque *consilium consultori* serpenti *pessimum* (iuxta prouerbium) fuit: ita & hic.

Ezechiel testis: *Si speculator viderit gladium venientem, & non insonuerit buccina, & populus se nō custodierit, veneritq; gladius, & tulerit de eis animā: ille quidē in iniquitate sua captus est*, vt vt culpam cædis transferat in speculatorem, aut somnolentum, ac proditorem. *Ezech. 33.*

Turbam Iudæorum Christum Cruci poscentium, Barabbam libertati, Magnates Consultores haut absoluent.

Nec Pilatum annuentem turba importunè atque imperiosè supplex, etsi *qui tradidit illum illi maius peccatum habet*: sitque *malum consilium consultori pessimum*.

Translatio grauatura quidem eos in quos fiet: (*Sanguinem enim* (cæsi populi sc.) *de manu Speculatoris, & canis muti requiram*, ait Dominus, Item de manu corruptoris qua Scandalo, qua Consilio, qua Neglectu. *Ezech. 33.*

Cur

Cur enim illud: *Ab alienis parce seruo tuo.*

Translatorem tamen translatio parum leuatura.

Seu in ignorantiã Pacti.

* ij. IN Ignorationem vel { 1. *Facti,* 2. *Iuris.*

* 1. *FACTI*, quum aut hoc, aut sic geri, aut gestum esse, omnino nescitur.

Facti ignorantia, illa. {

1. *Isaaci*, Iacob, pro Esau, benedicentis; — *Gen. 27.*

2. *Iacobi*, Liam nondum suam, pro sua Rachele intrusam, maritè amplexantis; — *Gen. 29.*

3. *Lothi*, ex vtraque filia, per ebrietatem: & *Cynaræ* Cypriorum Regis, ex sua Myrrha, dolo nutricis illi vxoris vice propinata, Adonidem generantis; — *Gen. 19. Ouid. l. Metam.*

4. *Lamechi* per cæcitatem, Cainum, pro Fera, traiicientis inter venandum; & *Heleni* Priamidæ, Chaonem fratrem pari modo trucidantis; — *Genes 4. Seruius in 3. Aeneid.*

5. *Oedipodis* Laium, patrem conantem reprimere tumultum, in Phocensium seditione, incognitum interimentis, eiusque deinde viduam Iocastam, id est, matrem suam inscienter ducentis vxorem, atque ex ea filios quatuor generantis. — *Senec in Theb.*

6. *Eorum, qui, vt in fabulis, aliquamdiu, per ignorantiam stirpis generis, in famulatu fuerunt.* — *Cic. in Læli.*

}

Iurisue.

* 2. *IVRIS*, quum quod agitur, concessumue sit legibus, an inconcessum haud satis scitur, aut lex ipsa ignoratur.

Iuris

Iuris ignorantia, illa
- 1 *Pauli prius blasphemi, persequutoris, & contumeliosi: Ignorans (inquit) feci, in incredulitate.* 1. Tim. 1.
- 2. *Gentium*, multa, legibus Dei vetita, patrantium;
- 3 *Aduenarum*, ciuitatum instituta non raro offensantium, & huiusmodi mile.

Ius verò aliud
- 1. *Diuinum*,
  - 1. *Naturale*,
  - 2. *Positiuum*,
    - 1 *Moysis*,
    - 2. Christi,
    - 3. *Ecclesiæ* quadantenus. Diuini.
- 2. *Humanum*, Regum, Dominorum, &cæt. Vel Humani.

Ignorantia autem seu Facti, seu iuris, alia
- *Adfectata*.
- 2 *Crassa ac Supina*,
- 3 *Inuincibilis*.

*1. *ADFECTATA* illa, cùm scienda, sciendi capaces licet, studio scire nolumus, de quibus ista:

Noluit intelligere, vt bene ageret. Quæcunq; ea tádem. *Psalm.*

A veritate auditum auertent, ad fabulas autem confertentur 2. *Tim.* 2.

Dixerunt Dei, Recede à nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus. *Iob* 21.

Cæci licet, Ducem non modo non quærunt, sed & oblatum respuunt. *D. Bern. ep. ad Magist. Vincentiũ.*

*2. *CRASSA*, cum ea ipsa nescimus vel *sciendi incuria*, vel *discendi Desidia*, vel *inquirendi Verecundia*

*3. *INVINCIBILIS*, cum post curas omnes nihil proficimus.

Inuin-

Inuincibilis bifaria:
1. *Ex parte rei ignoratæ*, cum aliquid neque ſcitur, neque ſciri poteſt, niſi prodatur.
2. *Ex parte ignorantis*, Ingenii, accidentis, aut naturæ vitio, vt in fatuis, ebriis, pueriſque, &c.

Inuincibilis abluit, Craſſa diminuit, tertia inficit; id eſt (vt noſtri lopuuntur) illa à toto, hæc à tanto excuſat, cætera grauat & adcuſat.

Quæſo. Ad cuius tu Ignorantiæ aſylum tunc eas, totfurtorum tam pudicitiæ, quam pecuniæ reus?

Facti enim ignoratio tolerabiles rariſſime contingit.

* *AD FACTI*? Excuſabit à culpa illa quidem pœnaque, ſed rei ſimpliciter licitæ, ſed cautè incumbentem, vt Iſaacum Iacobo, pro Eſau, benedicentem: Iacobum Liam nondum ſuam, pro ſua, amplexantem; quod adpendo, adſpectu Lothi, qui per ebrietatem peccauit, & Lamechi, qui per venationem, vti tunc banam, (carnium vſu, lege, nondum recepto) ita & forte illicitam: & illorum ergo, quibus in fornicationes, adulteria, homicidia, & in huiuſmodi ſemper inconceſſa, intentis, contingit quãdoque, proh ſcelera! cũ ſororibus fratres, auos cum neptibus (an non & fortè cum filiabus patres, inſtar Henrici 8. Angliæ Regis, cum Anna ſua Boulena: & matres cum filiis olim à ſe expoſitis. proiectiſque?) miſceri. Nam etſi illi illa ignoranter, non tamen inculpatè, neque in iudicio illo omnia ſcientis Dei ita impunè, vti nunc impuniſſimè.

In inconceſſa, per inconceſſa alia, ruenti quis parcat?

Legislator neſcio quis, ex ebrietate homicidam, bis multabat.

Ergò tu vide, primine an alterius generis ignorantia te prætegas.

Si

Si primi, rurſus vide, illa quam rarò contingens? Si ſecundi, quam ea tranſparens ac vana.

* *AD IVRIS* ignorati vmbraculum? ſeu { *1. Naturalis,* *2. Poſitiui?*

Iuris naturalis vix datur.

* 1. *AT naturalis iuris ignoratio* nulli vſquam ſuffragatur, quoniam probabilis vlla non datur.

Illius diploma fixum, inſculptum, inciſum intus in animis noſtris, & nobiſcum natum.

Gentes quæ legem non habent, oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium illis reddente conſcientia ipſorum. Rom. 2.

Manifeſtum eſt ſecundum naturam nobis eſſe virtutem Domeſtico ſi quidem magiſterio, omnes, quæ facere debeamus, agnoſcimus. Chryſ. hom. 14. in 7. Matth.

* 2. *POSITIVI* trifaria quidem, verum tu ad quam potius, velut aram aut anchoram ſacram?

* j. *AD Adfectatam*? Haud credo. Sic n. pœnas tibi maiores, pluresque adcerſas.

Si qua eſt poſitiui aut in vitio nullo, aut ferè cũ vitii incremento.

Adfectio enim iſta ignorandi, cum libidinẽ peccandi maiorem profiteatur, ſcelus adcuſat grauius, non excuſat; augetque, non minuit ſupplicium.

Ternas illa dat pœnas: Primas patrati ſceleris; Secundas, diſcendi Deſidiæ; Tertias, ambitæ ignorantiæ.

* ij. *AD INVINCIBILEM* vel primo, vel altero modo? Si poſſis, te Prætor abſoluet, quoniam non omnino peccatum volens peccauiſti.

Sed qui poſſis, neque hebes aut cæcus natus, neque lege obſcura?

Ignorari poſſit Lex, quæ quotidie ex lapide pro clamatur, vbique lectitatur, cantillatur?

Quoties me, ac cæteros præcones Dei inculcantes illam, atque vrgentes audiſti?

D.Bern.sup. *iij. *AD CRASSAM* ergo, quæ ex *sciendi incuria, discendi desidia inquirendi Verecundia.*

1.Cor.4. At sic *si quis ignorat, ignorabitur*, id est, reprobabitur.

2.Reg.5. Huiusmodi *Cæcus & Claudus non intrabunt in templum,*

Educ foras (inquiet iudex) *populum cæcum, oculos habentem* (id est scientiæ natum, & sciendi incuriosum:) *& surdum, & aures ei sunt* (id est Disciplinæ capacem, indisciplinatum.)

Maximè vero si tu ex Rectoribus, quorum Ignoratio, Eclipsis quædam est Solis. Nam vt ea vniuerso Orbi vel sola incommodior, quam Lunæ ac Stellarum vna omnium: Ita Rectoris vnius inscitia: dānosior, quam pop: totius.

Plato in Sophistis. Platoni *Ignorantia potentum, robustorumq; hominum hostilis atq; teterrima res est; hæc n. & quæcunque eius similia proximis omnibus noxia.*

Cæcus cæco quem *ducatum præstet?*

Cyprian. Nocētissimi, *Speculator cæcus; Præco mutus: Cursor Claudus.*

Si lumen quod in te est, tenebræ sunt: ipsæ tenebræ quantæ erunt?

Chrys hom. 24 in 7. Matth. *Impoßibile omnino nobis est, ad ignorantiæ præsidium aliquando confugere.*

Isai 59. Itaque, cum multis, inclamabis tunc miser: *Palpauimus quasi cæci, parietem, & quasi absq; oculis attrectauimus, impegimus meridie quasi in tenebris, in caliginosis quasi mortui rugiemus quasi vrsi, & quasi columbæ meditantes, gememus.*

Seu in Necessitatem. *iij. *IN NECESSITATEM*, j. vim ineluctabilem & cogentem fieri, aut esse factum aliquid, aut contra aut præter officium, quæ, si vera, plenè relaxat: qualis eius, qui à ventis, arenis, scopulis, pyratis retenta naui, die stato non stetit in portu.

Ne-

Necessitas enim, magnum humanæ imbecillitatis patrocinium, omnem frangit legem. Senec. l. 5. Declam.

Vt *inter arma*: sic in Necessitate. *silent leges.* Cic. pro Milone.

Ius in armis, ac Necessitate. Improbis vsurpatum sic me mea fata trahebant.

Ergo tu forsàn tum dicas: Astra, aut diabolus illo coegere. *Sic me mea fata trahebant*, &c. voces omnibus desperatè Improbis vsurpatas.

Frustra verò, cum Fati inane sit nomen, ac sine re: & Astra vix inclinent, Diabolus suadeat tātum: In te autem situm, illum non audire, atque Astris dominari.

Præiudiciis iudicis iam olim damnatus es: *sub te* (ait) *erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Genes. 4.

Perditio, tua (*Israel.*) Osee. 13.

Quam sæpè, res difficiles (quales ferè pulcræ omnes) imbellia, aut ignauia, interpretamur fieri nō posse! quam sæpè voluptarias, necessarias! tentationem, vim inuictam!

Adulamur scilic. nimium nobis, & laruas actis nostris induimus, sed in Iudicio illo seueriore detrahendas.

* 3. *COMMEMORATIO rerum ante bene gestarum*, maximè cum eæ malefactis præponderant. Neque memoriæ benè antea factorum.

Ezechiæ certè ea profuit dicenti: *Obsecro Domine, Memento quæso, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis fecerim*, &c. Nam mox morituro, quindecim ad vitam anni adiecti, & eruta ciuitas de manu Regis Assyriorum. Isai. 38.

Manlio Capitolino adcusato, ac pœnas illic daturo, vnde Capitolium omnibus adspectabile, profuit Capitolium ostentasse, à se olim defensum à Brenni scalis; iactare, Romanos vrbe, aris, vxorib. liberis, beneficio suo, frui; precari, morti vnum omnes eriperent, qui vnus vitam omnibus, seruando, dedisset, T. Liuius decad. 1. li. 6.

disset. Nam ita certè liberatus, atque, ad tempus saltem, subductus est.

Temporarium illa Improbis aut bonum adfert, aut auertit malum, æternum nunquam; neutrum planè.

Egeris, vixeris, vti libuerit, optimè totos 30. & amplius annos: Iudicio autem te stiterit crimen aliquod lætale impune, atque irretractatum ante tibi, frustra priora illa commemores, non recordabitur iudex, vt te aut inferno eripiat, aut inuehat Cœlo.

Ezech. 18. *Si auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem secundum omnes abominationes, quas operari solet impius, nunquid viuet? Omnes iustitiæ eius, quas fecerat non recordabuntur: in præuaricatione, qua præuaricatus est, & in peccato suo, quod peccauit, in ipsis morietur.*

Iacob 2. *Quicunque totam legem seruauerit, offendat autem in vno: factus est omnium reus.*

Plaut. in Pœnul. Gratia præteritorum, leuior pluma post peccatum; apud Deum fere, vt apud nobiles: plumbeas iras tum gerit, ac nunquam inde à morte senescentes.

Ac nihilominus iustus Deus, & qui?

Si dicitis: *Non est æqua via Domini.*

Ezech. 18. *Audite ergo domus Israel:* quidni æqua? Nam si tot annorum scelera idē non commemorat, vt dānet morientem, quem illi stiterit vera pœnitudo:

Ezech. 18. *Conuertimini* (enim ait) *& agite pænitentiam ab omnib. iniquitatibus vestris: & non erit vobis in ruinam iniquitas*: cur rectè factorum recordetur, post scelera, vt impœnitentem saluet?

Plaut. in Pænul. Quid? An non vero, etiam sic, mitior Deus, hominib. (falsò Nobilibus maximè) apud quos *si quid benefacias, leuior pluma est gratia, si quid peccatum est, plumbeas iras gerunt?*

Fallitur enim, si quis, nouis magnisque seruitiis; vete-

veteres eorum offensiunculas, emaculari vnquam putat. Stilo ferreo, *scribunt in marmore læsi* homines.

Apud Deum, benefactis gratia: Apud Deum veteris peccati ἀμνηστία est pœnitentibus: Impœnitentibus veteris benefacti moderata obliuio.

Recordabitur enim horum illorumque, & vt mitius hunc damnet, & vt minus hunc honoret. *Ioan. 14.*

Vt *in domo Patris multæ mansiones*: ita & in ergastulis, id est, in inferno. *Greg. in Moral & 4 dial. c. 43. aliĳs verbis.*

Sicut vno Sole omnes tanguntur, nec tamen sub eo, vno ordine omnes æstuamus, quia iuxta qualitatem corporis, sentitur etiam pondus caloris: sic damnatis vna est Gehenna, quæ affligit & tamen non omnes vno calore comburit: quia, quod hic agit dispar valetudo corporum, hoc illic exhibet dispar causa meritorum.

Qui parce seminat, parce & metet. *2. Cor. 9.*

Boni n. iudicis est, dispensare non tātum quis damnandus sit, sed quatenus. *Senec. in Prou.*

* 4. *DEPRECATIO veniæ, cum* scilicet *& peccasse, & consulto fecisse reus confitetur, & tamen postulat, vt sui misereatur.* Hic, si vsquam, baculus iste arundineus. *Autor l. 1. ad Herennium.* Neque deprecationis.

Atratus, sparsis comis, frustra tum genibus aduoluere.

Tum nullum *miserendi tempus.* Curia illa, tota iustitiæ est; ista Misericordiæ, Aduentus Christi duo; primus Agni, alter Leonis. *Psal.*

Zelus & furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquiescet cuiusquā precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima. *Prouerb. 6.*

Audin? *Quando venerit super eos tribulatio & angustia, tunc inuocabunt me, & non exaudiam,* *Prouerb. 1.*

mane consurgent, & non inuenient me, eo quod exosam habuerint disciplinam, & timorem Domini non susceperint.

Ibid. *Vocaui, & renuistis: ego quoque in interitu vestro ridebo.*

Quod vocantem nō audieris.

2. Cor. 6. Isai. 49. Isai. 55.

Ait enim Tempore accepto exaudiui te: & in die salutis adiuui te. Ecce, nunc tempus acceptabile: ecce nunc dies salutis.

Fronte capillata sed post occasio calua est.

Certè ita Lysippus Sicynius ille plastes nobilis, primus illam occipitio à coma libero, capillisque in supercilia diffluentibus finxit, admonens gerenda omnia opportunè. Nunc *nouit Dominus mutare sententiam, si tu noueris emendare delictum:*

D. Amb. l. 2. in Luc.

Matt. 25.

Ergò: *Quærite Dominum, dum inueniri potest: inuocate eum, dum prope est.*

Virginibus tardis, *clausa est ianua.*

III.

Et, qua pœna decreta, ineluctabilis.

Adde & pœnam decretam ineluctabilem.

Denique, & hinc formidandum, quod Fatum illud nulla vis rumpat.

Isai. 46. *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet:*

Eluctantur pleræque aliæ mulctæ, vel
- 1. *Morte,*
  - 1. *Legislatoris,*
  - 2. *Nocentis.*
- 2. *Astu,*
- 3. *Viribus*
  - 1. *Diuinis,*
  - 2. *Humanis*
    - 1. *Propriis,*
    - 2. *Alienis.*

Neque Iudicia.

* 1. *MORTE Legislatoris.* Tum etiam mulcta, aut rescinduntur, aut mitigantur, aut commutantur.

Homicida fortuitus, mortuo Sacerdote Summo lege veteri, ad sua reuertebatur.

Iosepho, ad sua, ex Ægypto, redire iusso caussatur Angelus: *Defuncti sunt enim, qui quærebant animam pueri*; *Matt. 2.*

Ecclesiæ more, Excommunicatio, ab homine, in hæc aut illa facturum lata, morte excommunicantis abrogatur j. eam non incurrit, qui, post mortem illius vetitum facit.

At iudex hic noster immortalis. *Iesus Christus heri & hodie: ipse & in sæcula.* *Hebr. 13.*

Quid igitur speres, censura illius, ab Ecclesia triumphante, tunc semel abstentus?

* *ET nocentis morte*, vel quam ipse sibi malè fauendo nocens, vel quam Natura nocendo fauens, intulit. Neq; Rei morte.

At *quærent Damnati mortem, & non inuenient.* *Senec. in Herc. furente.*

Qui morte cunctos luere supplicium iubet
Nescit Tyrannus esse: diuersa irroga,
Miserum veta perire: fælicem iube.

* 2 *ASTV.* Viri, vxorum; patres, filiarum; Domini Dominæque, seruorum ancillarumque habitus induti, sæpius effugere. Neq; dolis

Theseus, ex inextricabili Labyrintho, filo suæ Ariadnes, euasit.

Dædalus, cum Icaro suo, è Creta, ex Minois ergastulo euolarunt, Cœlo alites nouos demirante.

----*Terras licet (inquit) & vndas.* *Ouid li. 8. Metam.*
Obstruat, at Cœlum certè patet: ibimus illac:
Omnia possideat, non possidet aera Minos.

Custodes alius fallendo, alius auro vinciendo. vincendoque, Tyranni spes elusit. *1. Reg. 21. & 22. b*

Dauid simulata insania, manus Achis Regis Geth euasit.

Psalm. 138. Audi fugæ amentem, si liceret. *Quo ibo à Spiritu tuo & quo à facie tua fugiam? Si sumsero pennas meas diluculo & habitauero in extremis maris: etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me* (captum) *dextera tua. Tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur.*

Amos 9. *Non saluabitur ex eis, qui fugerit. Si descenderint vsque ad infernum, inde manus mea educet eos: & si ascenderint vsque in cœlum, inde detraham eos. Et si absconditi fuerint in vertice Carmeli, inde scrutans auferam eos: & si celauerint se ab oculis meis in profundo maris, ibi mandabo serpenti, & mordebit eos. Et si abierint in captiuitatem coram inimicis suis, ibi mandabo gladio, & occidet eos: & ponam oculos meos super eos in malum, & non in bonum.*

Hiere. 49. Abdiæ. 1. *Cum exaltaueris, quasi aquila, nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus.*

Simonem Magum volantem, & iã prope in fornice throni Dei nidulantem, vis oratiunculæ vnius serui Dei, detractum, terræ adlisit.

Virgil. eclog. 3. *Iouis omnia plena.*

Lucanus *Iuppiter est quodcunque vides, quocunque moueris.*

Virg. 6. Aeneid. *Spiritus intus alit, totamque infusa per artus*
Mens agitat molem.

Ionæ 1. Vt te fugiens, te vbique circumfers; ita & Deum.

Ouid. ep. Heroid. Helenæ ad Paridem. Tun' fugias Deum? hac fugiens, illac in eum, qui vbique, incursabis.

Ionas hac fugiens, illac inuentus.

An nescis saltem tàm *longas* Deo, quàm *Regibus esse manus?*

D. Aug. in 74. Non est, *Non est quo fugias à Deo irato, nisi ad Deum placatum.*

*3. *VIRIBVS* ſeu { *1. Diuinis,* / *2. Humanis.* } Neque vi maiore, Seu diuina

*j. *DIVINIS,* quibus Iſraelitæ, ex Ægypto; Elias, *Exod 12.*
ex Achabi Curia; Daniel ex lacu; Tres pueri ex *3.Reg.*
fornace; Petrus *de manu Herodis volentis poſt Pa-* *Daniel.*
cha producere cum populo, liberati. Plena ſimilibus *Act.12.*
Ilias Homerica.

At quis te Deorum alius, eripiat huic Deo?

Vbi ſunt Dij, in quibus habetis fiduciam? Surgãt, *Deut. 32.*
& opitulentur vobis, & in neceßitate vos prote-
gant

Eripiat Filio Pater, aut Spiritus Sanctus, qui ab vtroque eſt, hoſtem communem trium Peccatorem? Scilicet.

Non enim Deus noſter vt Dij Gentium inuicem luctantes, inuicem aduerſantes, e quibus.

Iuppiter in Troiam; pro Troia ſtabat Apol- *Ouid li.1.*
lo; *Triſt.*
Æqua Venus Teucris: Pallas iniqua fuit.

Summa Triumuiratus Dei concordia.

Ego & Pater vnum ſumus. *Ioan.10.*

Alioqui *quomodo ſtabit regnum eius? Omne re-* *Matt. 12.*
gnum diuiſum contra ſe deſolabitur. *Luc.11.*

*ij. *HVMANIS* ſeu { *1. Propriis,* / *2. Alienis.* } Seu Humana.

*j. *PROPRIIS* vt cum aquilæ, aut Leones, caſſibus perruptis, aut muſcæ grandiuſculæ, aranearum telis tenuibus illis magis quam tenacibus laceratis, erumpunt. Propria.

Ita captiuus Samſon, reuulſis, elatiſq; Gazæ portis, vim Philiſtæorum euaſit.

Si non ita de ſe: *Eripui, fateor, læto me, & vincu-* *Iudic.*
la rupi. *Virg. 2. Aeneid.*

Trogus l 15. Lisimachus damnatus Alexandro ad bestias, manum amiculo conuolutam, in os Leonis inserens, arreptaque lingua feram exanimans, mortem effugit carus inde posteà Alexandro, & honoratus.

Aut aliena. * ij. *ALIENIS*, vt cum vis carceribus ad liberandos amicos infertur, aut alias hosti amicus eripitur, &c.

Luc. 11. *Cum fortis armatus custodit atrium suum: in pace sunt ea quæ possidet. Si autem fortior eo superueniens vicerit eum, vniuersa arma eius auferet, in quibus confidebat, & spolia eius distribuet.*

2 Cor 11. *Damasci Paulus, à fratribus, per murum demissus in sporta euasit manus Præpositi.*

Act. 9. Diffractis carceribus, nonnunquam socii socios prædones captiuos, Regibus Legibusque extorquent.

Isai. At, quæ tanta vis, quæ damnatis ad Inferni bestias prosit? *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet, dicit Dominus.*

Iob 9. *Deus, cuius iræ resistere nemo potest.*

Iob 10. *Non est, qui de manu tua possit eruere.*

Hester. 13 *Non est, qui tuæ possit resistere voluntati.*

Sap 16. *Tuam manum effugere impossibile est.*

Apoc. *Claudis, & nemo aperit.*

Vox senis Eleazari aurea: *Si, in præsenti tempore suppliciis hominum eripiar, manum tamen Omnipotentis neque viuens, neque defunctus effugiam.*

Vnde & Orbi terror. Igitur, vel solo fati huius (*Ite maledicti*, &c.) id est, tàm firmæ, tamque ineluctabilis sententiæ adspectu, iudicium illud vltimum vere horrendum vel tandem perhorrescite vna mecum.

Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, eum autem timete, qui potest animam & corpus perdere in gehennam,

Horrendum illud *Ite maledicti*, &c. mox vt dictum fatumque, factum.

CON-

CONCIO XI. *vel in ord.* XXVI.

Them. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum.* 2. Cor. 5.

FActa repetitione, ita propositum.

Postquam de iudicis seueritate est dictum, superest dicere, de Materia Iudicii, ac causæ statu. Propositio

Dicendum ergo hodie mihi
1. *Alia ab aliis quæsitum tunc iri.*
2. *De ipsa hominis Natura, Sexuque, primam fore quæstionem,*
3. *Tum de professione cuiusque.*

Partitio.

AVE.

I.

Alia ab aliis quæsitum tunc iri.

D. Greg. hō. 9 in Euāg.

A Gregorio non gregariè dictum: *Cum augentur dona, rationes etiam crescunt donorum.*

Non paria ab omnib. exactum tunc iri.

Lex Iulia repetundarum pertinet ad eas pecunias, quas quis in Magistratu, Legatione, vel alio officio ministerioue acceperit; & nihil vltra citraue depositum reposcit; rectam dumtaxat discutit vsionē: At Iudicium Christl depositum, Vsionem, ac Fœnus etiam seriò reposcit.

Iureconf. li. 48. Digest.

Sed pro accepti vsionisque ratione.

Parabola hominis rationes exigentis à seruis, ab hoc, de quinque; ab illo, de talentis duobus, &c. id probat.

Non

Non tamen *metit vbi non seminauit, aut congregat, vbi non sparsit*: neque, si nihil dedit, reposcit quidpiam.

Ex ore Dñ. Liberti Houthen in scholis. Amens hoc quidam R. Domini Cardinalis à Marka Episcopi Leodiensis docuit, qui tota vita insipientissimus, sapientissimè, in Morte, ita Deum communem est affatus: *à nemine, o Deus, vltra depositum reposces.*

Vnde & Hominem natum esse, constabit magno. Ergo, vt *Solicita tanti pretia natales habent,*

Semperq; magno constitit nasci Deum: ita & hominem.

Senec. in Herc. furente. Nam quod homines sumus, & quod in his potius mares, quàm fœminæ; donum est Dei non minimum.

Vide Lactantium. Seu Thaletem, seu Platonem, ex Philosophis tamen quempiam ferunt gratiam Diis habuisse de quatuor istis; 1. quod homo, nō bestia: 2. quod Græcus, non Barbarus; 3. quod Athenis, tempore Socratis; 4. quòd mas, non fœmina: non quod sexum ille faceret minoris, sed minoris fieri passim videret.

A. Gell. noct. Att. Philippus Macedo etiam diis gratiam habet, non tam quia filium, quàm, quòd Aristotelis æuo dedissent.

Igitur Humanitatis, & in ea, Sexus cuiusque sui, reddenda ratio pro Christi tribunali.

Vt veteri iudiciorum more, ex Reis, Patria, Nomen & professio inquiruntur.

Virg. 2 Aeneid. (Sinonem enim Troiani *hortantur fari, quo sanguine cretus,*

Quidue ferat, memoret, quæ sit fiducia capto.

Genes 43. *Interrogauit nos homo, per ordinem, nostram progeniem*, aiebant Iacobitæ, ad patrem, de Iosepho fratre, Ægypti tunc dictatore.

Pila-

Pilatus ita ad Christum: *vnde es tu?*)

Ita & tùm quid sis, &quis cuius, cuiusque iudex inquiret.

Neque nescientis erũt interrogationes istæ: *Quis tu (fili mi:) Accede ad me, vt tangam te*, non discentis vtrum tu is sis, aut talis, sed scientis, volentisque, *ex ore* illius ipsius *seruum nequam iudicare.* *Gen.27.*

Christo id familiare. Nam & interrogans de imagine, & epigrammate Cæsariani numismatis, nõ ignorabat, sed aptam respondendi occasionem captabat. *Matt. 21.*

Tùnc quoque dicturus, *Tu quis es? Quem teipsum facis?* & id genus, vt Naturam, Sexum, Gratiamque professos aptius vrgeat.

Ita Hieronymo Christianismum professo, mendacium, Ciceronismusque obiecta sunt.

II.

De ipsa Hominis Natura, Sexuque, primam fore quæstionem.

De Naturæ donis, quæstio tùm prima. Itaque ab Angelis, tunc Homines secernendi, & ad istud professos. *Homo sum, humani ad me nihil alienum puto*, ita tum iudex. *Terent.*

Is demum homo, qui respõderit
- *1. Nominibus,*
- *2. Formæ externæ ti,*
- *3. Materiæ, ex qua,*
- *4. Formæ essentiali.*

1. Ei, qui nō respōderit vocabulis. * 1. *NOMINIBVS* tuis, seu Græcis, seu Latinis { 1. *Hominis*, 2. Ανθρώπου, 3. *Sancti animalis, &c.*

Nunc Hominis. * *1. HOMINIS.* Ita enim tecum iudex. Si Homo, ab humo tractabili, ex qua effectus, aut si (ex aliorum placito) ab humanitate, ad quam is natus: Qua tu nunc fronte hominē mihi te venditas, qui fera olim quauis vixisti intractabilior, sæuiorque?

Plaut. Tun' Ανθρωπος ἀνθρώπου j. *homo homini Deus?* Imo verò *homo homini lupus*, ἄνθρωπος, ἀνθρώπου λύκος, & lupis ipsis inhumanior.

Genes. Isne homo, *Cuius manus contra omnes, manus omnium contra eum.*

Quod genus hoc hominum, carne ac sanguine viuens.

O hominem lupum, vereque Lycanthropum, fabulosi Lycaonis verum genus!

Cic. ora. pro Roscio Amerino. *Portentum atque monstrum certissimum est, esse aliquem humana specie, & figura, qui tantum immanitate bestias vicerit, vt propter quos hanc suauissimam lucē adspexerit, eos indignissimè luce priuarit: quum etiam feras inter sese, partus, atq; educatio, & natura ipsa conciliet.*

Sin Homo ἀπὸ τῆς ὁμονοίας id est ab Vnanimitate, quod propria sit hominum inter se Concordia; ecqui tu homo, qui neque domi, neque fori, cōcors, illic seditiosus, isthic pugnax?

Nunc Anthropon. * ij. Ανθρώπου Nam si ita is dictus Græcis, quasi sursum spectans) id enim proprium hominis) quo tu iure hoc nomine censeris, qui *oculos tuos statuisti declinare in terram?*

Psal.

* iij. *SAN-*

* iij. *SANCTI animalis* quod hominis propria vitę sanctitas atque religio. Nunc sancti animalis.

Sanctius his animal, mentisque capacius altæ. Tu sanctus, sceleribus maculosior, quam Lynx coloribus. *Ouid. 1. Metam.*

* 2. *FORMAE externatis* quæ nominis græci interpres est clarissima. 2. Neque formæ exteræ.

Anthropos enim (vt dixi) quasi sursum spectans; & solos *Deus homines humo excitatos, celsos & erectos constituit:* *Cic. l. 2. de nat. Deorũ.*

Pronaque cum spectent animantia cætera terras.
Os homini sublime dedit, cœlumq; videre
Iussit, & erectos ad sydera tollere vultus. *Ouid. 1. Metam.*

Qua vero hoc fini? *Vt Deorum cognitionem, cœlum intuentes, capere possent.* *Cic. sup.*

Vt *non discordet cor tuum à facie tua, non habeas faciem sursum & cor deorsum.* *D. Aug. l. de vita Christi.*

Tun' homo, cuius *curua in terras anima, & cœlestium inanis?* neque eorum brutorum instar, quibus cœlum aliquando spectabile, obliquis, aut limis sed porcorum quibus, à rigore colli, nunquam (nisi dum cæduntur) Cœlum adspectare contingit, vnde & tum silent, spectaculi nouitate? Nam nec tu alias, nisi iam iam moriturus, de Superis cogitasti, aut peccare desisti.

Homo tu? qui serpentis instar *super pectus tuum graderis, & terram comedis, omnibus diebus vitæ tuæ?* *Genes. 1.*

Ergo *verbum audi, & verum fac. cor sursum. Ne mentiaris in domo disciplinæ.* *D. Aug de vita Christi*

Deinde, imago illa extera, quàm rursus huic nomini Hominis congrua! Humanitatem enim, Cõcordiamque æquè docet vtrumque, hoc facto, illud, verbo.

Inermis planè homo, à Natura, effusus, neq; dente ferus, cum Apris; neque vnguibus, cum Leonibus

bus,& Aquilis, neque cornu, cum Tauris, aut Monocerote. &c.

Tun' homo, qui Apro mordacior, Leonibus ipsis pugnacior, cũ nullo pacem, bellum habes cum omnibus?

Denique: & tu imago quædam Dei creatus es, *Faciamus*(ait)*hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Exemplar typusque hominis Deus, cui virtutum perfectio plenior plenius nos adsimulat, vitia maiora magis dissimulant. — *Gen. 1.*

Tu verò eccuius non feræ simulacrum?

Gestiunt equi amatores, & emissarii? hinniunt, &, morsu, frænos inspumant, ab equæ odoratu solo, aut adspectu? Ad visam mulierem, non tu quoque mox inardescebas, despumabas, *atque Vxorem proximi tui hinniebas?* & quid non? Tun' homo? imò verò *equus* potius, *& mulus, quibus non est intellectus* — *Psal.*

Quid enim interest, vtrum ex homine se conferat quis in beluam, an in hominis figura, immanitatem gerat beluæ? — *Cic. l. 3. off.*

Tun' homo? imo bestia, ac ne ea quidem simplex.

* 1. *BESTIIS* enim singulis singula vitia, aut pauca.

Apro feritas, Vulpi astutia: tibi vero vni, omnium omnia, o belua omnicorpor!

* 2 *IN BESTIIS*, quod vitium vocamus, Natura est, & quidem bona: In te, malitia libera, ordinem Naturæ transgressa.

Homo bestialiter viuens, est centies millesies bestia peior. — *Beda in sent. philos. ex Arist. l. 7. Eth.*

Tu Chimera triformis: aut Hydra illa Herculis capitosa, tu *belua multorum capitum.*

Tu bestia illa ex Apoc. *habens capita septem* (lætalia illa peccata septem) *& cornua decem* (peruicaciam multam in decem illa præcepta.) — *Apoc. 13.*

Com-

Comparatus es iumentis insipientibus, & similis(ac peior)*factus es illis*, vnus multis; Porco, Gulâ: Apro, Ira, Cani, Inuidia: Vulpi, Astutia: Serpenti, Malitia: Viperæ, Ingratitudine, &c.

Ignatius bene de similibus: *De Syria vsq; ad Romã, pugno ad bestias in mari, & in terra, nocte dieq; ligatus cum decẽ Leopardis, hoc est militibus, qui me custodiunt, Quibus & cum benefeceris, peiores fiunt.* *Ignat. Ep. Antioch. ep ad Rom.*

* 3. *MATERIAE ex quâ.* Homo ab humo dictus, ex qua ille, non sponte quidem, nulloque artifice (vt Philpsophi quidam nugantur:) neque artfice Prometheo (vt Poetæ fabulantur) sed Deo effectore. 3. Neque Materiæ ex qua. *Varro.*

Tun' igitur (homule terrigena; id est ex argilla, lutoque facte) ortus tui memor, modestior es effectus? Imo vero, quasi Cœlo Diisque ortus, insolentissimus. Corpus terræ massam, auro vestisti, adorasti, &c. *Lactant. lib 2. instit. c. 11*

* 4. *FORMAE essentiali*, quã alii aliã dicunt: 4. Neque formæ essentiali.
- 1. *Animam rationalẽ* Philosophi.
- 2. *Eloquendi vim*, Hesiodus, Cicero, Lactantius.
- 3. *Honorem*, Nobiles æui huius.
- 4. *Religionem*, Deus, & Boni vna omnes.

Nam *Diuinitatis intellectus, quo differimus à beluis, in homine solo reperitur*; neque sine ratione aliqua esse potest. *Lactant. lib de ira c. 12.*

Inquiat ergo: Vbi rationalis illa vita, ac non potius ferina, ac beluina? vbi honor, ac non potius omnis proiectissima turpitudo? Vbi Religio in Deum, Patriam, Parentes, ac non potius impietas omnis in hos omnes? Seu quam Deus. Seu quam Philosophi ponunt.

Non tu times cũ Iacobo, ac dicis? *si adtrectauerit me pater meus. & senserit, timeo ne putet me sibi voluisse* *Gen. 27.*

voluisse illudere & inducat super me maledictionem pro benedictine?

Nam, si nec quæ iuxta Philosphos; nec quæ iuxta Nobiles, nec quæ iuxta Deum censetur forma essentialis hominis, tibi inest; hominem, te venditans, nonne qua potes etiam illudis Deo?

Soph. 1. Nescis vero *scrutaturum illum Hyrusalem in lucernis.*

Diogen. Laert. lib. 6. Nescis Diogenem istum accensa lucerna, in meridie, homnes quæsiturum, non ex vultu sed moribus?

Psal. 36. *Iudicium Domini sicut meridies.*

Vestis vt restet, & corpus: tamen *fera pessima deuorauit filium meum Ioseph*, formam hominis ipsam. *Genes.*

Genes. 17. *Vox quidem, vox Iacob est: sed manus, manus sunt Esau.*

Vt hominem pelle exprimas, & vox hominem sonet, non tamen vere tu homo. *Ibid.*

Igitur time, ne Iudex *inducat super te maledictionem pro benedictione*, aut aiat:

Apoc. vlt. *Foris canes. foris canes. Homnes enim quære.*

Diog. Laert. lib. 6. vlt. Diogenes certe, cũ inclamasset: *heus homines*; accedentes, fuste repulsabat, dicens: *Homines non purgamenta, vocaui.* Quidni & hoc Iudex noster æmuletur.

Psal. 35. Sed aias dictum: *Homines & iumenta saluabis Domine, quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus.*

Respondeo, non hoc quadrare illhuc, sed isthuc,
1 id est, ad hanc vitam & dicere: Vel Deum Bonis
2 Malisque hic æque prouidrre; Vel Hominum, be-
3 stiarumque species, generatitionis via continuare;
4 Vel Improbos Gentilesque non minus, quam Probos, aut Iudæos ad se conuertere; Vel homines iumentorum instar obedire paratos, seruare.

Sed

Sed estotis homo, ad cuius Sexus? Virne tu an Mulier? Nam alia Fœminas, alia viros Virtus, vt illos claua, has colus, decet. *Sextus etiam aliqua tum ratio.*

Ego vir (inquies)

Plato Diis gratiam habuit (vt mox aiebam) quod vir non fœmina natus esset.

Vir enim aliquid muliere altius, atque à Virtute (vt ferunt) ita dictus, & iudicio fere firmiori.

At vbi tua in aduersis Virtus, fœminea mollite illa maior? flebas, eiulabas, muliérculæ instar in aduersis in prosperis insolenter exultabis.

De quam multis enim verum illud Ennii. *Viros .n. alia Virtus.*

Vos etenim (iuenes) animos geritis muliebres. *Cic lib off.*

Vbi mundi muliebris contemtus, qui viros decet? *Fine coli modico forma Virilis amat.* *Ouid ep. Her in Phædra ad Hippolytũ.*

Te comtulum, vnctulum, & muliere quauis molliorem, virum agnoscam? (aiat Iudex)

O vere Prhygiæ (neque enim Phyrges.) *Virg. Æneid*

Fortem vocemus. cuius ex humeris Leo,

Domum puellæ factus, & claua excidit. *Senec, in Hercule furente,*

Fulsitq́ pictum veste Sidonia latus?

Fortem vocemus, cuius horrentes comæ.

Maduerte nardo? laude qui notas manus.

Ad non virilem tympanum mouit sonum.

Mitra ferocem barbara frontem premens.

Sint procul á nobis iuenes, vt fœmina, compti inquet.

Barbam enim raserint, fœminas plerosque ex cultu putes.

Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ. *Ouid in Phædra ad Hippolyt.*

Si Vir fœminæ coniux: Tu cur *male vir quæris habere virum?* Nonne Hermaphroditis nequior? illos enim natura vtrique veneri aptauit; tu vni dumtaxat aptatus, vtramque, Sodomæ ciuis exerces. *Virg. Æneid.* *Ouid. de a[illegible]*

Si Vir, fœminæ maritus: cur tu nonnunquam vxoris es vxor tuæ?

Procul nũc Viros, nunc Viras, istos: procul viros istos mulieratos: procul Viragines istas virosas, & barbatas istas tam dubiæ famæ matronas.

Genes. *Erant* enim *Sodomitæ homines pessimi nimis.*

Viros poposci, non fœminas, aut neutros, aiet Iudex.

Sed ego mulier (inquiet ista.)

Mulieres alia decet mansuetupo.

At Mulieris { *1. Nomen* / *2. Forma.* / *3. Finis ad quã ea creata.* } miræ humanitatis scholæ

Varro. Quam ipsis inculcant Nomee

* 1 *NOMEN*: Mulier enim à mollitie Varroni est dicta, immutata, & detracta litera, quasi mollier. Aliis, mulier quasi mollis aër: Nonnulis mulier, quasi molliens herum, non modo cum vxorem, sed & cum sociam duntaxat præstat, quod eius sit iratiorem flectere, mollire quæcunque animo duriuscula, & viro turbato, pro portu ac læta statione esse

* 2. *FORMA*: Caro enim mulieris, vti & animus ipse mollior, leniorque, nec vt viri pilosa: vox gracilis, manus tenellæ, corpora iuncea, imbellia, & id genus multa, quæ illam vniuersa à feritate ad Humanitatem magnam auocant.

Finis ad quam illa creata.

* 3. *FINIS*: nempe vt mater fiat, vt vxor, vt *adiutorium simile.*

Genes. Mulier aut adiutrix viri, aut frustra, imo & *multis de causis eam non esse oportebat*, dixit quispiam.

Ex vete. Tun' adiutrix eius, cuius tu opes se laboribus enecantis, dissipas aut Gula, aut Cultu?

Non tu mulier, sed virago, & vorago, veste vna vnius prope anni labores absorbens.

Rom. 1. Si mulier est, vt coniux viro mater fiat, quid tu lesbiaris, &c.

Fœminæ eorum immutauerunt naturalem vsum, in eum vsum, qui est contra naturam, sterili voluptate.

Tu *Pentesilea furens mediis in milibus* Amazonum

num Martis filiarum; tu Babylonia, Semiramis, marito non tam vxor, quam Leæna: tu Xantippe, Socrati tuo sapientissimo, litigiis lotiique perfusione molestissima, tu Iobi vxor, virum non tam molliens, quam irritans, tun' mulier? Imo vero Leæna, aut Tygris & claua quam colo dignior.

Foris canes, foris istas virorum Dominas & Magistras, &c.

Iam, si *nemo te cōdemnauit mulier, ego te condemnabo.*

Bonum erat homini illi, si non esset natus homo ille, id est sexus huius.

Ergo hoc Iudicium Naturæ ac sexus Primum.

Deinde, & nominis proprii forte ratio aliqua' si pulcrum, & vel sono ad Virtutem impellens. Et nominis indita nonnulla cum ratio.

Nam si *nomen virginis Maria*, qua fronte meretrix vocatur Maria? *Luc.1.*

Certè, edicto publico caueri, ne qua manifesto impudica mulier, Maria nominaretur, nonulli autores voluerunt. *Georg. Viuē li.1.de off. probæ Matris f. cum Ludouico Viue.*

III.

Tum de professione cuiusque.

De donis vero gratiæ, in quibus maximum Christianum esse aut Natum, aut ex Gentibu. e uocatum, quanta tunc etiā quæstio! Professionis vero aut Religionis Christianæ maxima.

Platoni tanti fuerit, Athenis potius, quam inter Barbaros natum esse, nobis esse Christo in Ecclesia natos renatosque flocci erit?

Certe Professio cuiusque seu Gentis, seu Personæ disquiretur.

* 1. GENTIS an ex
- 1. *Ethnicis.*
- 2. *Iudæis.*
- 3. *Christianis.*
- 4. *Mahumetanis.*

* 2. PERSONAE an sub { 1. Basilii, 2. Benedicti. 3. Augustini. 4. Fracisci &c. } disciplina

D August. lib. de salutaribus documentis. c. 62. to. 4. & orat. ad Catec. 6. 4. tom. 6.

Augustini censura. *Recitabuntur verba professionis nostræ, & obiiciet nobis in faciem Diabolus, quicquid fecimus. & quicquid peccauimus, & quid facere debueramus.*

Professionis (inquam) publicæ religionis: Nam, si nescis, non soli Minoridæ, & id genus alii Religiosi homines verba professionis emisere: sed vos quoque sub Christo Christiani, & in Baptismo Christianismum professi.

Populosissima scilicet Religio Christianismi, sola Sacramentum etiam suum non habeat militare.

D. Greg. hom. 19 in Euangelium.

In die Baptismatis omnibus nos antiqui hostis operibus, atque omnibus pompis abrenunciare promisimus.

Cuius magnũ est Sacramẽtum militare.

Alex. Hall. P. 4.

Ter rogatus es: *Abrenũtias Satanæ? Abrenuntias pompis eius? Abrenuncias operibus eius?* id est (vt Alexander ille magnus, non Macedonum, sed Minorum, Hallensis. Scolasticorum omnium, atque adeo ipsius magni Thomæ fons, exposuit) *peccato mortali, ac omnibus circumstantiis mortalibus?* peccatum enim Satanas operatur Facto aut suasu? Vel. *Satanæ abrenuntias?* j. solum Deum amas ac times? nullum suscipis, aut optas bonum à Satana, nec ab illo times malum, id est, ne noceat inuito Deo?

Vel, *Pompis eius?* j. Carminibus, illius Sortilegiis Fascinis, Nominibus sublimibus (vt vocant) Characteribus saluti feris, sola Cruce demta, quibus ille mire gloriatur, *abrenuncians?*

Ter rogatus, ter respondisti, *Abrenuntio.* Hoc Sacramento religatus es Christo, quem initio cum cæteris eidem adligatum. Adæ culpa dissoluerat.

Ejurato

Eiurato Sathana, terno iureiurando vni iurasti Christo. *Psal. 118.*

Iuraui, & statui custodiere iustitiæ tuæ.

Dictus es, vt *primum Antiochiæ dicispuli Christi anus.* *Act. 11.*

Ergo Christiani nomine quam iure censearis, an vota reddideris, an fœdifragus, desertorque ordinis ac Ducis tui miles fueris, serio tum Censor videbit.

Christiani dicimur, ex
1. *Speculatione,* qua Christus Doctor;
2. *Possessione, aut Seruitute,* qua Christus Creator, Redemptor, ac Victor;
3. *Imitatione,* qua õnis *Christi actio nostra est instructio.*

Et Vocabuli talis tres causæ potiores. *D. Greg. hõ in Euang.*

* 1. EX *Speculatione,* si eadem de iisdem cum Christo, eiusque Ecclesia speculamur credimus, docemus, de Deo, de Cœlo, de Inferno, de Vitiis, de Virtutibus, quo modo Accademici, Peripatetici, &c. qui scholarum illarum placitis adhærescunt. 1. Speculatione cadẽ

Eademne tu semper, cum Christo, Ecclesiaque sensisti? *Cic. 1. de N. Deorum*

Iurasti in verba Magistri, cum Pythagoræis, à quibus solenne illud αὐτὸς ἔφα, *ipse dixit?*

An non tu sæpe aut apud te, aut cum aliis clam aut palam dixti: *Quomo do istud fiet? Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Nisi videro fixuras clauorum, non credam* &c. *Luc. 1. Ioan. 6. Ioan. 20.*

An non de Christo parum Christiane sapiens aliquando hæc tecum; *quare hic cum Publicanis & & peccatoribus man ducauit?* &c.

An blasphemiæ spiritus in Deum nugaces, semper repulisti? muscas sacrificio importunas abegisti? Deo faciens, animos à fide hoc egisti??

D. August. Enchri, ad Lauret. c.5. *Si enim diligenter, quæ ad Christum pertinent cogitentur, nominetenus inuenitur Christus, apud quoslibet Hæreticos, qui se Christianos vocari volunt, re vero ipsa non est apud eos.*

Idem. 10.9 tract in ep. Ioan. c.3. *Quam multi vocantur medici, qui curare non norunt? Quam multi vocantur vigiles, qui tota nocte dormiunt? Sic multi vocantur Christiani, & in rebus non inueniuntur, quia hoc, quod vocantur non sunt: id est, in vita, in morib. in Fide, in Spe, & Charitate.*

Nec vitæ nec scholæ Christi studuerunt.

2. Seruitus. * 2. *POSSESSIONE aut Seruitute*, qui militant aut seruiunt vni Christo, vt Duci aut Domino, quo modo Cęsariani, aut Herodiani, milites aut serui Cæsaris Herodisue. Augustissimi Doctoris senso: *Qui Christianus dicitur, Christum se habere Dominum profitetur. Et verè habet, si ei in omnibus obsequatur, & seruiat.* D. August. l. de vita Christ.

Christianus pars Christi eiusque peculium: reliqui, pars Principis mundi.

Christianus vere cleros, id est, sors Domini, Domino sorte æterna electus, *genus electum regale Sacerdotium*: & Domino solo velut sorte sua contentus.

1. Pet. 2. *Nos populus eius, & oues pascuæ eius.*

Psal. *Iacob funiculus hæreditatis eius.*

1. Pet. 2. *Populus acquisitionis.*

1. Cor. 3. *Vos Christi Christus autem Dei.*

Creationis quidem (vt reliqui omnes) Sed Redemtionis maximè, & Victoriæ nomine Christiani omnes, Christi estis.

1. Cor. 6. *Emti enim estis pretio magno.*

Quid non tam tuum quam tu?

D. August. tract. 29. in Ioan. At quoties *tollens membra Christi, fecisti membra meretricis?* mutilasti Christum, atque euiscerasti? *Fecisti te* non *Deo regnum*, sed Diabolo?

1. Cor. 6. Quoties vtendum te & abutendum dedisti Diabolo, negasti Christo.

Christi

Christi ille nō famulus,sed subsannator est & tesseram Christi in castris eius habens,in castris diaboli meretur, qui Christi se seruum iactat, & ei seruire dissimulat, imo & sæpe Dominum suos ludos facit.

Ergo, si præpilatis hastis, militari seueritate, illi transfiguntur, qui tesseram vnius in vnis castris, alterius, in alteris habent stipendia; tu militem lucis professus,reuera stipēdiarius Principis tenebrarum, euades?

* 3 *IMITATIONIS*,quo fere modo Virgilianos,aut Ciceronianos vocāt, qui Virgilii aut Ciceronis dictionem imitātur,nisi quod Christianismus non dogma aut imitatio linguæ est,sed vitæ Christi cuiusmodi artes illæ sermonis, Rethorica,Logica,&c. nec tam ab Intellectu,Memoriaque aut Speculatione & Dictione, quam actione simili nominatur. 3. Imitatio. Non dictionis.

Gregorio Nysseno: *Christianismus est imitatio diuinæ Naturæ.* *Greg. Nyss. de profess. Christianorum.*

Quid enim est aliud Christianus, quam homo naturæ suæ redditus, ac velut natalibus restitutus, à quibus deiecerat eum Diabolus, captum victoria sceleris. *Lud Viues. lib. 1 de concord. & discordia.*

Intellectu nolens: Voluntate & Corde vult capi; Manugeri,id est,opere demonstrari Affectu Effectuque maxime constat Christianismus.

Non tam schola,quam vita discendum, sub Christo Magistro. *Senec. ep. 107.*

Facere præclara,non dicere dumtaxat Christiani est. Sed actionis Christi.

Vt Philosophi veri, iis irati,qui se Magistros vitæ dicerent, cum tantummodo Sophistæ loquaces essent. *Senec. ep. 96*

(*Antiqua enim Sapientia nihil aliud,quam facienda ac vitanda precepit:* & quæ vera est Philosophia,vitæ formandæ vacat:

Senec. li. 2. ep. 4. aut.

Non in verbis, sed in rebus est Philosophia. Nec in hoc adhibetur, ut aliqua oblectatione consumatur dies, ut dematur otio nausea. Animum format, & fabricat, vitam disponit, actiones regit; agenda & omittenda demonstrat) ita Pseudo Christianis Christus infensior.

Christianismi laus omnis in actione consistit.

Nec solatio primum dati libri sancti, aut conciones, ad honesta otii diuerticula, sed ad mores rectè formandos.

1. Ioann. 2.

Audi fidei Magistros: *Qui dicit se in Christo manere; debet sic ille ambulauit, & ipse ambulare*, hæreat pede pes.

D. Aug. li. de Vita Christiani.

Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cũ Vitiis & Concup.

Si Christianum te esse delectat; quæ Christi sunt gere, & merito Christianum nomẽ assume.

Idem ibid.

Christiani nomen ille frustra sortitur, qui Christum minime imitatur.

Ibid

Quid enim tibi prodest vocari, quod non es, & nomen tibi vsurpare alienum?

Item to. 9. tract. in ep. Ioan. c 3.

Quid prodest nomen, vbi res non est?

Quã multi vocantur medici, qui curare nõ norũt?

Quam multi vocantur vigiles, qui tota nocte dormiunt?

Sic multi vocantur Christiani, & in rebus non inueniuntur, quia hoc, quod vocantur, non sunt; id est, in vita in moribus, in Fide, in Spe, & Charitate.

Iustin. Martyr apolog. 2. pro Christianis.

Quicunque secus viuunt, quam Christus docuit, sciant se non esse Christianos, etiam si Christi præcepta in ore habeant.

Ergo si *restat, vt dicamus eum solum, qui est pius ac religiosus, esse Christianum:* quo te iure Christianum profiteris?

Apud te enim quis pietatis honos aut quid Christi in moribus tuis refers?

Vah

Vah homines egregiè Christianos, in Ecclesiæ tabulis scriptos pictosque, reuera nec Viuos nec veros Christianos non moribus sed oribus!

Vah Mendacium pudendum, Christianum profiteri; & Turcam magis, quam Christum referre! Qua absente, mendacium est, Christianũ profiteri.

Verissimum istud de illis: *Dilexerunt Deum in ore suo, & ligua sua mentiti sunt ei. Cor autem eorum non erat rectum cum eo.* *Psal.*

Et: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.* *Isai.*

Nuptiis interest quidem, sed sine veste nuptiali, magno suo malo.

Quid vero? non modo non Christiani, à neglectu, sumus, sed etiam vita aduersante AntiChristiani aut potius singuli Anti Christi, *ante quorum oculos Christus proscriptus est, in vobis crucifixus est.* *Galat. 3.*

Nominis enim Anti Christi proprietas est, Christo esse contrarium, id est, aduersari Doctrinæ eius aut Vitæ. *Hilar. initio l contra Arianos.*

Non aduersamur? Vexillum militiæ Christi *crucem* tam *ligni patibulum, quam piæ vitæ virtutisque propositum*, conculcamus, *cum Christiani vita, qui secundum Euangelium vixerit, crux sit atque matyrum.* *Max. in ser. de Martyr.*

Degeneres Christiani peccant quadrifarie
- *1. Honoris Vsurpatione indigna.*
- *2. Legis optim. contemtu.*
- *3. Magistri infamia.*
- *4. Damni illatione.*

Et culpa quadruplex.

* 1. *HONORIS Vsurpatione indigna.* 1. Vsurpationi immeriti honoris.

Christiani sane, nomen gloriosum.

Ecce qualem dilectionem dedit nobis Pater, vt filii Dei nominemur, & simus. *1. Ioann. 3.*

D. Augustino, *Christi nomen à Crismate est* *D. Aug. tom. 5 sub. sent. sent. 341.*

id est,

D. August. tom. 3. lib. sent. sent. 341. *id est, ab vnctione. Quia ideo omnis Christianus sanctificatur, vt intelligat se non solum sacerdotalis & regiæ dignitatis esse consortem, sed etiam contra Diabolum fieri luctatorem &c.*

1. Pet. 2. *Vos Genus electum, regale Sacerdotium.*

Christianus ergo, Miles, Rex, & Sacerdos est.

Sed vt apotheca tituli speciosi, sed, quia intus vacua est, fallacis, dehonestat:

Et qui asinus ad lyram, Musicum profitetur.

Et mulier exuuiis leonis induta, ac clauam gerens. Ita nomen degeneris Christani.

Histrionum hoc est atque Dementium ex quibus illi Reges ac Deos se in theatris verbo tantum venditant: isti etiam opinantur.

Impune scilicet aliquis, falso filium se Dei aut Regum antiquorum iactet, maxime diuinum aut regium nihil spirans?

* ij. *LEGIS opt. contemtu.* Contemnit, qui non paret. Aut bona Christi lex aut mala. Si mala, cur tu in eam iuratus, aut cur candide non eiuras? si bona, cur non obsequutus?

2. Contẽtus Legis. Aut Imprudentia in iurante, aut Malitia in non eiurante, aut Contemtus in non Obseruante est.

3. Infamatio nii Magistri. * iij. *MAGISTRI infamia.* Turcæ enim, & Infidelium cuilibet hinc in procliui est Christum aut nequissime dixisse, aut vixisse, ex morum scilicet nostrorum sordidus opinari.

Magistros ita ex discipulorum moribus agnoscas, vti ex vnguibus Leonem,

Barbaries discipuli Magistri aut impoliti aut maligni nota.

Christianum quoque profiteri, & Christi disciplinæ aduersari, est famam, Christi Infamia cauponari, & damno Domini seruum egregie nundinari.

* iiij. *DAMNI illatione* vt & Monachi degene-

res. Exteros enim ab ingressu suæ vtrique Religionis, Mollossi Cerberique à ianuis arcent. 4. Illationis damni.

Quos contra istud est: *Sinite paruulos venire ad me.*

Turcæ Christo militent, qui militem Christi omni Turca scelerosiorem vident, rixis, bellis ciuilibus, furtis, aduleriis redundantem? Græcorum Kalendis (opinor) Christi milites conscribentur, his exemplis.

Impugnabunt vero potius Christum, & blasphemabunt, more iam suo & Sacramento.

Ergo, *Qui male viuunt, & Christiani vocantur, iniuriam Christo faciunt, de quibus dictum est, quod, per eos, nomen Dei blaspehemetur.* *D. August. tractat. 50. in Ioan.*

Deprehenderis & detegeris, Christiane, quando aliud agis, & aliud profiteris, fidelis in nomine, & aliud demonstras in opere. non tenens promissionis tua fidem, modo ingrediens Ecclesiam orationes fundere: post modicum in spectaculis cum histrionibus impudice clamare Quid tibi cum pompis Diaboli, quibus renunciasti? *D. August. de symbolo ad Cathe.*

Turcas cæterosque scandalis à me arcens, *adligata è collo mola asinaria,* iam *in mare demergatur,* aiat tum Iudex, vt is olim interminatus. Inferenti damnosissimæ.

CONCIO XII. *vel in ord.* XXVII.

Them. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit siue bonum, siue malum.*

Facta repetitione, ita propositum.

Dicendum hodie mihi {
1. *Christianis nomina esse longe pulcerrima;*
2. *Christiani nomen esse seruitutis, & cur? esse etiam Militia*

3. *Esse etiam Imitationis Quantæ, quarumque rerum. Iudicem hæc exacturum, & Comparatione Etnicorum cum ipsis vsurum.* A·V E.

Chirstianis ad Virtutē acres aculei hæc nomina.

I.

Christianis nomina esse longe pulcerrima.

Bone Deus! qui Virtutum aculei nobis à nominibus speciosis!

Ad maxima vocautur, qui vocantur nunc
1. *Filii Dei, ciues Sanctorum, domestici Dei.*
2. *Sancti.*
3. *Fideles.*
4. *Reges.*
5. *Sacerdotes.*
6. *Baptizati.*
7. *Illuminati.*
8. *Christiani.*

Filii Dei.
1. Ioann. 3.

* 1. *FILII Dei, &c. Ecce qualem dilectionem dedit nobis Pater, vt filii Dei nominemur & simus.*

Ioan. 1. *Dedit eis potestatem Filos Dei fieri, his qui credūt in nomine eius.*

Ephes. 2. *Non estis hospites & aduenæ sed estis ciues Sanctorum & domestici Dei.*

Primum nati ex hominibus, iterum Deo, & ex Deo nati sumus, vt Deos pene tot videas, quot Christianos, si vultu, incessu, victu vitaque Patrem Deum boni filii exprimant.

Genes. 2. *Ad immaginem & similitudinem Dei fecit eos.*

Psal. *Ego dixi: Dii estis, & filii Excelsi omnes.* Serenissima Celsitudine geniti.

Degenerare vt puderet scilicet, & Patri Deo, vita perdita, ignominiosos esse.

Generosos enim spiritus aut faciunt, aut excitāt, aut iuuant, natales illustres.

Transfunditur cum semine etiam aliqua parentum virtus, profecto.

* 2. SANCTI, Petro Apost. *Gens sancta populus acquisitionis.* Sancti. 1. Pet. 2.

Paulus ita sæpe, initiis maxime Epistolarum, tam quod in sanguine agni sanctificati, quam quod vitæ sanctimoniam professi, nullisque turpidinibus debeant violari: *sicut decet Sanctos.*

Sancti estote, quoniam & ego Sanctus sum.

* 3. FIDELES, vel a Credulitate omnium 1. vna, vel iuramento recte viuendi dato, & vicissim 2. beatæ immortalitatis accepto: vel forte etiam ab ea 3. fide, *quæ ab eo dicta, quod fiat quod dictum est*, quod 4. promissis Deo hominibusque stent aut eos maxime oporteat stare. Fideles. Cic. 1 off.

Desponsabo te mihi in fide, ait illæ.

Splendidissime Orator aureus: *Fideles non solum ex communione mysterii, sed etiam ex nouitate vitæ oportet agnosci. Igitur fidelem non ab his tantum, quæ ipse accipit a Deo sed ab his quæ obtulerit ipse Deo, conuenit existimare.* D. Chrisost. ho. 4. imperf. in Mat.

Sic ratio nominis Politica est Fideles per antonomasiam dicimur, quod in conuentionibus, pactisque nemo fidei aut iurisiurandi debeat esse tenacior Christianis, quibus nec iocosa mendacia, sed nec otiosa verba legis suæ plus quam Stoicus rigor permittit.

* 4. 5. *Reges & sacerdotes. Vos autem genus electum, regale Sacerdotium*, quod Reges sui ipsorum, ac voluptatum; plenosque regiæ cuiusdam, in omni vita, Maiestatis; quod Sacrificos corporum animorumque Deo vero esse: quod Cultu. Integritate Seneritate, Sacerdotes referre oporteat. 1. Pet. 2. Reges. & Sacerdotes.

Fidelem conuenit vndique esse notum & manifestum, & ab incessu, & ab adspectu, & a veste, & à voce. D. Chrisost. ho. 4. oper. imp. in Mat.

Olim certe quot Christianis, etiam laicis tot

veluti

veluti Regibus, Sacerdotibusque obcurſabas, eā tunc erat totius hominis compoſito quæ nunc ſic mutata, vt nec in Sacerdotibus Sacerdotes agnoſcas.

Putas; *Sicut populus* temporis illius, ſic huius *Sacerdos?*

Et ſane vt Iudæorum Saul, Dauit; & Francorum Reges? atque vt nūnc & olim Sacerdotes; ita Chriſtiani etiam pluries vncti; primum in Baptiſmo, Initiati, ſecundo, in Confirmatione, Pugnaturi, tertio, in morte, Triumphaturi.

D. Auguſt. tom.3 lib ſent. ſent. 142. *Ideoque omnis Chriſtianus ſanctificatur, vt intelligat ſe non ſolum ſacerdotalis, & regiæ dignitatis eſſe conſortem, ſed etiam contra Diabolum fieri luctatorem, heri aiebamus.*

Baptizati. * 6. *BAPTIZATI*,).loti, quod ſordibus vacuos, & montanis niuibus deceat eſſe mundiores.

Lauit nos à Peccatis noſtris, non intro, aut (Fullonum inſtar) ſaponis, aluminis, calciſue acrimonia, ſed in ſangine ſuo.

Ioann.13. *Iam Vos mundi eſtis*, vt munditiæ placeant, non illæ corporum, ſed animorum. *Qui lotus eſt, non*

Ibid. *indiget niſi vt pedes Lauet*, id eſt, peccata, in quæ non Natura, ſed Perſona & pedes ſui illum tulere.

Laui veſtem meam, quomodo rurſus inquinabo illam.

Illuminati. * 7. *ILLVMINATI*, apud Patres, ac Nazianzenum maxime, quod verum Deum illi vni intelligant, colant, agenda fugiendaque vberius, norint, quam Gentes idolis ſeruientes.

Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.

Chriſtiani. * 8. *CHRISTIANI*, Antiochiæ primum, ac nunc paſſim, de Chriſti nomine, cuius merito & Filii Dei, & Sancti, Fideles, & Reges, & Sacerdotes, & Baptizati, & Illuminati, cenſemur ac ſumus, aut poſſumus eſſe.

Quam multa speciosaque vnius rei nomina? Faxit Deus, vt Nominibus res ipsæ respondeant? & alta ista Nomina (vti loquuntur) gestantes, proiecti in Vitia aut à Vitiis non cadant!

Et vero ita oportet. Nam cur adpensa hedera, si vinum neque venale habes, neq; vendibile? inquiet in iudicio iudex iratus.

Cur apothecarum titulis inscribis Rhabarbarum aut Agaricum, &c. à quibus & illa absunt & insunt aduersa?

Cur Musicam profiteris asinus ad lyram? Cur Sanctitatem, Fidem, Regnum, Sacerdotium, Munditiem, Perspicacitatem, Christianitatem, Profanus, Perfidus, Mancipium, Laicus, Sordidus, Cæcus, & Turca?

Nolite confidere in verbis mendacij. *Hierem. 7.*

Scrutabor (ait) *Hierusalem in lucernis*, & pixides anxie visitabo, anne intus idem quod foris; an sic clam, vt palam: an Deum ames colas Filius Dei, vt assolent Filii patres, an ita manibus animoque sis Sanctus, vt nomine, an credulus tu satis, promissisque stans & pactis, vt Fidelis, vocere, an Rex, ac non potius mancipium libidinum, aurique seruus; an Sacerdos totum te Deo sacrans, an non hara Augiæque stabulo immundiores hominis Baptizati tamque egregie loti manus animusue, an homo illuminatus multa cæce non fecerit?

Nam si nihil tale, qualia nominibus prætulisti, nonne iure iudex aiat: *Nomen habes, quod viuas, & mortuus es? Dicis, quia diues sum, & nullius egeo miser & miserabilis?* *Apoc.*

Maledicent fico, folia non ficus; & vineæ labruscas, non vuas facienti.

II.

Christiani nomen esse Seruitutis, Militiæque.

Igitur disce iam tempori vim nominis Christiani, disce inquam, vt rem illò tecum feras.

Quod nomen duo dicit.

Nam qui vocantur & non sunt; quid illis prodest nomen, vbi res non est?

D. Aug. tō. 9. tract. in ep. Ioan. c 3.

Christiani ergò nomen est præterea { *1. Seruitutis,* *2. Militia,*

Seruitutē.

* 1. *SERVITVTIS*, quod Christo seruire velut Domino Opt. Max. obligatione debeat.

Hinc ista: *Paulus seruus Iesu Christi.*

Roman. 6. *Liberati à peccato, Serui autem facti Dei.*

An vero seruum ista non decent { *1. Timere?* *2. Parere?* *3 Seruare?* *4. Adquirere?*

Quæ nō est sine Timore sine Obedientia.

* j. *TIMERE? Si ego Dominus, vbi est timor meus?* ait Propheta.

* ij. PARERE? hoc primum. *Ita seruum par videtur frugi sese instituere.*

Plaut. in amphy. act. 3. scen. 3.

Hinc Centurio: *Dico huic vade, & vadit; veni, & venit.*

Dominorum imperare, seruire vnde & nominis origo.

Dominis in seruos, olim ius vitæ necisque, vtendi atque abutendi, quod *ius summum, summa tamen iniuria est*, inter Christianos.

Cic. lib. off.

Ergo si tu Christi seruus, ille iubeat, ille regat; tu tantum pare, & *sequere Deum.*

Animan-

Animantibus sui quibusque rectores.	*1. Bestiis,* *2. Vulgo hominum,* *3 Philosopho,* *4. Christiano,*	*1. Impetus Naturæ,* *2. Cupiditates,* *3. Ratio,* *4. Spiritus Christi.*

Quicunque spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei. Roman.8.

Ergo ille insessor peritus equum regat; ille clauum, e celsa puppi, teneat nauigii nostri. 4.Reg.2.

Ille sit *currus Israel, & auriga eius.*

Samuel ex genere seruorum benè parentium: *Loquere Domine, quia audit seruus tuus* inquit. 1.Reg.3.

Et Rex Dauid: *Vt iumentum factus sum apud te:* quasi dicat; Incita, contine, onera, exonera, *da quod iubes, & iube quod vis Dominus regit me.* regendū illi totum me trado. D.Aug. Psal.

Saulus etiam equo deturbatus: *Domine quid me vis facere? Sequimur te sancte, Deorum Quisquis es.* Act.9. Virg.6. Aeneid.

Et deinceps: *Viuo ego, iam non ego, viuit vero in me Christus,* à cuius ego vel nutu solo pendeo.

Christus in forma serui ita ad Patrem vti ad Dominum; *Non mea volūtas, sed tua fiat* q.d. Ego parere, quàm tu imperare paratior.

Quidni? Vti enim ideò *Legū serui sumus vt liberi esse valeamus,* ita Christo hic paremus, vt imperemus; Speciosa ac regia seruitus Christi est. Iurisconsul.

Ergone tu Christi seruus, qui obluctatus toties Deo?

Is Christi seruus, cui Dominus dicere debuit sæpè: *Quid vis, vt faciam tibi?*

Hoc si seruire est, miror valdè, ecquid sit tandem imperare.

Si tu seruus, B. Martini seruum certè imitabare. cui Martinum ferunt sæpè ministrasse.

Christianus ille aut Christi seruus, qui toties ingeminata Domini imperia, aut nunquam, aut rarò aut tardè aut semiplenè effecta sunt? Christianus? Mentieris, imò Luciferianus.

Quæ illic seruitus, vbi voluit Dominus *pullos sub alis congregare*, seruus *noluit*?

Luc. 19.

Certè in seruorum genus istud iudicem (ego) sic fulminaturum putem: *Inimicos meos, & qui noluerunt me regnare super se, adducite huc, & interficite coram me.*

Sine custodia.

Autor tõ. 3. Academiæ suæ de seruis in illud Luc. 15. Et adhæsit vni ciuium.

* iij. *SERVARE*, tam quæ Domini, quam Dominum. Hæc reciproca iustaque seruati gratia, ac fortè à seruandi officio etiam dicti serui: quà de re nos alibi latissimè.

* iiij. *DOMINO adquirere* non sibi. Nam nec liberos procreat sibi, lege prisca, nisi forte ex pacto cũ Domino humaniori.

Neque miles olim sibi, sed Reipublicæ, cui militabat, prædam agebat, vnde & tunc Ærarium publicum locupletissimum, quod nunc eget. Ergò Christiani est, in Deum referre vniuersa illi animas lucrifacere, gloriæ illius studere non suæ.

Matt. 25.
D. Greg. hõ 9. in Euãg.

Talentorum illa in seruos partitio, & fœnoris deinde exactio in Euangelio, id notat, vbi *benè operãtes, pro apportato lucro, remunerat* homo ille, *seruum vero a bono opere torpentem damnat.*

Sed ecquas tu animas, aut quid in ærarium Christi retulisti? immò quas non, etiam ex commissis, perdidisti?

Cum Christo possum dicere: *quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam?*

Idem ho. 17. in Euang.

Nulla animarum lucra quærimus, terrena concupiscimus, humanam gloriam intenta mente captamus.

Pugnas? sed tibi, finibus dilatandis, aut opibus, aut Gloriæ tuæ, non Christi.

Nam

Nam ſi Chriſto gladium portas, cur Chriſtianiſmi fines indies decreſcentes ac circumciſos non protendis, tanquam tuos? cur fers Chriſti crucifixi effigiem Conſtantinopoli plateatim à Turca raptari? cur Sepulcrum illius à canibus illis hactenus cuſtodiri, opprimi Chriſtianos? cur ſacra nomenque illius profanata, & ſanguinem ſeruorum eius effuſum non vindicas, armis hinc in Turcā verſis? Vtinam me hic & de his totus Orbis bis ſaltem audiat!

Quotquot de Conſtantinop. capta ſcripſere.

De bello in Turcas autor ipſe iam ſecundo egit apud Legatũ Pont.

Ad noſtra quotidie ſtudia vacamus, Dei cauſas relinquimus.

D. Greg. hõ. 17. in Euãg.

Hos illoſque conuerti? ſed ad te, non ad Chriſtum, Cepha illos, Paulique dicis, non Chriſti.

Conuerſio, adpellatiuum indis de nomine ſerui potius, quam Magiſtri.

E Politicis *qui reges non curant quam bonis, ſed quam ſubditis regnent*, illi non Chriſti, ſed ſui ipſorum ſerui.

D Aug. l. 2. ciu. c. 20.

Itaque *Omnes quæ ſua ſunt quærunt, non quæ Ieſu Chriſti*; & qui tales, non ſunt probæ monetæ Chriſtiani.

Si adhuc hominibus placerem. Chriſti ſeruus non eſſem

Galat. 1.

* 2. *MILITIAE*, Nam ſi *militia eſt vita hominis ſuper terram*, certè maximè Chriſtiani

Iob 7.

Et Militiã.

Chriſti enim nomẽ à chriſmate dictum eſt, Chriſma autem Græcè, Latinè vnctio nominatur Ideo autem nos vnxit quia luctatores contra Diabolum fecit

D. Aug. tract. 33. in Ioan.

Rurſus: *Chriſti nomen à chriſmate eſt, id eſt ab vnctione. Quia ideo omnis Chriſtianus ſanctificatur, vt intelligat ſe non ſolum ſacerdotalis & regiæ dignitatis eſſe conſortem, ſed etiam contra diabolum fieri luctatorem.*

Quo pertinent variæ Chriſtianorum vnctiones.

Idem to. 3. li. ſent 342.

Athletæ enim olim peruncti ad Vigorem non magis, quàm ad lubricitatem, vt capti, capi non poſ-

Virg. 7. Aeneid. possent, & de erependo elapsis diceretur. *Num capti potuere capi?* Toties vnctus, in baptismo semel; in confirmatione rursus; tertiò, oleo infirmorum vngendus, laborasti scilicet, *vt Christi fortis athleta?* vbi vulnera honesta? vbi sudor? vbi puluis? vbi cruor? *Nondum vsque ad sanguinem restitisti.* Delicatulus miles scilic. loricam cilicinam, excubias, inedias, ac ieiunia hostis tui victricia perhorruisti. Ad nomen Quadragesimæ, & 4. temporum aut trepidasti, aut risisti, quasi ad barbara verba.

Quid? Nunquamne Ordines ac Signa deseruisti fugax, ac forte transfuga, imò & hostium ductor, Iudæ instar, *qui antecedebat eos?*

D. Greg. hõ. 7. in Euãg. *Nullum ab aliis maius præiudicium, quam à Sacerdotibus, tolerat Deus, quãdo eos quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla prauitatis cernit: quando ipsi peccamus, qui compescere peccata debuimus.*

Et tu, recensione hac vltima, coronam speres, aut triumphum?

Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit.

Illi *reposita corona iustitiæ*, qui verè iactarit: *Bonum certamen certaui, cursum consummaui.*

Ignauis vero transfugisque fustuarium: atque infamis per agmen, Turcico ritu, ductatio.

III.

Esse etiam Imitationis; Quantæ; Quarumque rerum.

Christiani nomen etiam sonare imitationẽ actionum Christi.

Denique Imitationem dicit Christiani nomen. Vt enim Ciceronianus, qui styli Ciceronis magnus imitator, qualis Hieronymus quondam: ita & Christianus, qui Christi vitæ.

Christiani intus Dii, foris homines, vel Dii & homines, instar Christi, qui Deus idem & homo.

Nam si, vt homines, iras, dolores, adfectusq; sentiunt; tamen, vt Dii, irarum, cæterorumque affectuum effectus nullos.

In carne, non secundum carnem viuunt.

Enthei sunt ac pleni Deo, sed & Deo circumfusi; exuti veterem hominem, & Christum induti.

Hinc illa: *Exuite veterem hominem, nouum induite.*

Quotquot baptizati estis, Christum induistis.

Emti estis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore vestro, id est, inhabitet Deus dirigendo, & ab externata compositu, pateat qui intus latet, aut transpareat.

Viuo ego, iam non ego, viuit vero in me Christus, *Galat. 2.* aiebat Apostolus.

Vt Dæmoniacos, quàm intus habent latentem Spiritum nequam, vides foris qua oculis, qua ore, qua corporis gestu hospitem hostem prodere: ita Entheos Christianos, decet Deo ac Christo plenos, tota foris actione, videri.

Contrariarum enim causarum cur non & contrarii effectus?

Si hoc causa huius, cur non oppositum oppositi causa?

Mutandus mox à Baptismo, *mutãdus in virum alterum*, Christianus, vnde & regeneratus renatusque nuncupatur.

Quidni vero posscit Gratia, & Deus mentem inhabitans, quantum, Natura, & aliquantula cum probis mora?

Isocrates de Areopagitis rem sanè admirabilẽ refert. *Nullus* (inquit) *vnquam repertus, qui, si quid ingeniti haberet vitij, nõ illud simul vt in Areopagum lectus esset, abijceret; tãta aliorum erat virtus,* *Isocrat. in orat. Areopagitica.*

vt nemo esset tam perdite malus, quin illum puderet, solum inter tantam puritatem esse maculosum.

Etiam *Saulis inter Prophetas* memento.

Farinas fortè & pharmaca tangens, albeat oleatque scilicet: & Christianus studio Gratiaque adiutus nequeat animo transmutari?

Non superstitiosam, nimiamue rerum magis admirādarum.

Est autem imitatio duplex
- 1. *Bona ex mediocritate*
- 2. *Mala ex*
  - 1 *Pauco.*
  - 2 *Nimio*, quam rectè cacozeliam, seu superstitionem voces.

Esto cacazelon praua affectatio nobis, ait quidam

Ergo Deum, hominemque meminerimus, qui præiuit, hominem duntaxat, qui sequitur: Deum, vt Numen plus posse, quàm hominem, scientes, non petamus altissima, & miremur quædã magis, quam imitemur: Hominem verò passibilem, similem nobis, ne semper humi repamus, sed & quandoq; adsurgamus.

Horat. l. 4. Carm. Ode. 2.

Vti *Pindarum quisquis studet æmulari*
Ille creatis ope Dædalæa
Nititur pennis, vitreo daturus
Nomina Ponto:

Ita quisquis in Christo Deum.

Vt ex Ciceronis prauè sequacibus, multi elumbes adeo, & tam longis retro interuallis, vt phrasim eorundem naturalem illam, rudem, & indolatam, malis, quàm illam ipsorundem praue adfectatam, quam iure *Colossi magni fragmenta* vocare possis, vti Herodes Sophista olim Hadriani etiam Sophistæ dictionem, simul in iuuene laudans & vocis, & animi magnitudinem, & orationem notans, nondum compositam satis: (*Imitatores seruum pecus:*) Ita, & ex Christi imitatoribus, id est, Christiani super-

Horat.

per-

perstitiosi quidam illum non assequuntur, quod irrito conatu diuina exprimere magis, quàm humana illius volunt.

Sed laudabilem illā virib. humanis adtemperatarum.

Sufficit discipulo, si sit sicut magister eius.

Imitandus, & quem possis, & quantum possis.

In omni vitâ hoc adprimè vtile, vt Ne quid nimis

Terent. in Andr.

In Christo hominem imitari te volo; Deum verò in homine personatum admirari. Imitari (inquam) id est sequi, non præire, nec adsequi æquis passibus.

Naturam illam diuinitate inferiorem, Humanitate nostra eiusmodi superiorem æquare merus homo nec potest nec vigetur.

Est quodam prodire tenus, si non datur vltra.

Horat. 1. ep. 1.

Autographum antigrapho semper limatius: & prototypon quouis ectypo formosius, etsi ex Apellis officina.

Ars nulla perfectè Naturam adsequitur, sed nec Deum Natura.

Ad illa, & illo tendamus oportet, ad quæ & quo & qua Naturæ huic, per gratiam adiutantem, licet.

Ita intra auream Mediocritatem stantes, & satis, & nihil nimis æmulabimur Christum Christiani.

Itaque alterutrius tunc arguemur, vel
- 1. *Superstitionis,*
- 2. *Tēporis ac huius maximè.*

Nam quis adeo Christi audax imitator, vt Theopompi instar fræno algeat, ac non potius calcaribus cum Theophrasto?

Christus maximè illustris & imitabilis { *1. Religione,* *2. Zelo animarum* *3. Humilitate,* *4. Crucis gestatione.*

Vt Religionis. * j. *LELIGIONE* seu cultu Dei ac Sacrorum.

Ego honorifico Patrem, ait.

Luc. 2. *Nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?*

Matt. 21. Prima ingressi in vrbem opera, ingressus in templum. Eiectio nundinatorum, &c.

Deinde orationes illius creberrimæ, seu noctu, seu interdiu; Patremque idem orans Deus Deum, toto in terram ore, procumbit.

Templa atque aras pro asylis esse voluit.

Matth. 23. *Occidistis* (inquit improperans) *Zachariam inter templum & altare.*

Imitari hanc quis non possit?

Christianus ne igitur, quisquis huius, & horum contemtor? cui templorum ingressus vix notus? aut si notus, ad furta est ac sacrilegia, ad custodiam sui, quasi ea castra ac profana?

In vita eius. *Non est non est Dei Ecclesia custodienda more castrorum*, ait Thomas Episcopus.

Christianus tu, qui Thomam Cātuariensem Episcopum, in templo, vespere orantem cædebas?

Qui Sacerdotem sacrificantem?

Qui aras, imagines etiam crucifixi conterebas?

Imò potiùs Antichristus (inquiet iudex.)

1. Ioan. 2. Et sanè *Antichristi nunc multi sunt*, non modò à Christo deflectentes, sed studio magno cōtra edicta exemplaque eius militantes.

Philip 3. *Multi enim ambulant quos sæpe dicebam vobis inimicos crucis Christi.*

Vt zeli animarum. * ij. *ZELO animarum* cuius in eo flagrantissimi signa hæc fuere: E cœlo hùc humanitate personatum

Deum

Deum descendisse: Ouem deerrantem opidatim castellatim studiosissimè vestigasse, inuentam per vestigia, humeris in caulas retulisse.

Quærens me sedisti lassus. D. Tho.

Triduanas aliquando conciones impastum habuisse; ad multos, ad paucos: ad viros, ad mulierculas, ad rusticos, ad turbas, ad Magnates, ad quos non?

Curasse ægra corpora, vt sic ad animas adtingeret? Nam quoscunque curauerat, ferè non peccare deinceps, admonebat:

Legibus diuinis vt circumcisionis; Humanisque Regum, vt tributi pendēdi; ne cuiquam offensioni esset, paruisse.

Samaritanam blandè ad Deum adlexisse? Ioan. 4.

Peccatricem famosissimam ad pedum oscula: imò & Iudam quoque ipsum tandem ad communem lotionem pedum, ad osculum oris, quem iam ad Apostolatum Oeconomiamque quæstuosam vocarat, admisisse. Luc. 7.

In crucem agi se, nostri omnium causa voluisse:

Petrum eiuratum se, reuocari imprimis curasse.

Dicite discipulis eius, & Petro, &c.

Apostolis in fide firmandis, Triumphum suum, id est, ascensum in cælos suum totis 40. diebus distulisse.

Iam seriò ac toties Patri, ac tandem abiturientem Petro oues commendasse:

Dixerit vere: *Zelus domus tuæ comedit me.*

Æstuabit sane ille hoc zelo quauis Ætna fortius.

Ergone Christianus tu, qui de animarum neque tuæ, neque alienæ, salute ne gri quidem?

Qui hunc à Fidei regula deuiantem; hunc in via morum errantem, ebriosum, libidinosum audisti, vidisti, tetigisti, & cum sæpè verbo vno reuocare posses, aut noluisti, aut trepidasti?

Chri-

1.Cor.11. Christiani veri est æmulari.

Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scan-
Ibid. *dalizatur, & ego non vror?*

Æmulor enim vos Dei æmulatione. Despondi e-nim vos vni viro virginem castam exhibere Christo.

D. Ioannes Euangelista quam magnis itineribus equitat, vt discipulum transfugam è latronum consortio reducat!

Monica mater quo non gentium Augustinum suum sequitur, ne pereat? quem non Sanctorum pro illo solicitat? Quos non Ambrosios comprecatores implorat?

Eccles. Certè *mandauit Deus vnicuique de proximo suo.*

Iacob 5. Et merces operi huic magna. Nam *qui conuerti fecerit peccatorem, ab errore via sua, saluabit animam eius à morte, & operit multitudinem peccatorum.*

Tun' Christianus, qui cum Caino ais: *Nunquid*
Genes 4. *custos fratris mei sum ego?*

Christiani vos, *ante quorum oculos Christus pro-*
Galat.3. *scriptus est & in vobis crucifixus est?*

Vt Modestiæ animi. *iij. *HVMILITATE*, quæ propria videtur illius.

Hinc illud: *libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi*. i. humilitas.

Discite à me, quia mitis sum & humilis cor-
Matt.11. *de.*

Humili matre ille, locoque natus, nutritio fabro vsus est.

D. Leo ser.1 de Epiph. *Bethleem praelegit natiuitati, Hierosolymam passioni.*

Et puerili, vt minimè ambitiosa, ætate delectatus est.

Ad-

Aduocans olim paruulum statuit in medio (discipulorum ambitus reorum) *& dixit: Nisi efficiamini sicut paruuli non intrabitis in regnum cælorũ. Quicunq; ergo humiliauerit se sicut paruulus iste, hic est maior in regno cælorum.* Matt. 18.

Sinite paruulos venire ad me, & nolite prohibere eos venire ad me, aiebat discipulis arcentibus paruulos oblatos, *vt manus eis imponeret.* Matt. 19.

Et *paruulis reuelat abscondita*, & *ex ore infantium, & lactantium perfecisti laudem.* Matt. 11. Psal. 8.

Ex humili loco natus hominibus Apostolos creauit, instar regiorum puerulorum, qui cum mendicorum pueris coætaneis sine fastu versantur.

Vestitu vno semper ac modestissimo vsus. Et dictio prope eius omnis, de Humilitate fuit.

Tun' Christianus qui ad singula *proiicis ampullas & sesquipedalia verba*? qui verbis Cæsarem spirasceu tam sæpe in ore: Apage, furcifer, *traditore al Rey* ignaue, Icae? cuius incessus compositus, ac Musicus, & pauonis gradu superbior? cuius vestitus immodestissimus *superbiæ latentis vexillum* (Augusto Cæsare iudice) & *luxuriæ nidus*, nobis venalis corporis velut suspensa hedera? Vestium illa põpa, aut *vox est clamantis* Superbiæ *in deserto* cordis, aut Echo vociferantis intus Lasciuiæ. Horat. in arte. Sueton. in Augusto.

Christianam se putat quæ sic viuit (sic se comit) *vt possit adamari?* quæ oculos in se illicit Iuuentutis? &c. qua de re nos latius in Baptistiade nostra. D Cypr. tract. de habitu Virginum.

* iiij. *CRVCIS gestatione*, non ligneæ illius, sed adflictionum, aut sponte ad carnis debellationem assumtarum, aut vndecunque irruerint, patienter toleratarum. Crucem enim Patres vocant *& ligni patibulum, & piæ vitæ, virtutisque propositum.* Vt Gestationis crucis, quibus Christus maxime excelluit.

Quid vita Christi tota aliud, quam sæua ac longa crux fuit? Max. in ser. Et idem de Martyr.

Matt.10. Et idem ait: *Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus,* vbi accipiendi vocem nota, vt scias adsciscendam, optandamue potius, quam expectandam.

Galat.5. *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.*

Galat. 5. *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.*

Galat.2. *Christo confixus sum cruci.*

Crucem n. aut pauci gerunt. Crucem gestasti? opinor quidem, sed in pileo, aut rosario, aut e collo ligneam aut auream, ac forte ad fastum; at in carne nullam, nec Vigiliarum, nec Ieiuniorum, nec Ciliciorum, aut id genus.

Aut non eã quam debe rent maximè. Si quam aut sponte, aut *angariatus* cum *Simone post Iesum* tulisti, quàm cito deposuisti, aut hortante Iudæo *descendisti de cruce*?

Matt.27. Nolebas scilicet *vt remanerent in cruce corpora Sabbatho*, leuicula aliqua causa.

Aut nõ diu. *Ioan 19.* Pallebas ad Ieiunii, Quadragesimæque sola nomina, velut ad monstri informis, horrendi, ingentis adspectum.

Tu Christianus, qui ad Crucis, quæ Ducis tui vexillum est, nomẽ pallescebas? imò, qua poteras, Militiæ signum proculcabas?

Tulisti (inquies:) sed instar Heraclii Imp. martialem, ostro superbus & auro.

Tulisti, defendisti armis tuis, sed imaginem illius solam: ac benè id quidem, sed à te veram illam abiecisti.

Horat. *O imitatores seruum pecus*! Vah egregias Christi imagines!

Philip.3. Quidam et iam impugnant. Tu Christianus? Imò vero & tu ex illis, de quibus Paulus: *Multi ambulant, quos sæpe dicebam vobis, (nunc autem & flens dico) inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.*

Quid

Quid vero illi, qui signum hoc Ducis & Spiritua-le illud, & Materiale alterum, in aliis etiam non fe-runt? Non in se modo at in aliis quoq;

Bone Deus! quot pro Christianis Antichri-sti!

Sicut audistis, quia Antichristus venit: nunc Antichristi multi facti sunt. 1. Ioan. 2.

Cœlone tum excipiat Christus illos Antichri-stos?

Quæ conuentio Christi ad Belial, id est ad Anti-christum? *lucis ad tenebras?* 2. Cor. 6.

Certe, vt creandi initio, paria paribus adgregauit. *Congregentur aquæ* (ait) *in locum vnum*, flumina in-trent mare: sic hoc rerum fine, hos crucis osores homines, ad dæmones eiusdem osores acerbissi-mos, pares ad pares relegabit. Genes. 1.

Aduentu quidē illo primo *habitauit lupus cum agno, & pardus cum hædo adcubuit, vitulus & leo & ouis simul morati*, & fatuæ virgines cū prudēti-bus. improbi cum electi: at isto altero, *separabũtur oues ab hædis.* Isa. 11. & 65. Matt. 25.

Quid vero, quod nō simpliciter tantum ille nos, sed & comparatē est iudicaturus, & nunc pessimos minus malis: nunc Ethnicos alienæque religionis, Christianis: omnes vel singulos, vel vni vel pluribus est comparaturus? Comparate etiam iudicandi sumus.

Ita hoc firmo, Perfectioris id est Euangelicæ le-gis homines saltem tale iudiciū manet, quale Mo-saici expectant. Sed ista ad pudorē cōparatio manet Mosaicæ legis homines, quam Euangelio inferio-rem fatentur omnes: Ergo & Christianos. Ethnicis in Christianos productis.

Maiore manifesta, minori obscuriori iam iā pro-fero illustrissimas faces. Matt. 10.

Christi: *Tolerabilius erit terra Sodomorum & Go-morrhæorum, in die iudicij, quā illi ciuitati, quæ non receperit vos, neque audierit sermones vestros.* Scripturarum testimonio.

Cœpit

Matt. 11. *Cœpit exprobare ciuitatibus, in quibus factæ sunt plurimæ virtutes eius, quia non egissent pœnitentiam. Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida: quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent. Verumtamen dico vobis, Tyro & Sidoni remissius erit in die iudicij, quam vobis. Et tu Capharnaum, nunquid vsque in cælum exaltaberis? vsque in infernum descendes, quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, forte mansissent vsque in hanc diem. Verumtamen dico vobis, quia terræ Sodomorum remissius erit, in die iudicij, quam tibi.*

Matth. 12. *Filij vestri in quo eijciunt* (Dæmones) *ideo ipsi iudices vestri erunt.*

Ibid. *Viri Niniuitæ surgent in iudicio, cum generatione ista & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ.*

Pauli; qui forte hominum Angelorumque inter se comparationem illam, præter alia, insinuans dixit: *Nescitis quoniam Angelos iudicabimus?* 1. Cor. 6.

Surgent ergo ex agmine Ethnicorum vocati ex nomine a iudice multi, quorum virtus maior à Natura; quam Christianorum, cum Natura eadem, & Gratia.

Si comparatio omnis odiosa vulgo est, erit illa certe odiosissima, quod vti hinc scelera, illinc virtutes iuxta se positæ magis elucescent; ita pudore illa maiore reos; istæ honore ampliore probos cumulabunt.

Opponentur enim Christianis irreligiosis. Ethnicorū religiosissima.

Ergo ita iudex tecum: Tu Christianus? vbi Religio ac Sacrorum cultus?

Is Christianus, qui nec Templa, nec aras, nec focos sacros, nec sacrificos, nec Vestales vllas, *neque Deos, neque homines diuinos reueretur?* Qui templa velut arces propugnat, impugnat, expugnat, profanat

hat obſidio occidioque, araſque pro haris habet, neque *amicus* aut inimicus eſt *vſque ad aras*, ſed & *inter templum & altare*, &c: *vel in ara* eſt ſæuus? *Prouerb. Matt. 23.*

Chriſtianus? imò ne Ethnicis par quidem.

Ageſilao igitur tum ex Ethnicorum corona, nomine euocato, non tu dicturum Iudicem putas?

Et cum tibi ex Ethnicis, qui Rex, qui vulneratus licet, violari tamen vetuit, qui fugerant ad Mineruæ? *Virg. 2. Aeneid.*

Nonne Gentium pœnè omnium iure, *ara tuebatur omnes*, & templa aſyla fidiſſima?

Chriſtianus tu? Mentiris, ſed Paganus, imò *infideli deterior.*

Iurabas trecentos Ioues, ac Deos omnes paſſim, quaqua cauſa, iuratus verò etiam Euang. Et crucis adtactu, peierabas. Periuris cõſtantiſſimi.

Huc Romanos. En ex Ethnicis, qui non iurati niſi præſente ſacrifico: iurati vero fidem etiam hoſti ſeruauere, imò etiam per vim iurati, vt qui Scipioni & Torquato vrgentibus gladio, poſt cædem apud Cannas iurarant, omnino vrbem non ſe deſerturos.

Tu, cum Punica tua Fide, tu Parthis mendacior, Chriſtianus? Mentiris, ſed Paganus, imò *infideli deterior.*

Rebus aduerſis benedicebas Deum, id eſt, in verba blaſphemiæ erumpebas. Fractis aduerſitate fortiſſimi.

Huc ad me Turcas: *Inter Machometiſtas, nullus tam durus caſus eis contingit, vt fracti impatientia redigantur in blaſphemias, verum quicquid euenerit, non ſtomachantur vt auriga, & nautæ, ſed illud habent in ore, Laus Deo.* *Nic. Clem. l. 1. ep. pag. 110*

Sacerdotes meos ac miniſtros contemtim habébas. Sacerdotii contẽtorib. ad oratores.

Huc ad me Alexandros, Iaddo adgeniculatos; Hùc Attilas Leonis oratione cicuratos; Hùc Persas priscos, apud quos Magi in summo honore, Reges, Sacerdotes, Consiliarii, Doctores.

Hùc Galliam veterem Druydas suos maximè veneratam.

Hùc Romanos Coss. quorū fasses Vestalibus obcursantibus inclinati; sententiæ capitis (illis casu interuenientibus) reuocatæ.

Hùc Licinium Rom. qui, perdita Roma, fugiens, è curru cum vxore liberisque descendit, vt Vestalem, etiam cum sacris fugientem, inferret?

Auaris opū contemtores.

Tu Christianus his aduersa gerens omnia? Mentiris, sed Paganus, imò *infideli deterior.*

Iuuen.

Tu diuitiarum, regnorumque helluo, cui *vnus* (vt olim *Pellæo iuueni*) *non sufficit orbis*, quique obolo Mūdi vltimo per fas ac nefas inhians, tibi sordidus, Lazaro crùdelior epulone vixisti, Christianum te iactes?

Cicero in parad.

Non tu putas euocandum è medio Biantem, omnia secum portantem, cùm opum illarum, quas dicunt, omnino nihil Priene capta exportaret?

Non Cratetem, qui opes in mare mergere quàm ab illis in vitia mergi maluit?

Non Diogenem: vasa, velut Sarcophago, pro domo contentum, nihilque ab Alexandro vrgēte vouentem aliud, quam ne is vmbram faceret, dignum illum virum Apostolatu primo, si Christus ad ea illum tempora reseruasset?

Non Pyrrhos, non cauponantes auro bellum & captiuos, sed belligerantes?

Cicer. in off.

Non Fabricios, Curiosque, & ex Ethnicis mille alios, oblati auri contemtores, è medio in medium ad se, aduersum te, euocaturum Christum putas, dicturumque? Tu cū hac auri fame Christianus? Mentiris, sed Paganus, &c.

Tu

Tu auro & ostro in vestibus grauis, &, si pretium spectо, non pileos sed arces in vertice geris, quotidieque, noua, ac nouè, ingeniosus in his nimis, stipes in cæteris, somnias, &c. Comtulis ornatus nimii sugillatores.

Ex Ethnicis, en Lysandrum tibi, qui à Dionysio missas filiabus vestes repulsauit, ne scilicet fœdarentur illis potius quam ornarentur. En Cæsarem Augustum tibi, qui filiam Iuliam intemperantiùs cultam offensior adspexit; eandemque postridiè temperatiore cultu redeuntem laudauit, adiiciens: tēperatum illum cultum Augusti filiam decere magis, quam hesternum illum: ac sæpè vsurpans: *vestitum insignem ac mollem, vexillum esse superbiæ, ac luxuriæ nidum.* *Plutarc.* *Macrob l. 2. Saturn. c. 3.* *Sueton. in Aug.*

En Caligulam etiam ipsum non hic, vti alibi caligantem, qui pulcellos illos comptulos quoties ob cursabant, deformabat, arbitratus, *curatā formam, quoddam esse adulterij incentiuum.* *Idem in Caligula.*

Reges, Imperatoresque Ethnici, Patres in liberis in sexu mundi huius auidissimo nō tulerint: tu homo nouus, fortunæque tenuis, tibi vxori, liberis, regios cultus impunè indulseris?

Christianus tu? Mentiris, sed Paganus, imò verò infideli quouis deterior.

Atque ita ordine Quæsitor ille comparatis tandem vniuersis, iure est ita fulminaturus: Apagete Antichristos istos falsique nominis Christianos. Heptaphono, Olympia porticu, garruliores. Etsi enim *sex etiam, ac septem loca dicant reddere voces.* Et sic de cæteris.

Vnam cum iaceres, ita colles collibus ipsi
Verba repulsantes iterabant verba referri; *Lucret.*

Echo tamen nominis Christiani loquacior fuit. Christianismi enim iactatio, ex pessimi cuiusque ore, ad singulas voces erumpebat.

Apagete (inquiet) qui visis melioribus, proba-

tiſque : deteriora tamen Ethnicis ſequuti eſtis ? Apagete. *Ite maledicti in ignem æternum*, &c.

CONCIO XIII. *vel in ord.* XXVIII.

2. Cor. 5. Them. *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis, prout geſsit, ſiue bonum, ſiue malum.*

FActa repetitione, ita propoſitum.

Dicendum rurſus
1. *Quatuor eſſe notas Chriſtianiſmi præcipuas.*
2. *Ex ijs, Charitatis nota qualis eſſe debeat.* AVE.

I.

Quatuor eſſe Chriſtianiſmi notas præcipuas.

Chriſtiani quanta nobilitas.

Illuſtre planè aliquid eſt, eſſe Chriſtianum. Honores verè magnos ille ambit candidatus, qui Baptiſmum adit ; & maxima, ſuffragiis fauoribuſque obtinet, qui Patrinorum ſponſionibus cōſcribitur Chriſtianus.

Filius enim hominis per Naturam, & Filius Diaboli per culpam, in filium Dei, per Gratiam Chriſti adoptatur, *hæres Dei* futurus, *cohæres autem Chriſti.* (Ioan. 1. Act.) *Dedit eis* Chriſtus *poteſtatem filios Dei fieri*, vt dicere

dicere iam ausint: *Ipsius enim & genus sumus.*

Et mi genus ab Ioue summo.

Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur & simus! 1. Ioan. 3.

Emancipatur non modò mancipium vile, sed & in Regem quoque adsurgit, non per gradus ac moras (vt alias fere) sed simul, ac semel.

Iosephum aliquem mox, è vinculis, ad sceptrum à Rege secundum, derepentè pertractum æstimes Genes.

Hesterem, è serua, mox creatam Assueri Augustam; Hester.

Mardochæum heri proiectum, hodie secundum à Rege declamatum;

Danielem, è filiis captiuitatis Iudæ, Proregem in Babylonia effectum; adeò ex viliss. illustrissimus de subito effectus est, quisquis est baptizatus. Homo nouus, homo nouus.

At verò audi (Initiare iam, ac tu quoque fide-iussor:) si honor est, & onus; *quæ honorant etiam onerant.*

Fideiussor honoratur, oneraturque, vt curet à Baptizato reddi, quæ is promisit Deo.

Prouerbio (*Qui spondet, soluit*) etiam hic locus.

Compatres ac Commatres illos vulgus vocat, significantius, quàm latinius, quod scilicet illos cum Patribus Patres, cum Matribus Matres æquè esse oporteat, & anxiè de filiolorum candidatorumque suorum salute solicitos.

Spopondisse homini pro homine nusquam motis, nisi sponsione etiam te liberes, aut illius ære pro quo spondebas: aut tuo: Et vice hominis, neque scientis, neque intelligentis. Sacrum illud commercium, Deo spopondisse, satis tu putes, nisi aut præstari cures, aut ipsus præstes?

Filiolos igitur cum Parentibus, tu doce, ac mone, Primi panem corpori præstent ac menti: tu menti saltem.

Fidei Symbolo ac Decalogo imbue serius catechista.

Ita Moyses baptizatum in mari populum, lege Dei instruxit.

Argue, obsecra, increpa, in omni patientia, & doctrina.

Eccli. 29. Baptizatus autem *Gratiam fideiussoris non obliuiscatur, dedit enim pro illo animam suam.*

Cic. 3. off. *Factus est alter vas eius sistendi vt si ille non ita* vixerit, vt promisit, *moriendum sit sibi.*

Vadem ergo vadimonio liberet, ac vnà seipsum; verum Christianum exhibendo; cuius hæ potiores notæ.

Verus à falso 4. notis discernitur.

Christiani veri potiores notæ quatuor.
- *1. Fides eaq; Catholica ac publica,*
- *2. Communio mysterij,*
- *3. Nouitas vitæ,*
- *4. Charitas.*

1. Fide Catholica.

* 1. *FIDES* Catholica, quæ Christiani nota prima, & basis salutis.

Initiatorum est, Christi fidē in eius Ecclesia profiteri, reiectis sectis ab illa damnatis.

Hebr. 12. *Sine fide impossibile est placere Deo.*

In hac qui est, velut in arca Noe in portu nauigat.

Quintil. li. instit. Orat. Et Catholica illa esto, j. vniuersalis, seu Quintiliano perpetualis, sit fides inconcussa.

Semper *corde credendum ad iustitiam*: & Locis, Temporibusque *confessio facienda ad salutem.*

Quam aliqui falso habere se iactant.

Catholicus enim non est, qui
- *1. Partem Symboli recipit, partem reiectat.*
- *2. Intus tantum, vt Petrus in atrio, fidelis est*; quod licere volunt Helchesetæ hæretici;
- 3. *Foris tantum*, vt nunc Hæretici timidiores;

4. Tem-

4. *Tempore tantum secundo, aduerso minime;*
5. *Locis certis, vt Romæ*, non Vniuersis, vt in Anglia, &c.

Christus non erubescendus coram vllis hominibus.

Loquebar de testimoniis tuis, in conspectu Regum, & non confundebar, ait ille. *Psal. 118.*

Mortes mille potius obeundæ, quàm Fides eiuetur.

Quod sis esse velis nihilque malis, non intus solùm, vt quondam Petrus in atrio trepidans; neque foris tantum (vt nunc Politici multi) sed martyrum exemplo, intus ac foris.

Esto, vt liber ille propheticus scriptus intus ac foris. Sic clàm, vt palàm.

Turpe auditu: *Et ex Principibus multi crediderũt in eum: sed propter Pharisæos, non confitebantur, vt è Synagoga non eijcerentur. Dilexerunt enim gloriam hominum magis quam gloriam Dei.* *Ioan. 12.*

Qua mensura mensi Christo *fueritis*: idem *eadem remetietur vobis.*

Confitebitur sc. confitentes se.

Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo. *Matth, 10.*

Erubescentes erubescet inuicem, in hoc totius Orbis theatro. Velut Hostimento ac talione vsus, inficias inficiis vindicabit.

Qui me erubuerit & meos sermones; hunc filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate, sua, & Patris, & Sanctorum Angelorum. *Luc. 9.*

Non erit eius populus, qui eum negaturus est. *Daniel. 9.*

* 2. *COMMVNIO mysterij*, seu Sacramenti Altaris; cuius & Baptismatis par prope necessitas. 2. Communione mysterii.

Tempora tantum ætatesq; distingue, & Numerum, Nam Baptisma singulis, quacunque ætate, semel vnicuique est necessarium, Communio mysti-

ca Grandibus tantum, at frequenter (ne dicam quotidie) Paschate saltem quolibet Ecclesiæ lege, vsurpanda.

Vtrobique terribiliter inclamatum *(Nisi)* vtro-
1. bique pœna capitis indicta J. vitæ æternæ iactura;
2. vtrobique Iusiurandum.
3. Adtende: *Amen, Amen dico tibi* (en Iusiurandum:) *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto* (en Baptismi legem) *non potest intrare in regnum Dei* (en pœnam contemnentis.

Amen Amen dico vobis (en & Iusiurandum:) *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem* (en etiam communicandi legē.) *non habebitis vitam in vobis* (en negligentiū mulctam.)

Viderint, quibus tam parum communis est ista Communio.

Ioan.3. *3. *NOVITAS vitæ*, quam ipsæ regenerandi, ac renascendi voces iubent. *Nisi quis renatus*, &c. *regenerauit nos in spem viuam*, &c.

3. Nouitate vitæ.

Rom.6. *Consepulti enim sumus cum Christo, per Baptismum in mortem, vt quomodo Christus surrexit à mortuis, per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.*

Hinc illa creberrima: *Vetus homo noster, Nouus homo, &c.*

Fidelem non solum ex communione mysterij, sed etiam ex nouitate vitæ oportet agnosci.

D Chrys. ho. 4. oper. imp. in Matth. Patrem filius ore aut opere referat oportet: At Baptismus dat filios Dei & Christi fieri: Ergo Christiano Christi vita omnis exprimenda, Incessus, Adspectus, Vestes ac Voces, cum vultu non possit.

Nuces, nugæque (si tamen nugæ) sæculi: pompæ, & quicquid Capitale, in ianuis ipsis Baptismi atque Ecclesiæ relinquendæ. Religio Christi aliam vitam, alios mores postulat.

Ne-

Nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in nouitate sensus vestri. Roman. 12.

Mutandus es in virum alterum Metamorphosi magna, à conatu tuo, & Gratia Dei.

Vt cæco *amore hominem vides immutari, adeo vt non cognoscas eundem esse*, ita illo Christi casto & illuminante, transmutari decet, vt in nouitate vitæ ambulans, dicat se eundem non esse, alii videndo credant. *Viuo ego iam non ego, non sum qui fueram.* Terent.

Verte impios & non erunt.

Baptizatus, lotusq; es? Nigredinem ergo sordesque primas, in candorem nitoremque versas declara.

E coruo cygnus nunc esto, & velut *grex tonsarum quæ ascendunt de lauacro.* Cant. 4.

Expoliaui me tunica mea (vetere peccandi vsu deposito:) *quomodo induar illa?* (redibo ad vomitum?) *laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Cant. 5.

Nam si sola Fides sufficit, quò tandem Christus dixit: *Regnū cœlorum vim patitur?* quò leges fixit? quò exleges pœnarum varietate territauit? quo obseruatores legum, multitudine mansionum adlexit?

Quis Ethnicorum Christianismum repudiet ostentantem *ad astra tam mollem è terris* viam? Senec. trag.

Duarum alarum remigio, non solius Fidei (vt isti aiunt) neque Morum dumtaxat (vt Philosophi) sed Fidei Morumque, vna explicatarum, sursum euolandum.

Illa Fidei veritatis est, altera Virtutis: Prima, Intellectus, altera, Voluntatis.

Biga salutis, Fides, & Mores boni.

Hac Argo, in Sacrum illum portum importati, vellus aureum, Colchico illo Iasonis, illoque Burgundionum fœlicius reportamus.

Hæc vela, hi remi, quorum si alterutrum desit, peristi.

D. Aug. l. de fide ad Petrum c. 40. tom. 3.

Augustini oraculum certum: *Firmißimè tene: & nullatenus dubites, non omnes, qui intra Ecclesiam Catholicam baptizantur, accepturos esse vitam æternam, sed eos, qui percepto baptismate rectè viuũt: id est, qui abstinuerunt se à vitiis & concupiscentiis carnis. Regnum enim cælorum sicut infideles hæretici atque schismatici non habebunt; sic Catholici criminosi poßidere non potuerunt.*

Difficilis nouatio illa, quidem adspectu primo, nondum renatis; at renatis facillima.

D. Cypr. l. 2. ep. 2. videatur.

D. Cyprianus vtrumque ipse expertus, vtriusque locuples testis.

At quomodo tu Christianus, quem Baptismus nihil emendauit? imò qui à Baptismo suscepto, mẽdosioris vitæ es effectus?

Isocrat. in Areopag.

Improbissimus olim quisque si Areopagita creabatur, mox vitia antiqua deponebat; Christianus conscriptus nunquam deponens vetera, etiam impunè adsumet noua?

4. Charitate, eaque maximè.

* 4. *CHARITAS*, tessera Christianismi, vniuersis nota quidem, paucis verò ritè exercita exercitu tam numeroso.

Ioan. 15.

Ita Dux de illa ad Militiæ futuræ tribunos: *In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.*

1. Ioan. 3.

Et Tribunus ad milites: *Filioli mei, non diligamus verbo, neq; lingua sed opere & veritate, in hoc cognoscimus, quoniam ex veritate sumus.*

D. Aug. de laude charit. in illud 1. Ioan. in hoc manifesti sunt filij Dei, & filij Diaboli.

D. Augustini senso, *Dilectio sola discernit inter filios Dei, & filios Diaboli. Signẽt se omnes signo crucis, respondeant omnes Amẽ, cantent omnes alleluia baptizentur omnes, intrent ecclesias, impleant parietes basilicarum, non discernuntur filij Dei à filijs Diaboli, nisi charitate. Qui habent charitatem, nati sunt ex Deo: qui non habent charitatem, non sunt ex Deo.*

Ille

Ille verus Christianus est, qui omnibus misericordiam facit, qui nulla omnino mouetur iniuria, qui alienum dolorem tanquam proprium sentit, cuius mensam nullus pauper ignorat... Qui miseris subuenit, qui ad fletum fletib. prouocatur alienis. *Idem li. de vita Christiani.*

Oraculum Ioannis est: *Diligite alterutrum: præceptum. n. Domini est & si solum fiat, sufficit.* *D. Hier. l 3. comment. in c 6 ep. ad Gal.*

Oraculo Pauli, omnia sine illa nihil sunt. *1. Cor. 13.*

Non numerositas operum, non diuturnitas temporum, sed maior charitas meliorque voluntas auget meritum. Quod patet & quod latet in diuinis codicibus, tenet, qui charitatem seruat in moribus. *D. Aug de laude charitatis.*

II.

Et iis, Charitatis nota qualis esse debeat.

Charitas vero duplex.
- 1. *Affectus*, pauperum propria;
- 2. *Effectus*, diuitibus imperata.

Non quæcunque ea, aut quocunque orta fonte, salutaris. Non quo libet fonte orta.

Charitatis fontes quatuor
- *1. Natura,*
- *2. Consanguinitas,*
- *3. Ratio.*
- *4. Gratia seu Euangelium.*

* 1. *NATVRA*, id est speciei eiusdem, Patriæque communio, qua fit, vt homines hominibus, ciues ciuibus, adeoque brutæ brutis animantes (quamdiu altera alteri iniuria non est) opitulentur. Non Naturæ.

Ea singulos vniuersis obligauit: etiam Christianos Turcis, signando indigi illi opis nostræ:

Diliges proximum tuum (j. Naturæ eiusdem tecum consortem) *sicut teipsum.*

Ignis

Leuit.6. *Ignis semper ardebit in altari meo, quem nutriet Sacerdos vt non extinguatur, subijciens mane ligna per singulos dies.*

Samaritanus Iudæum saucium, hospiti, curādum equo aduectans (*& si non coutuntur Iudæi Samaritanis*) nobile exemplum.

Luc 10. *Ioan.4.*

Luc.10. Christi sanctio: *Vade & tu fac similiter.*

Consanguinitatis. *2. CONSANGVINITAS*, id est, ad natos, parentes, aut adfines respectus; quæ Charitas, Publicanorum propria est, imò & bestiarum, *qua diuini, nisi detestabili scelere, non potest.*

Cic. de Amic.

Maxima charitas debetur parentibus; proxima filiis; deinceps gradati reliquis.

Aut Rationis. *3. RATIO*, id est, meritorum, dignitatis, qualitatisque personarum discretio, quæ alteros alteris præferri suadet, vt probos, improbis; Optimatem plebeio, domesticum Fidei; Ethnico, amicum, inimico, &c.

1.Ioan 3. *In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & non debemus pro fratribus animas ponere.*

Galat.6. Hinc illa: *Operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei.*

Si quis suorum & maxime domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.

Prou 31. *Omnes domestici eius vestiti sunt duplicibus.*

Cant. Qui *Ordinauit in me charitatem* hac ratione rem geri non vetat.

Sed Gratiæ, *4. GRATIA, seu Euangelium*, quum indignis etiam benè aut volumus aut facimus, instinctu interno Dei aut externo legis.

Cuius iudicia quatuor potiora. *Galat.6.*

Verbi causa, Charitatis Euangelicæ est,

- *1. Pati hostem, Alter alterius onera portate, & hic adimplebitis legem Christi.*
- *2. Ignoscere iniurio:*
- *3. Orare, pro persequutore:*
- *4. Benefacere hosti, Opibus, Operis, Vita-*

Vitaque(si opus)quo altius virtus illa ire non potest.

Maiorem hac dilectionem nemo habet,vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Humana illa, qua Cœlestis illa altior. Ioan. 15.

Audistis quia dictum est, Diliges proximũ tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis,diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos: & orate pro persequentibus & calumniantibus vos,vt sitis Filij Patris vestri, qui in cœlis est. Deut. 15. Leuit 9. Matt. 5.

Exemplo tibi Deus,*qui solem suum oriri facit super bonos & malos,& pluit super iustos & iniustos.* Ibid.

Christus Dux,&Stephanus miles,vtriq; animam efflaturi,pro hostibus orauere;Christus vero etiam pro inimicis mortuus est.

Si enim diligitis eos,qui vos diligunt,quam mercedem habebitis?nonne & Publicani hoc faciunt? Et si salutaueritis fratres vestros tantum,quid amplius facitis,nonne & Ethnici hoc faciunt? Matt. 5.

Charitas	*1. Naturæ.* *2. Consanguinitatis,* *3. Rationis,* *4. Gratiæ,seu Euang.*	est	*1 Ferarum,* *2. Hominum,* *3. Philosophorum.* *4. Christianorum.*

Iudex ergò notas istas in Christianis est exacturus, quibus destitutos ad ignes, bestiasque damnabit.

Tu Christianus?(aiet:)At vbi Fides illa? vbi Cõmunio mysterii? vbi nouitas vitæ, & Charitas illa maximè tessera Castrorum meorum. A qua alieni qui illam Naturæ

Tu Christianus etiam ab illa Naturæ,ac Ferarum charitate alienus,nullum adiutans, multis nocens? nondum attigerunt.

Tu

Tu Christianus, ab humana illa charitate Sanguinis, tàm auersus, Patri, Oedipus, Matri Nero?

Tu Christianus, philosophica illa charitate Rationis tam vacuus, atque in meritos Iuda ipso ingratior?

Vbi illa gratiæ charitas, Christianorum propria, misericors vel in hostem?

Nam qui bonos persequeris, quando Malis benefacies?

Estote ergo vos(Charitate)*perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est.*

CONCIO XIV. *vel in ord.* XXIX.

2. Cor. 5. Them. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum.*

FActa repetitione, ita propositum.

Dicendum hodie:
1. *Magnam operum Charitatis in iudicio habitum iri rationem:*
2. *Sententia iudicis tolli excusationem neglectus operum illorum & corrigi intentiones operantium.*
3. *Iustius damnatum iri malos Christianos, quam Paganos æquè improbos,* & cur? AVE.

I. *Ma-*

I.

Magnam operum Charitatis in Iudicio habitum iri rationem.

Magnam, dubio procul, Virtutum omnium Iudex rationem habiturus quidem: at charitatis maximam, adeò vt soli illi beandi pœnè videantur, qui tum Patrona illa vtentur, casuri causa, hac destituti.

Illa tam fori illius Regina, quam Cicero Rex Romani, aut Demosthenes Attici. *Apoc.* Charitas in iudicio patrona optima.

Illa *aperit, & nemo claudit.*

Fidissima illic iudicandorum comes misericordia.

Habet enim in aduersis auxilia, quæ in secundis commodat. *Pub. Mimus.*

Opera enim illorum sequuntur illos. *Apocal.*

Psaltes prædixit. *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem; in die mala liberabit eum Dominus.* *Psalm. 40.*

Dominus conseruet eum, & viuificet eum, & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in animam inimicorum eius.

Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius: vniuersum stratum eius versasti in infirmitate eius. Vbi præsens optatiui, pro futuro indicatiui propheta vsurpauit. *Psam. 111.*

Dies mala quidem illa iudicii, sed non humanitatis studioso. *In die mala* (inquit) *liberabit eum Dominus.*

Iucundus homo, qui miseretur & commodat, disponit sermones suos in iudicio, quia in æternum non commouebitur in memoria æterna erit iustus, ab auditione mala non timebit. Paratum cor eius sperare in Domino, confirmatum est cor eius; non commouebitur donec despiciat inimicos suos: cornu eius exaltabitur in gloria. Hinc

Daniel.4. Hinc ista: *Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum, forsitan ignoscet delictis tuis Deus,* o Nabuchodonosor Rex.

Conclude eleemosynam in sinu pauperis, & hæc Eccli.29. *pro te exorabit ab omni malo.*

Luc.11. *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.*

Luc.16. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula.*

Matt.5. *Beati misericordes quoniam ipsi misericordiam consequentur.*

1.Pet.4. *Charitas operit multitudinem peccatorum.*

Tob.4. *Eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras.*

Figuram aliquam illius vide: Debiles, claudos, cœcos, & multo defectu deformes vndecunq; col- Matt.10. lectos promiscuè habebant quidem Regiæ illæ nuptiæ, nulli tamen improperata, aut lippitudo, aut cœcitas sua, sed quisquis vestem nuptialem, recognoscente discumbentes Rege habuit, gratus fuit. Vnicus (qui fortè nec claudus, nec debilis fuit) vinctus eiectusque est, duntaxat quod vestem nuptialem illam non haberet.

Inuitatio illa omnium promiscua, typus Vocationis Gentium fuit: & illa regia Discumbentium recognitio, Imago quædam iudicii istius; Vestis verò nuptialis tanta necessitas, insinuat operum charitatis solo defectu, homines alias non pessimos, famosissima illa Solis Cælique mensa excludi.

Matt.25. Virgines illæ fatuæ, quibus oleum defuit, etiam sponsi conopæo exclusæ, quid aliud quam huius vmbra? Nec enim illas libido aut deformitas vlla, sed solus olei, id est (Doctorũ, & Chrysostomi maxime sensu) operum misericordiæ defectus aut explosit, aut exclusit.

Chari-

Charitatis enim pulcer index oleum; quod vti dolores lenit, linores curat, & chirurgicas compositiones plerasque ingreditur: vnde illud: *Vulnus, & plaga tumens non est circunligata, nec curata medicamine, neq; fota oleo:* & Samaritanus curando saucio feminece, vino oleoque vsus:) ita Charitas peccati cuiusuis certa medela.

Et decent profecto opera illa Christianos maximè, qui à chrismate i. vnctione, non modo illâ, quâ vncti ipsi, sed quâ alios vngere ipsi debent, sic dicuntur.

Amedæus Sabundiæ Dux vim Charitatis vidit, qui Oratoribus venaticos canes vi lere poscētibus: Hi (mendicos indicabat) *sunt canes mei, inquit quos alo quotidiè, quibus & me cœlestem gloriam spero venaturum,* Isai. 1. Munster, l. 1 Cosmograp.

Philippo Macedoni castra vniuersa auro expugnabilia, at mihi etiam Cœlum, Eleemosynis panni panisque, in pauperes coniectis.

Cœli Spartam auro dato; & Capitolium Romano melius, armillis in pauperes coniectis, qui vult capit.

Iudici saltem tu crede, cuius hoc situm: *Tunc dicit Rex his, qui à dextris eius erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere hospes eram, & collegistis me nudus & operuistis me,* &c. Matth. 25.

Tunc dicet & his, qui a sinistris erunt: Discedite à me maledicti in ignem æternum qui paratus est Diabolo, & Angelis eius Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare, sitiui, & non dedistis mihi potum: hospes eram, & non collegistis me, &c. Ibidem.

Causâ hi cadunt, illi releuantur, ab adspectu solo magnæ, aut nullius, Charitatis.

Etsi non sola.

Non Proborum Temperantiam, Iustitiamue & alia id genus, neque Improborum Homicidia Incestusue & id genus, sed vnū Charitatis cultum in illis; neglectum in aliis profert damnandi absoluendiue causas, non quia cætera illa ibi vana, sed quia Charitas illic prima, atque vt sit nunc illa (in cuius manu ius vitæ ac necis) commendatissima.

Quin & hinc maximè liquet, cæteras Virtutes difficiliores tum maximè profuturas, quandoquidē Charitatis, ad quam nati sumus, tanti sit patrocinium.

Sed & Iudicis Bonitas Æquitasque summa intelligitur, qui non de Virginitatis, Martyri, &c. rerū altissimarum, Naturæque aduersantium; sed de facillimæ, & à Naturâ nobis insitæ Virtutis cultu, neglectue, hos damnet, istos seruet.

Ad Charitatem enim, Naturæ trahit communio.

Diog. Laert. l. 5. c. 1.

Aristoteles hâc tractus dabat vel improbo. Nam reprehensus ille quondam, quod eleemosynam improbo dedisset, *Non homini (inquit) dedi, sed humanæ sorti.*

Pub. Mimus.

Homo qui in homine calamitioso est misericors, meminit sui.

Itaque, tu Christiane, frustrâ cœlum speras, qui non modò esurientes, ac nudos, &c. non recreasti, sed tales ipsus effecisti, vel debita inficiando, vel tardius exoluendo; vel processum nodis inextricabilibus; & sumptibus hinc nouis in causidicos, grauando; vel vsuris deuorando; vel, calumniis, opes innocentum subhastando; vel vi manifestâ, prædonis instar; vel vi speciosâ tributorum, tyranni more deprædando.

D. Greg.

Nam *si tantâ pœnâ multatur, qui sua non dedisse conuincitur, quâ pœna feriendus est, qui aliena redarguitur abstulisse?*

An

An fortè ibunt in ignem æternum qui opera misericordiæ non fecerunt: & nō ibunt, qui aliena rapuerunt? D. Aug. l. de fide & oper. c. 15. Iacob. 2.

Iudicium sine misericordia, ei qui non fecerit misericordiam.

II.

Sententia Iudicis, tolli excusationem neglectus operum illorum; corrigique intentiones & iniquitates operantium.

Christus opera misericordiæ, non pauperibus, sed sibi impensa ait.

Cur verò *Esuriui, sitiui, &c. dedistis mihi,* &c. ait? non autem sic: Pauperes mei esuriēre, sitiēre, &c. & dedistis illis?

De se loquitur Iudex notans, tum
- 1. *Vnionem capitis ad illa maximè membra arctißimam,*
- 2. *Excusationes immisericordium caluas,*
- 3. *Intentiones largientium,*
- 4. *Materiam Eleemosynæ propriam,*
- 5. *Personatam Dei Maiest.*

* j. *VNIONEM.* Illa enim arctissima videtur, cum alter alterius bona aut mala habet pro suis, estque secundus ille mihi alter ego. j. Propter vnionem capitis ad membra.

* ij. *EXCVSATIONES immisericordium,* caluas plerumque,

Non dandi caluæ causæ tres ferè
- 1. *Egestas a culpâ,*
- 2. *Improbitas egentis,*
- 3. *Ingratitudo recipientis.*

Luc. 15.

* j. *EGESTAS à culpa*, vt si quidam fecere proteruiam, prodigi Euangelici instar, & postea, stipite magis quàm stipe digni, mendicent.

Stob.

Demosthenis enim sensu, *habenda potissimum ratio eorum, qui à nulla culpa pauperes sunt.*

Vel ab Improbitate.

* 2. *IMPROBITAS egentis*, quum datis putatur abusurus

1\. Photii vox: *Qui largiuntur indignis ea quæ dignis conferri debebant, tria committunt absurda Nã*
2\.
3\. *& ipsi iacturam faciunt, & in Bonos contumeliosi sunt, & Malos roborant materia veterum* (vitiorum malim legere) *suppeditata.*

Max ser de beneficentia.

Max ser. 8

Beneficium indigno quod fit, perit.

Democritus quoque quum animaduertisset quendam quibuslibet promtè largientem & temere suppeditantem: *Male* (inquit) *pereas, qui Gratias Virgines meretrices effecisti*

Matth 5.

Sed Deo mens alia, *qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.*

Vel ab Ingratitudine egenerum.

* 3. *INGRATITVDO*, quum orandi ad Deum, pro munifici., subrepit obliuio.

Ingratis seruire nefas; quæ ferè tergiuersando, ab eleemosynis, nugamur.

Lucana.

At his Christus obcurrit dicens; *Esuriui, sitiui, &c. dedistis mihi.*

Q. d. Egens ille sit culpâ suà, sit improbus, sit ingratus licet; at non ego, cui, aut cuius ad spectu, hæc facis.

Virgil. Aeneid.

Bene apud memorem veteris stat gratia facti.

Non improbo, non ingrato dedisti, sed mihi (inquit) etiam scyphum aquæ datum liberalissimè repensuro.

3\. Ad dirigendas dãtium intentiones.

Eleemosyna ipsa, vel mendico oblito, tibi Deum exoratura.

* iij. *INTENTIONES largientium*, quarũ quædam bonæ licet, tamen meriti pœnè expertes.

Dant

Dant alii:
- 1. *Naturæ*, quia homo eſt, qui accipit;
- 2. *Patriæ*, quià aduena ex orbe ſuo;
- 3. *Fidei ceu Religioni*, quià Domeſticus Fidei;
- 4. *Perſonæ*, quià Rex, Diues, Redditurus, &c.
- 5. *Gloriæ*, quia humanitatem dãtis deprædicaturus, &c.

At ſolius ſui adſpectu dandum innuit Chriſtus dicens: *dediſtis mihi manducare dediſtis mihi bibere; viſitaſtis me, &c.* q.d. me vnum in egenis conſideraſtis, aut conſiderare debuiſtis.

Aliud, quod ſponte impenditur Naturæ; aliud, quod præceptis Dominicis, ex charitate debetur obedientia. D. Greg. hõ. 27. in Euang.

iiij. *Materiam Eleemoſynæ propriam: Dediſtis* (inquit,) dat propriè, qui peculii ac proprii eſt liberalis. 4. Ad Materiam Eleemoſynæ iudicandam.

Honora Dominum de tuâ ſubſtantiâ.

Non dat qui ex vſuris, rapinis, peculatu confert.

Rependium hoc potius qualecunque, quam donum.

Hoc eſt (vt loquuntur) Exuuiis D. Petro detractis, induuias D. Paulo præſtare; atque ex ſacrilegio ſacrificium offerre.

Qui offert ſacrificiũ ex ſubſtantiâ pauperis, quaſi qui immolat filium in conſpectu Patris. Eccl. 34.

Dona iniquorum non probat altiſſimus; ex alieno enim corio corrigias latiſſimas exſecant. Ibidem.

* v. *MAIESTRTEM Dei perſonatam*, id eſt, pauperis ſpecie non raró mendicantem Deum. 5. Et perſona tam nõ raro Dei maieſtaté.

Dediſtis, ait, *& non dediſtis mihi*, vt Deum ipſum præſentem, ac recipientem, non æſtimatione tantũ, ſed & ſæpè in perſona, intelligas. Matt. 25.

Deus verus & si omnia ex alto, & ab æterno cognoscit, sæpè tamen in terras (opinor) delabitur hominem indutus, vt hominibus, in Iudicio, acrius improperet, quam ipsus expertus sit, feritatem.

Gen. 11. Quod vltimum hic variè probatur.

Certè cum cœpissent filii Adam, diluuii adhuc memores, turrim Babel ædificare, contra vim aquarum, ac Dei vltoris: *Descendit Dominus, vt videret ciuitatem & turrem, quam ædificabant filij Adam, & dixit: Ecce vnus est populus, & vnum est labium omnibus: cœperuntque hoc facere, nec desistent à cogitationibus suis donec eas opere compleant. Venite igitur, descendamus, & cōfundamus ibi linguam eorum, vt non audiat vnusquisque vocem proximi sui.*

Gen. 18.

Sodoma deinde Gomorrhâque degeneribus amoribus insolescente nonne etiam *Dixit Dominus Abrahæ; Clamor Sodomorum & Gomorrhæorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatū est nimis. Descendam, & videbo vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint: an non est ità, vt sciam*

Itaque Triumuiratus ille Augustissimus, Sodomam ad Loth venit, ac ferè mutam ipse tum ab incolis vim est passus.

Baruc. 3.

Quid? illud: *In terris visus est, & cum hominibus conuersatus est:*

Et illud: *Delitiæ meæ esse cum filiis hominum?* an de solâ Incarnatione ex Virgine Maria, aut de spirituali in nos illapsum tantum; non etiam de personata nonnunquam Dei maiestate intelligenda censeamus?

Ouid l. 1. Metam.

Ethnici certè, suum Iouem, auditâ famâ crudelitatis Lycaonis, hospites deuorantis, narrant specie hospitis ad Lycaonem aduentasse, illumque ipsi etiam necem molientem, in lupum vertisse.

Metam. Ouid.

Idem in domum Philemonis aliquandò diuertisse legitur, repulsam iam passus ab aliis multis;

an-

eandemque domum & hospitem in templum ac Sacerdotem consecrâsse.

Apollo etiam Myda Rege hospite est vsus; quē, hospitii gratiâ, effecit opulentissimum. *Idem.*

Magnis viris, & hoc in vsu.

Vlysses, ignotâ specie, domum rediens, procorum Penelopes suæ insolentiam detexit, vindicauitque.

Franciscus 1. Gallorum Rex, cognomento Naso, habitu dissimulato, Rustici mensâ, hospitioque vsus est.

Idem, insolentiam fabrorum ærariorum, viatorem mentitus atque ira cacabos ferre coactus, detexit, quos Bellomontii (vt fama est) in crucem agi iussit.

Hierosolymorum nescio quis Tyrannus, audita Moliminum Gothefridi Buillonii fama, Hierosolymis, ad Gothefridi ipsius patriam ac domum venit, hominis indolem, potentiamque, conatusque exploraturus: tam nostros Hierosolymos sibi ab illo eripi metuebat.

Triumuiratum ergò illum non putes sæpè è Cœlo, in has oras, mendici specie delabi, & Patrem, Natumque ac spiritum S. alterum alteri dicere: *Eamus, descendamus, mendicos induamus, videamus Vrbe illa tota, aut Vico, quot panis frustra daturi cines, vt in Iudicio vere dicamus, Esuriui, sitiui, nō dedistis mihi, &c.*

Ego in hac opinione, & si aliquis in illa error, pius, & ad pietatem. *Bren. Rom.*

Gregorius enim Magnus, qui *peregrinos quotidie ad mensam adhibebat, vndè Angelum, & Dominum Angelorum, peregrini specie, accepisset*, si non ita tū dixisset Christus; Eamus, & quæ Romæ, quæ in Pontificis Curia, charitas sit, videamus?

Ibid. ex Severo Sulpitio.
D. Greg hō. 39. in Euag.

D. Martinus vnde à Christo audisset; *Martinus adhuc Cathecumenus hac me veste contexit*; si nunquam Christus adset: Eamus, descendamus, & videamus, quam pius Ambianis ciuis ac miles?

Martyrio Abbati vnde contigisset Christum gestare humeris, aut Christophoro eundem transflumen vectare (si vera est historia) si non specie humana quandoque aliquis ex Triumuiratu illo æterno hic descendat humanitatem aut inhumanitatem, nostram reipsa experturus?

Et quid vetet nunc sæpiusculè repeti, quod toties olim factum.

Nudum nunc operiens, aut famelicum pascens; cur non etiam quandoque verè personatam in paupere pascas Christum?

Durius verò agens, aut excludens egenum, qui scis, an non (vt quondam hospita Bethleemitica) Virginem, & intus latentem Christum, excludas?

Matt. 25. Ergo, sensu meo, ideo dixit toties de se, *Esuriui, sitiui, &c dedistis mihi, non dedistis mihi*, vt, pro viribus, sis, in quemlibet, intuitu Christi, liberalis.

Tob. 4. *Noli, noli auertere faciem tuam ab illo paupere, ita enim fiet, vt nec a te auertatur facies Domini.*

Ibidem. *Quomodò potueris, ita esto misericors, si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.*

Minuta viduæ duo in Gazophilacium missa, maximis talentis Pharisæorum cariora, quod illius inopiæ.

Ouid. lib. Metam.

— *super omnia vultus*
Accessere boni —

Si ne parum quidem possis, velis multum.
Affectus si adsit, effecisti apud Deum.

III. *Iudica-*

III.

Iudicatum iri seuerius de malis Christianis, quam Paganis æque improbis.

Iudicabitur seuerius de Christianis malis quã Ethnicis.

Non simpliciter, sed comparatè iudicatum vnũquemque tunc iri, superius mihi est dictum; Nunc addo, vt pares Vitiis dederis, imparem seueritatem experturos Christianos Ethnicosque.

Christianos enim seueritate maiore Iudex iure damnaturus.

Rationes seueritatis in Christianos maioris, quinque.
- *1. Obligatio fortior,*
- *2. Adlecebra maior,*
- *3. Frænum potentius,*
- *4. Auxilia potentiora,*
- *5. Impedimenta impotentiora.*

* j. *OBLIGATIO maior*, quam fortiorem numerosioremque violasse, tanto est sceleratius. 1. Ob vincula plura ac fortiora.

Ex ciue miles, si Reip. desertor, nequior milite peregrino, aut ciue desertore. Peregrinus iureiurãdo tantũ; ciuis, sola sorte illic nascẽdi. Patriæ est debitor, at ex ciue miles, origine & militiæ Sacramento. *Funiculus* duplex *triplexue difficile rumpitur.*

Ethnicus, Deo obligatus, Creationis & Altionis iure; Christianus præterea Baptismi gratia, & Iureiurando illic dato.

Christianus impius, bis fœdifragus.

Fur tertinm *suspendatur*, iure optimo.

* 2. *ADLECEBRA ad bonum maior*, quæ vbi est, mirè in Vrbe, in Acie, in Arenâ certaminis excitat. 2. Ob illecebras ad bonum acriores.

Ideò palmæ, ideò coronæ, ideò Triumphi.

Brabeutæ idcircò olim in Græcia spiculatoribus (qui censerent, & coronarent) adstitere.

Sine adlecebris præmiisque, gradus ad Virtutem tardissimus.

Quis enim Virtutem amplectitur ipsam, Præmia si tollas?

At Christianis Cœlum propositum, calcare ad Virtutem potentissimum.

Ethnicis contra quid, Gloriæ cœlestis aut ignaris, aut dubiis? Aura quædam famæ leuicula.

Ergo nisi Cœlo pacto aut tracti aut incitati currimus, venia nulla nisi qualis equis, quos calcaria nulla faciunt citatiores, nisi fortè ad gressus paucos.

3. Ob retinaculum à malo potentius. *Citatur ab Eustachio in Dionysium.*

* iij. *FRAENVM potentius.* Iudicii enim huius, infernique fides Christianis certissima, Gentibus autem suspicio duntaxat leuicula.

Vbi dicitur (*libera Corcyra, caca vbi libet:*) aut illud: (*Chiis licet intemperanter agere*, id est, vbique quæ libent licent, nullo crucis aut gladii metu; omnes in scelus omne ruere, quid mirum? At in cuius vrbis compitis omnibus cruces, & in iis membra tabo fluentia dissectorum conspiciuntur; stupendum, in ea si quis peccet.

Si ad Virtutem merces vocat, auocat quoque à Vitio pœna.

Oderunt peccare mali, formidine pœnæ.

Ergò si *tu à sæculo confregisti iugum, & dixisti nō seruiam:* si chalybem, frænosque momordisti, infrænis Ethnicis grauius pœnas dabis.

4. Ob præsidia maiora.

* iiij. *AVXILIA* potentiora.
- *1. Eruditionis.*
  - *1. Externæ,*
  - *2. Internæ,*
- *2. Gratiæ,*
- *3. Sacramentorum, & Sacramentalium,*
- *4. Communionis Sanctorum.*

* 1. *ERV-*

* 1. *ERVDITIONIS externæ*, quæ illis, quàm Ethnicis maior. Instructionis amplioris.

Ethnicos Natura, & schola Philosophorum errabunda edocuit, id est, *cæcus cæco ducatum præstitit.* Iudæos Christianosque communiter, præter Naturam Magistram, etiam Libri sacri, Veritatis purissimi fontes, Prophetæ Concionatores perpetui auribus insonantes, sed & initiò, Deus in homine personatus J. Christus ipse, cum *in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Baruc 3.

Multifariam multisq; modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis (obscuriusculè, & velata Moysi facie:) *nouissime autem loquutus est nobis in Filio,* qui *legem non soluit, sed adimpleuit*, id est, velum templi medium concidit, & obscura clarissimè exposuit. Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23.

Christianus ita *peccatum cognoui per legem*, vt si vitare velim, possim: Ethnicus quia non cognouit, facile præceps in illud ruit.

Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis.

* *ERVDITIONIS internæ*, quam Illuminationem adpellamus. Christiani certè dicti Illuminati, quod nunc in Baptizatos inuisibiliter (vt olim visibiliter in Apostolos) influat lux diuina, qua Theodidacti fiunt. Res ab Ethnicis valde procul.

Ethnicus ergò si pariter peccat; tolerari possit, vti cæcus in tenebris errans; si Christianus, velt Argus meridiè lapsans, largiter vapulabit.

Pharisæis dictum: *Si cæci essetis, non haberetis peccatum. Nunc verò dicitis Quia videmus Peccatũ vestrum manet.* Ioan 9.

Populus non intelligens vapulabit quidem (ait Osee) sed parcius, quàm intelligens & peccans, quis neget Iudice adserente? Osee 4.

Seruus

Luc 12. *Seruus qui cognouit voluntatem Domini sui, & non se præparauit, & non fecit secundum voluntatem eius: vapulabit multis qui autem non cognouit, & fecit digna plagis: vapulabit paucis. Omni autem cui multum datum est, multum quæretur ab eo: & cui commendauerunt multum, plus petent ab eo.*

2. Pet. 2. *Melius erat illis non cognoscere viam iustitiæ quã post agnitionem, retrorsum conuerti, ab eo, quod illis traditum est, sancto man ato.*

Matth. 22. *Amen dico vobis, quia Publicani & meretrices præcedent vos in regnum Dei. Venit enim ad vos Ioannes in via Iustitiæ, & non credidistis ei. Publicani autem & meretrices crediderunt ei Vos autem videntes nec pœnitentiam habuistis postea, vt credere-tis ei.*

Gratiæ. * 2. *AVXILIA Gratiæ.*
- 1. *Tuentis,*
- 2. *Hortantis,*
- 3. *Iuuantis*; cuius vi Christianus pæne fit omnipotens, eique licet quicquid libet.

Omnia possum in eo qui me confortat, ait Paulus.

Act. 6. *Stephanus plenus gratia & fortitudine faciebat prodigia, & signa magna in populo*, non miraculis modo, sed & vita admirandus.

Sacramentorum. D Chrysost. ho. 61. ad Antioc. * 3. *SACRAMENTORVM*, quæ gratiam conferunt, & Sacramentalium, & Angelorum custodum, exclamare vt libeat: *Hei mihi quot ad salutem nobis viæ.*

Communionis Sanctorum. * 4. Communionis.
- 1. *Sanctorum aut corporis Christi mystici,*
- 2. *Corporis Christi veri in Eucharistiâ.*

* j. *SANCTORVM*, id est, orationum totius Ecclesiæ, quæ pro singulis membris orat.

Particeps ego sum omnium timentium te.

Fra-

Frater qui adiuuatur à Fratre, quasi ciuitas firma.

Vi orante Mose, vincebat Iosue cum pop. & orãte sedulo Ecclesia, Petrus incarceratus excarcerabatur; ita in tentationum pugnis aut vincit aut victus erigitur, orationibus Ecclesiæ, Christianus.

Sicut turris Dauid collum tuum (id est, coniunctio tui, cum Christo capite per Baptismum) *quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex eà omnis armatura fortium.* Cant. 4.

Vinea facta est delicto meo in cornu filio olei. Et sæpiuit eam electam, & ædificauit turrim in medio eius. Isai. 5.

Non potuit tam firmiter *Coctilibus muris cinxisse Semiramis vrbem*, suam Babylonẽ, aut Turnum Tornacum tot turribus; quot te Christus munimentis Ouid. Metam. D. Chrysost. hom. 62. ad pop.

* ij. CORPORIS *Christi veri* in Eucharistiâ, â quâ *tanquam leones ignem spirantes recedimus, facti Diabolo terribiles*

Dominus ipse *turris fortitudinis à facie inimici* Prou. 18.

Turris fortissima nomen Domini. Isai 26.

Vrbs fortitudinis nostræ, Saluator ponetur in eà murus, & antemurale.

Post Communionem, Imperator ipse velut tecũ vrbe clausus est, vt fidenter expugnes impugnantes.

Cæsarem, ac fortunam eius vectas cum eo, & tu times? aiebat Nauitæ in tempestate trepidanti Cæsar Imp. Christum in pectore gestas, Christifer, & trepidas?

Non *magnum* tibi *cum Phocione* hoc potius *mori* quam fœde vinci?

Dauidis vox planè heroica vsurpanda: *Si ambulanero in medio vmbræ Mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Psal. 22.

Ethnicus

Ethnicus verò ſine maceria, ſæpè ac turri, in cõpitis exituque viarum poſitus, direptioni patet & conculcationi, imò in viſceribus ipſis hoſtem habet hybernantem, Dæmonem ſcilicet ipſum.

Teſtes tibi tot antè Baptiſmum exorciſmi.

Eramus enim natura filij iræ.

Ergo vtrumque vinci diſparis culpæ, ac pudoris.

Da vrbem immunitam; muris, foſſis, præſidiiſque deſtitutam; da alteram munitiſſimam, quam muri ænei, & Oceanus ambiant, Hectores præterea ac Samſones mille ad præſidium impleant, ſi hoſti vtraque deditur, nonne munitæ, quam immunitæ maior culpa?

Sic Chriſtianorum tot præſidiis inſtructorum ſcelera, ſceleribus Ethnicorum turpiora.

D. Chryſoſt. hom. 60. ad pop. & 82. in Matth. *Quænam erit nobis excuſatio, cum talibus paſti, talia peccemus? cum lupi fiamus agnum comedentes, cum tanquam oues paſti, more leonum diripiamus?*

* v. *IMPEDIMENTA impotentiora.* In Baptizatis enim temperatus, vnda illa ſalutari, ignis ille ſeu fomes, intus ac foris vorans, quem patimur omnes ab Adami culpa, multò lentius ardet vritue, quam qui in Ethnicis Ætna ipſa adhuc fortius æſtuat.

Iſai 5. *Putauit vineam dilectus, & lapides elegit ex ea*, id eſt, expurgauit.

Exod. Pharao noſter merſus in mari rubro, Ethnicos toto adhuc impetu perſequitur.

D. Aug. *Debilis eſt hoſtis qui non vincit niſi volentem.*

Et à Chriſtianorum cætibus exploſæ voluptates, ipſæque diuitiæ, malorum irritamenta.

Idem de ſingularitate clericorum. Deinde: *Minus voluptatibus ſtimulatur, qui non eſt, vbi adeſt frequentia voluptatum. & minus auaritiæ moleſtias patitur, qui diuitias non videt.*

Sed

Sed è Christianorum schola Voluptates, Diuitiarum admiratio, aliaque malorum irritamēta explodantur. Ergo obtusiores stimulos etiam patiuntur.

Quapropter si pariter Ethnicis viuant Christiani, impariter peccant, impariterque, id est, grauius multabuntur.

Potentes potenter tormenta patientur, exiguo aut concedetur misericordia. j. mitius Ethnicis tunc erit, quam improbis Christianis.

CONCIO XV. *vel in ord.* XXX.

Them.] *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisq; propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum.*

FActa repetitione, ita propositum.

Dicendum hodie mihi:
1. *De cuiusq; in Christianismo ordine ac dignitate etiam tunc fore quæstionem.*
2. *Ex Magistratibus Sacris Profanisq;, duo quæsitum iri.* AVE.

I.

De cuiusq; in Christianismo dignitate fore tunc quæstionem.

Ordinum etiam habenda ratio.

Si æquus Iudex tum futurus, certè etiam cuiusq; in religione sua gradum trutinabit.

Nam

Apoc. 18. Nam qui aliter *secundum mensuram delicti, sit & plagarum modus*?

Aut quomodò aliter, de peccatorum inæquilitate, possit censeri?

Ex quibus peccatorũ. imparitas. Nam, pro varietate personarum ac dignitatum, peccata quantitate vt plurimum, sæpè etiam tota qualitate ac genere differunt.

Omne animi vitium tanto conspectius in [illegible].
Crimen habet, quanto maior. qui peccat habetur.
Quo gradus altior, hoc casus grauior.

Vulgatum. *Adgrauat ordo, locus, peccata, sciētia, tempus.*

D. Bern. de consid. ad Eugenium. D. Bernardus elegantissimè: *Nugæ in ore secularis, sunt nugæ: in ore Sacerdotis blasphemiæ.*

Cic in parad. Stoicorum Ioujnianique hæresis est, *peccata esse æqualia.*

D Hier l. in Iouinianũ. Et pro varietate personarum, tam mercedes quã mulctæ variantur.

Vt Ducibus strenuis annonam, proditoribus pœnam duplicat militaris disciplina: ita Rectoribus populorum duplionem decernet æquitas Christi, laurum Probis, lorum Malis.

Ergò comparatè rursus Christus mundum iudicabit, non iam Religiones Religionibus, sed hominum Religionis eiusdē ordinē gradu atque cōparans.

Audin' Iudicem ipsum comminantem? *Cum accepero tempus, ego Iustitias* (id est Iudicum choros) *iudicabo.* *Psal.*

Sap. 5. *Iudicium durißimum fiet his qui præsunt.*

Ezech. *Ecce ego ipse videbo super pastores, & requiram gregem meum de manu eorum.*

Luc 12. *Cui multum datum est, multum quæretur ab eo: & cui commendauerunt multum, plus petent ab eo.*

Hiere 13. *Vbi est grex, qui datus est tibi, pecus inclytum tuũ? Quid dices cum visitauerit te? tu enim docuisti eos aduersum te, & erudisti, in caput tuum Nunquid nō dolores adprehendent te, quasi mulierem parturientem?*

Vbi

Vbi est Abel frater tuus? vbi Ioseph? si *puer non comparet*, quo ibis (desolate Ruben?) *Gen.4.* *Gen.*

Erit anima tua pro anima illius.

Vt Iudas (cuius fidei creditus Beiamin in Ægyptum ad Pro-Regem deducendus) cum vidit Beniaminum suum à Pro-Rege detineri, dixit: *Ego proprie seruus tuus sim, qui in meam fidem hunc recepi, & spopondi dicens: Ni si reduxero eum, peccati reus ero in patrem meum, omni tempore.* *Gen.44.*

Vt Ruben, educto clàm, ex cisterna, Iosepho fraterculo, exclamauit: *Puer non comparet, & ego quo ibo?* ita, in iudicio, multus erit Pastorum, Regumque, de amissis populis, vlulatus,

Orator aureus in hoc metu. *Vellem (ait) & ego ipse non esse supplicium, imo omnium maxime ego. Quamobrem? Quia vnusquisque vestrum pro sua quidem ipsius anima metuit, ego vero & de ista præsidentia rationem reddam. Itaque omnium maxime impossibile est, vt ego effugiam.* *D.Chrys.ho. 8.in 1 Thess. c.5 in fine.*

Ab hoc metu, tot olim Patres Episcopen refugere, quam nunc apti ineptique æque omnes, mulis equisque ambimus. proh dolor!

II.

Ex Magistratibus profanis sacrisque, duo quæsitum iri.

Quæstio prior, de aditu ad regnum.

1. Ac potiores quidem à profano Magistratu quæstiones istæ erunt.

De { *1. Ingressu,*
2. Progressu. }

* j. *DE INGRESSV*; An Hæredis iure legitimo, an Armis, an Dolo, an Ambitione in regnū inuaserit.

Nati Reges flocci isthuc quidem pendunt, relicto fruentes; at quis nesciat, non minus regni malè relicti, exactum iri à Deo rationem, quàm casæ aut

sæ aut gazei rusticæ quas maiorum aut fraus, aut furtum pepererit?

Apud Deum non sunt eo iustiora scelera, aut aut latrocinia, quo ampliora.

D. Aug. lib. 4. ciuit. c. 4. Christo quid sunt *regna* parta *sine iustitia, nisi magna latrocinia.*

Sit prædo scilicet, qui scapha infestet mare; Rex, qui classe? vt Alexandro quondam pirata captiuus aiebat.

Iustè possideantur relicta regna, aut vrbes auorum dolis captæ; iniuste, vilulla aut mapale?

Fortè sua manu alienum rapere iniustum sit; alienâ, iustoque exercitu, iustum?

Miror, qua spe Reges, regnorum vrbiumq; non suarum inuasores, de vita exeant, neque restitutis illis, neque vlla, de restituendis, destincta præceptione hæredibus data, aut si quæ data, miror magis, ab hæredibus, nullo Iudicii huius metu, possideri.

Facete quidam mihi olim aiebat; *ex Regibus vltimum dumtaxat damnatum iri*, quod primi, dum moriuntur posteris imperent, re se & ære alieno liberari; posteri itidem nepotibus, illiq; successoribus; vltimus vero nulli; Itaque Luto satis à primis regna possideri.

Sed Ludere hoc erat, in re non ludicra.

Hoc. n. aliena refundẽdi votũ inefficax, valeat fortassis, cum refundere omnino non possis. Alias, demens & inutilis ea credulitas, auaræ hæredum cupiditati suas rapinas committentium expiandas.

Virg. 6. Æneid. *Furto lætatus inani.*

Differs in seram commissa piacula mortem?

Et quæ indulgentia malentis filios possessis, quam nondum possessis priuare?

Quæ aut Pigritia, aut Auaritia, aut Superbia nolentis Domino iusto hodie reddere, quod cras ab alio eidem reddi, etiam hodie iubet?

Sed & de illis quæstio tunc magna, qui aut Electione, aut Vi inuasere in regna non sua. Postremi enim manifestè iniusti possessores; Electi non itē, nisi Ambitus, Largitiones Romanæ, Adulationes Absalonicæ, Cædes, Minæque armatæ, & alia id genus, electionem fœdent. D.Amb.l.4 in Luc.4.

Quorundam.n. *ambitio vt dominetur aliis prius seruit. Curuatur obsequio, vt honore donetur.*

Adcusabitur vtrobique vel
- 1. *Superbia adpetentis:*
- 2. *Violentia,* } incuntis.
- 3. *Fraus.* }

Virtute ambire oportet, non fautoribus.

Sat semper fautorum habet qui recte facit. Plaut.

Nec quisquam sumit sibi honorem sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Heb.5.

Viderint ergo, qui præpostere, aut per fenestrā, aut tecta irrumpunt, aut alias prece aut precio qua qua in imperia irrepunt.

Adde, quod, Platonis sensu, *ambitu regnandi certare perinde est, atque si, in tempestate maxima, de clauo ac puppi nautæ decertent.*

Catoni, eundem *crebro ambire Consulatum fatentis est viarum ignorantiam, vt quas velit fasßibus prælatis signari.*

Mihi: Confitentis est Reipub. curam, rem esse leuiculā, sub qua tamen *curuantur qui portant orbē.* Plutar. 1. in Cat. Iob.

Christianine etiā cuiusquā est, ambire, aut fasses emere, cui Christus tam variè seruitia inculcat? Christiani nō est ambire, & cur?

Ambitum Christus dissuasit nunc
- 1. *Præceptis seu Consiliis;*
- 2. *Exemplis;*
- 3. *Reprehensionibus;*
- 4. *Minis;*
- 5. *Vltionibus.*

Matt.20. *1. *PRAECEPTIS. Quicunque voluerit inter vos maior fieri sit vester minister.*

Vocatus ad nuptias recumbe in nouissimo loco.

Eccles7. *Noli quærere ab homine ducatum, neque a Rege Cathedram honoris.*

4. Reg.14. *Contentus esto gloria & sede in domo tua.*

Sopho.3. *Nō adijcies exaltari amplius in mōte sancto meo.*

Matt.20. *2. *EXEMPLIS, Cum enim cognouisset, quod venturi erant, vt caperent eum, & facerent Regem fugit in montem ipse solus.*

Ioan 6. *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.*

Tu velis remisque, equis & mulis honores toto orbe fugientes persequeris?

Matth.20. *3. *REPREHENSIONIBVS*, quibus vsus, in discipulos contendentes; *quis eorum videretur esse maior.*

Et cum dextræ sinistræque cupidis fratribus dixit: *Nescitis quid petatis.*

Matth.20. *Reges gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt, potestatē exercent in eos. Non ita erit inter vos.* q.d. Sinatur ambitus iste Romanis, cæterisque Ethnicis, à vobis explodatur.

*4. *MINIS. Nisi efficiamini sicut paruulus iste, non intrabitis in regnum cœlorum.*

Luc.18. *Qui se exaltat* (magna spirans, aut adspirans ad magna) *humiliabitur.*

Isai.14. *Dixisti ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo. Verumtamen ad Infernum detraheris in profundum laci.*

Ibid. *5. *VLTIONIBVS, Detracta est ad inferos superbia tua: cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris, qui dicebas in corde tuo, In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum.*

Daniel. Nota est Nabuchodonozoris diuinos honores

Act. adfectantis, & Herodis diuinam sui laudem tolerātis, huius ad vermes, illius ad bestias, damnatio.

Chri-

Christiani ambiant? Imò ne electi quidem, nisi ægerrime *adscendant superius.*

Locus enim superior, sine quo populus regi non potest, et si ita administretur, vt decet, tamen indecenter adpetitur. D. Aug l 19 ciu.c, 19.

Antigonus delatum diadema diu contemplatus, ac multa prius quæstus quàm capiti imponeret, dixit: *nec è terra quenquam illud elaturum qui onera illius curasq; non ignoraret.* Abundat enim curis pluribus, quam spinea corona aculeis. Val. Max, l. 7. c 2. &

T. Manlius Torquatus Consulatum respuit, dicens; *Neque se vitia populi, neque populum seueritatem eius pati posse.* Stob ser. 47 Plin. de viris illustr.

Gaufredus Monachus Clareuallensis Prior Episcopatum Tornacensem, Eugenio Papa & D. Bernardo Abbate pœnè cogentibus, renuit, imo Abbatis atque Electorum pedibus, crucis forma, aduolutus, heroicè dixit: *Monachus fugitiuus esse potero, Episcopus vero nunquam ero.* Guilliel. l. Parisies. in summa.

Ergone tu Christianus (inquiet iudex) qui amplexabare, blandiebare, & conuiuii poculisque suffragatores expugnabas? qui prece nunc tua (vt Phaeton) nunc matris ac tuorum (vt fratres illi in Euang.) nunc precio & largitionibus (vt Simon Magus) Superba mendicabas, &, ancupum instar, vt imperares, seruiebas? qui irrepebas, irrumpebas, per tecta, per rimas, per fenestras.

Ipsi regnauerunt & non ex me, principes extiterunt, & ego non vocaui eos, aiet iudex: deiectosque huiusmodi de throno, iubebit *recumbere in nouissimo loco.*

Ad infernum detraheris in profundum laci. Isai. 14.

*ij. *DE progressu*, an { 1. *Diuina.* 2. *Humanaq; decenter curarit.*

*j. *DIVINA*, an ab illo { 1. *Erecta, aut proiecta:* 2. *Præpostere habita.*

Erga diuina. *1. ERECTANE { 1. Tēplis aut struēdis aut resarciendis; 2. Sacerdotibus honorandis; 3 Hæresibus extirpandis. }

Primæ Regum curæ, Sacrorum.

Plutar. to. 1 vit. in Numa. Numa Pompilius Vestales creauit, pauit, honorauit.

Dauid. templo augustissimo, septem orbis miraculis inuidioso, per filium ædificando (cum ipsus non posset) aurum mareriamque omnem primam adparauit.

Idem rem sacram illustrauit. { *1. Cantu, psalmisq; à se factis,* *2 Cantoribus constitutis.* *3. Impiis è medio sublatis.* }

Psa. *Domine dilexi decorem domus tuæ:*

Psa. *Zelus domus tuæ comedit me*

Psal. *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, vt disperderem de ciuitate Domini omnes operātes iniquitatem.*

Dagoberti, Caroli Magni, & Carolus ille V. & Philippus 2. Hisp. Rex consequuti, tot monasteriis solide fundatis, dotatis, &c. quibus omnibus ædes illa D. Laurentii in Hisp. materia, arte, opibus anteit, vt iam *Barbara pyramidum sileat miracula Nemphis.* *Martial. l. 1. ep. 1.*

AN Deiecta, aris in haras conuersis; altaribus spoliatis, aut (vt quondam Achabi tempore) euersis; Dei domo in speluncam latronum profanata; Prophetis, verbique Dei declamatoribus aut eiectis, aut de Curiæ Regnique moribus silere de solo Euangelii textu loqui iussis; aut interfectis *qui prænuntiabant de aduentu iusti*; communia nūc proh dolor! mala, quibus, nisi audacter obuiam ibitur, tēpus erit, cum dicemus: *silentium Amyclas,* Ecclesiamque *perdidit.* *Act. 6.*

Ex Breu. Rom. Henrici clament licet in D. Thomam Cant. Ep. *Se propter vnum Sacerdotem pacem in regno habere non posse.*

Et

Et dubitemus, talibus iudicem ista tunc dicturũ? *Act. 7.*
Dura ceruice, & incircumcisis cordibus, & auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis.

Quæ tandem iniuria, rebus omnibus dissolutissimis, solam velle Veritatem vinciri, ac catenari? Laicum solum, firmamenta regnorum intelligere, Sacerdotes, quamlibet senes, literatos, versatos illic cæcutire?

Dubitemus, iudicem ita cum talibus disputaturum?

Ehodum (viri boni) soline ergo adolescentes Nobiles, homines noui, quod, in Aula, diem vnum sunt versati, quasi in schola fœlicissima, artem regni perdidicere?

Ecclesiastæ vero, etsi Aulicis illis seniores, aut coætanei, experientia etiam nihilo inferiores. & præterea librorum, atque omnis historiæ (ex qua velut *conglobata sapientia, hominumq́ multorum mente* ars regni petitur) heluones, ignari adeo artis regnãdi, vt ne mutire de Regno audeant? *Greger Naztanz. ad Nicobulum.*

Nonne & Ieremiæ Sacerdoti, ex Sacerdotibus in Anathoth vinculo, dixi: *Ecce constitui te hodie super Gentes & super regna: vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes.* *Ierem. 10.*

Quidni & hoc Sacerdotibus Euangelicis idem licet?

Quid, malum! volebatis, dum solum Euangelii textum declamari poscebatis?

Euangeliũ quid vocẽt quidam.

Euangelium quidam vocant:
1. *Syntagma ex meris sententiis Bibliorum;*
2. *Textum Scripturæ S. continuum;*
3. *Nuntium faustum:*
4. *Blanda verba.*

*1. *SYNTAGMANE* volebatis ex meris ſententiis Bibliorum? At hoc, aut ſolum aut maximè, Oratores mei, cum mores corruptos pungerent, obtē-dabant.

*2. *TEXTVM Script. S perpetuum?* At ſi paſſim ſparſa colligi, ad theſin vnam variè illuſtrandam (vt fit) nolebatis, ſed continuatam dumtaxat ſcripturæ partem, ſeu è nouo ſeu è vet. teſt. promtam, præterea nihil: iam totas ergo Eccleſiæ cōciones tolli volebatis; & hoc aperta vi non auſi, per cuniculos tē-tabatis.

Quæ enim, aut cuius ex veteribus, Neotericiſue concio, non velut-cēto eſt ſcripturarum? Cuius ex Patribus homilia non eſt *circumamicta varietatibus?*

Pſalm. 34. *3. *NVNTIVM fauſtum?* Hoc illi pleno ore tibi, quoties pro Religione, pro Diſciplina declamabant.

Vnde enim Regnis ſalus, aut (vt vocatis) Statui ſtatio aut ſtabilitas ſua, quàm à Religionis ac priſcæ Diſciplinæ ſtatu?

Ennius. *Moribus antiquis res ſtat Romana,* Fideque.

*4. *BLANDA verba* quibus vtuntur *Magiſtri prurientes auribus?*

Aiebatis, *Loquimini placentia & audiemus te?*

Id ſi volebatis, cum Euangelium poſceretis; *Neſciebatis quid petebatis*, & ſi qui rogati perita dederunt, vos ſeque vna perdidere.

Si adhuc hominibus placerem Chriſti ſeruus non eſſem.

Amos 5 Ergo qui *odio habuerunt corripientem in porta, & loquentem perfecte abominati ſunt*, qui conciones vel tolli vna omnes, aut blādas eſſe voluerūt, magnas iniquitatis ſuæ in Oratores, Se, ac Suos, iudicio iſto, pœnas dabunt.

Ora-

Oratores enim huc agebant, vt aut post vitam dicerent; *Væ mihi quia tacui? (Imperia enim soluit, qui tacet iussus loqui.)* aut in carceribus aut triremi inclamarent: *Est mihi supplicij causa fuisse pium:* vel: *Sum pius heu! doleo Nam mihi sæpe nocet.* Isa. Sen. in Oedip. Act. 3. Ouid in ep. Heroid.

Sibi ac Suis sanitatem, à medicis canū istorum linguis, inuidebant.

* 2. *PRAEPOSTEREVE habita*, vt cùm Religioni, res regni, seu Status (vt nunc vocant) præfertur, salues quelibet magis muros quam mores, cum alterutri periclitantur: id est, cum ad Regnum Religio ordinatur, ac seruire iubetur, quæ debuit imperare.

Religio rebus omnibus anteit profecto.

An maluerit Regnum sine Cœlo, quam Cœlum sine Regno.

An maluerit *Corcyram* suam adeo *liberam* esse vt *cacare liceret vbi liberet*, vt in pace degeret: quàm bonos coli, refrænari infrænos, ne bello turbaretur.

Pharisæi in hoc astu. *Quid facimus? aiunt quia hic homo multa signa facit. Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollēt nostrum locum & gentem.* Ioan. 11.

Et Pilatus damnans insontem Christum, ne fieret Cæsari hosti, absoluendo.

Item: An Hieroboamum sequutus, *qui peccare fecit Israel*, vitulis aureis positis, nouoque templo decem tribubus suis decreto, ne, dum, iusso Dei, Hierosolymas ad Salomonis ter quotannis proficiscerētur, se ad Regem legitimum, nouo fœdere icto, secedent. 3. Reg.

An fœdera cum Turca iuratissimo Christi hoste percusserit, studio aut æquandæ, aut frangendæ fratris potentiæ. Sen. in Her furente.

An illi *prosperum ac fœlix scelus. Virtus vocata.*

 An

An Machianellum, Aulicorum Apollinem ac Paracletum, sequutus, pestilenter præcipientẽ: *Reges non curent, quam bonis, sed quã subditis regnent. De suis, vel cum suis, vel cum quibuscunque volentibus faciat quisque, quod libet.*

D. Aug. l. 2. ciu. c. 20.

An suis, in regna aliena, insidiis, aut tyrãnidi Religionem prætexuerit? an habuerit *velamen malitiæ libertatem.*

1. Pet. 2.

Iulii Cæsaris prætextus fuit: *Neque præda meis, neque regnum quæritur armis:*

Detrahimus Vrbi Dominos seruire paratæ.

Lucan.

An Dei leges, maiorum instituta, ad amussim seruare seruarique studuerit

Bianti, *is Princeps optimus qui vtitur Patriæ legibus.*

Stob. ser. 46

An probos satis habuerit turbines illos alienæ pacis, ad nutum Regis quemlibet paratos, etsi aliis vitiis omnibus leprosissimos.

An impunitate publica incentiuum fuerit delinquendi.

An offensis sui ac suorum leuiculis, ferro igniq; vindicatis, grauissimas illas in Deum conniuenter dissimularit.

An in monetarios, ærisque publici meautoramento adrosores, excusores, Triumuiros Monetales, id est inquisitores crearit, deprehensosque oleo feruente perdiderit; in *adulterantes* autem *verbum Dei*, blasphemos, & id genus homines, non inquisierit, sed neque in professos animaduerterit.

Ordo enim ille regnandi tam præposterus, quam arandi, si bobus aratra præmittantur.

Erga humana qualis fuerit rector.

* ij. *HVMANA*, quàm decenter curarit. Gradatim n. sanè iudex à Diuinis ad Humana descensurus?

Humana erga { 1. *Exteros, vicinosue.* 2. *Internos seu subditos.* { 1. *Magnates,* 2. *Plebeculam.*

* *ERGA Exteros* vicinosue. An Bello cum eis leui causa, de asini vmbra, aut capri lana, de aquæ ductu, aut lato pede agri decertarit: an causam belli dederit; an bella vicinorum duxerit, id est arte, auxiliis, sparsisque perpetui belli seminibus, (vt in pace ipse ageret) fouerit. Erga exteros.

Omnium belli malorum reus, qui temere lacessiuit, &c.

Belli mala:
1. *Cædes iniustæ alterutrimque;*
2. *Furta, latrocinia;*
3. *Tributa noua hinc & hinc decreta,* quæ vtrobique iusta esse nequeunt, Iustitia causæ vtrimque non stante.

Delirant Reges, plectuntur Achiui, cædibus, tributis furtis, &c. *Horat.*

Vt Pax ciues cum ciuibus, ita Reges cum Regibus decet, si Christiani.

Ferdinandus Rex malè, si (vt ferunt) Ioanni Regi Hungariæ dixit: *De iure regni, non disputatione, sed armis disceptandum aut iudicandum.* *Guliel. Belayus orat. pro Ioanne.*

Regem decet, vti *bonum ciuem, initia belli ciuilis inuitum suscipere, extrema non libenter persequi.* *Cic. l. 4. ep. 5. fam.*

Et *iniquissimam pacem iustissimo bello anteferre.* *Idem l. 6. ep. 6. famil.*

Nec impedient priuatæ dissensiones, quo minus pro Reipub. salute etiam cum inimico consentiat.

Amicitias immortales, inimicitias mortales debere esse, prisci dixere. *Liuius li. 1. decad. 4.*

Christianis non vti Romanis Ethnicisque regnandum, studiis primum fines tuendi, deinde protendendi. Christianis sit satis fines custode tueri, aut, si aliud vrit, illac protendere, qua Turci angustant. In eo bello salus, in aliis plerisque scelus, & Militia pleraque altera Malitia.

Tamer-

Ioan. Bocanus hist. Tamerlanis. Tamerlanis familia optimè, quæ bella nulla, nisi tutelaria, suscepit.

Apud Liuiũ Appius Claudius. Pessimè, qui *tanquam artifices improbi opus quærunt, qui & semper ægri aliquid esse in Repub volũt, vt sit ad cuius curationem adhibeantur.*

Turbas illi excitant, qui, nisi aqua turbida, piscari non norunt.

Matth. 5. *Si beati pacifici, si filij Dei vocabuntur* : non Satanæ filii, *qui seminant inter* Reges *fratresq; discordias?*

Erga suos. * 2. *ERGA internos,* subditosue { 1. *Magnates,* 2. *Plebeculam.*

* j. *MAGNATES*, an, Ottomanidarum instar, seruorum loco illos habuerit; an, Atheniensium ri-
2. tu, suos Virtute, fauoribus altius subcrescentes, ini-
3. quo Ostracismo deiecerit; an Maculoni Florentini suasu, qua qua obpresserit, aut æquè potentes odiis ac simultatibus in ipsos armarit, ne in Regem omnia audentem, audere etiam aliquid, populi bono, possent.

Liuius li. 5. decad. 1. Nam *aduersus consencientes nec Rex quisquã satis validus est, nec Tyrannus.*

2. Reg. 11. An non per manum Vriæ scripserit, in epistola ad Ioab: *Ponite Vriam ex aduerso belli, vbi fortissimum est prælium, & derelinquite eum, vt percussus intereat.*

Ottomannidarum Turcorumq; hoc est, qui Bassas nonnunquam magnos, inuenta causa, tollunt.

1. Reg. 17. 18. Saul Dauidem (quod populus ita victori adplausisset: (*Percussit Saul mille, & Dauid decem millia*) *non rectis oculis adspiciebat à die illa & deinceps.*

Henricus 3. Gallorum Rex, Guisiu regni delicias hæreticorum terrorem, mentito pacis nomine, à sicariis iussit trucidari, gloriæ clientis patronus impatiens.

Phi-

Philippus Macedo à se bellatores repellebat, omnia volens facinora videri sua esse. *Demost. Olynt. 2.*

Iudex ergo nunquid ita in istos, vti ad Dauidem quondam? *Quare contemsisti verbum Domini, vt faceres malum in conspectu meo? Vriam Hethæum percussisti gladio, & interfecisti eum, gladio filiorum Ammon.* *2. Reg. 12.*

An oculus tuus nequam quia alius est *bonus?* *Matth. 20.*

An ita tu lippus, vt subditorum splendor tibi oculos offenderet?

An vt Sole fulgente explicare non possunt fulgorem suum minora sydera, sic neque Optimates sub Regibus animos ac Virtutem suam?

Inquiretur quoque an plebē Rex habuerit, Clemēter.

*ij. *IN plebeculam* an eam habuerit { 1. *Clementer*; 2. *Vtiliter*; 3 *Vigilanter*; 4 *Seuerè* }

*1. *CLEMENTER*, an se hominem hominib. meminerit præfuisse. *Deuter. 17.*

Non eleuetur cor Regis in superbiam super fratres suos.

Clementia ac Pietate Principes Dij fiunt, ait quidam.

Saltem tales sunto hominum Reges, quales brutarum animantium.

Leone quadrupedum Rege, quid clementius? *Plin. l. 8. c. 6*

Leoni tantum ex feris clementia in supplices, prostratis parcit.

Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni, *Ouid:*
Pugna suum finem cum iacet hostis habet.

Itaque Hieroglyphice Clementia, per Leonem, & substratum hominem (ita tamen vt Leo sit incolumis) significatur: propterea quod infestissimè sollicitatus ab homine Leo, dummodo sit intactus, nō vnguibus eum lacerat, nec vlla iniuria afficit, sed quatit solùm, itaque perterritum dimittit, autore Pierio. *Pierius in Leone l. 1.*

Rex

Rex apum vt cæteris corpulentior, ita inermior, solus aculeum nullũ gerentes. *Noluit illum natura nec sæuum esse, nec vltionem magno constaturam petere, telumq́; detraxit, & iram eius inermem reliquit.*

Senec. l. 1. de Clementia.

Ouid:

Quo *quisq́; est maior, magis est placabilis iræ;*
Et faciles motus mens generosa capit.

Philippi mente, *Principem decet meminisse, quod homo existens, potestatem adeptus sit diuinam, vt res honestas & diuinas instituat, sermone autem humano vtatur.*

Stob ser. 46

Quo vocãtur dupliciter.

Huc imitantur bifariè { 1. *Exemplo prototypi sui.* 2. *Nominibus clementiam spirantibus.* }

1. Exemplo Dei.

*j. *EXEMPLO prototypi* sui j. Dei, cuius Reges sunt simulacra.

Pluta. l. ad principem indoctum.

Plutarcho, *Princeps imago cuncta administrantis Dei*, non qualis Cæsaris in pariete, sed viua, qualis Patris absentis aut mortui in superstite filio.

Reges omnes Dei magni pro Reges, ac velut Proconsules vicarium imperium gerunt, post receptum Cœlo Christum.

Psalm. 81. Exod. 22.

Itaque Dii passim adpellati: *Ego dixi Dij estis, Dijs non detrahes.*

Sed Dei propria maximè clementia, qua ille sæpius quam iustitia vtitur.

2. Nominibus suis.

*ij. *Nominibus clementiam spirantibus* { *1 Regis;* *2. Patris;* *3. Mariti;* *4. Tutoris:* *5 Pastoris.* } quibus à doctis Reges vocantur.

*j. *REGIS*, quod clementi Principi iam vsus dedit, non Tyranno, etsi primum Rex Tyrannusque positi pro eodem.

Senec. in prou.

Tyrannus. n. à Rege distat factis, non nomine.

Virg 1. Aeneid.

*ij. *PATRIS.* Æneas Rex Troianorum Virgilio dictus

dictus & Pater, & Pius, & semper comitatus Achatæ, quorum primum ad Amorem, alterum ad Clementiam, vltimum, id est comes indiuiduus, ad Solicitudinem Principum spectat; Achates enim à verbo græco acheos, id est cura, quæ multa Reges ac Principes viros decet.

Et *Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit.* Iuuen. Cic.

Me Q. Catulus princeps huius ordinis & auctor publici consilij, frequentissimo Senatu parentem Patriæ nominauit, ait Cicero. ora. in L. Pisonem.

Qualis Patrũ in filios humanitas; talis Regum in subditos esto Clementia.

* iij. *MARITI.* De Catone dictum: *Vrbi Pater est, Vrbiq; maritus.* Lucan. l. 1. Plato.

* iiij. *TVTORIS.* ita Plato. *Cum in subiectos potestas sæuit, idem est, ac si tutor pupillum persequatur vel eum suo mucrone iugules, ob cuius defensionem ab eodem traditũ tibi gladium accepisti. Rem namque publicam frui iure pupilli, percelebre est.*

Cicero etiam cum Platonizat: *Qui Rempub gerendam susceperunt, tutorum partes sibi traditas existiment, quorum procuratio ad vtilitatem eorum qui commissi sunt, non ad eorum, quibus commissi, gerenda est.* Cic. l. 1. off.

* v. *PASTORIS*: Sic Prophetæ, sic Christus capita populorũ vocant: Homerus ipse exercitus Ducem pastorem populi nuncupat: Plato legumlatores, pastores hominum. Plato 7o. dial. de Legib. Xenophon.

Pythagoræ sæpe in ore: *Similia esse boni Pastoris, & boni Regis opera.*

Philoni *Artem pastoralem regnandi esse præludium.*

Ex Pastorib. certe Reges ac Duces multi. Moses, Dauid, Romulus, & (vulgi opinione non mea) magnus ille Tamerlanes, Turcici Imperii fœlix flagellator, vtinam in hæc tempora incidisset!

Sed maritus in Vxores, Pastoribus in ouiculas nihil clementius. Ergò & in plebeculam decet Reges Clementia, maximè in causa sua, qua Virtute nulla humanior, ac (vt sic dicam) regalior.

Senec. l. 1. de Clementia. In causa sua inquam. *Nam quemadmodum non est magni animi, qui de alieno liberalis est, sed ille, qui quod alteri donat, sibi detrahit: ita clementem vocabo, non in alieno dolore facilem, sed eum, qui cũ suis stimulis exagitetur, non prosilit.*

Principe impunè læso quid gloriosius?

* 2. *VTILITER*, an populi potiùs cõmodis, quam suis studuerit; quò illos vocant quoque nomina superiora, quibus quid aliud, quam Beneuolentia, Curaque populi Magistratibus inculcatur?

Vt Patres filis; Mariti vxoribus, etiam inter brutas animantes; Tutores pupillis: Pastores gregibus toti consecrantur: ita Reipub. Reges oportet non tam præesse, quam prodesse.

2 Cor. 12. *Non debent filij parentibus thesaurizare, sed parentes filiis.*

An vtiliter. Prædas agunt Leones leunculis & Ciconię pullis suis.

Mariti vxoribus nunc maritam pecuniam, nunc quæstum ferunt.

2. Reg. 12. De Vria, & Bethsaba vxore lego: *Erat illa de pane illius comedens, & de calice eius bibens, & in sinu illius dormiens erat(que) illi sicut filia.*

Tutores, in quanta vel tuendæ, vel augendæ pupillorum rei versantur! à tuendo enim certè non à dissipando dicuntur.

Pastorum quam mollis in ouiculas adfectus! tõdent medicantur, pabulatum ducunt, errantes humeris reuectant, ac feris sæpè pro illis caput obiectant.

Ezech. 34. *Nonne greges pascuntur à pastoribus.*

Vox

Vox Dauidis de pastoratu suo: *Pascebat seruus tuus Patris sui gregem & veniebat leo vel vrsus, & tollebat arietem de medio gregis, & persequebar eos & percutiebam, eruebamq; de ore eorum, & illi consurgebant aduersum me, & adprehendebam metum eorum, & suffocabam interficiebamq; eos.* 1.Reg 17.

Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis. Ioan.10.

Christus fecit, & ille *Codrus pro patria non timidus mori.* Horat.

Vtilitas certè publica prima instituendorum Regum finis.

Vtilitas autem ea spectanda vel qua Rex	1. Non grauat pop. suo cōmodo,	1. Legibus, 2. Seruitiis, 3. Tributis.
	2. Nec grauari patitur.	

* ij. NON *grauat* populum Legibus Multis, Grauibus sibique quàm populo Vtilioribus. Non grauando Legibus.

Adligant enim quidem onera grauia & importabilia, & imponunt in humeros hominum. Matt. 23.

Legem non modo *breuem esse oportet, quo facilius ab- - imperitis teneatur, velut emissa diuinitus vox sit, iubeat, non disputet* (ait Seneca) sed & facilem, nec semper hodiernam crastinus auferat dies, nec inducat nouam. Senec. ep. 6. l. 14.

Legislatoribus multi præcipiunt, vt leges huiusmodi ferant, quales multitudo & populus libenter suscipiant.. Plat. de Legibus.

Audi & Petrum: *Nam quid tentatis Deum, imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neq; patres nostri, neque nos portare potuimus?* Actor. 15.

Neque multæ figantur, quasi offendicula aut retia peccaturis. *Nam virtus peccati lex.*

Bianti, *Is Princeps optimus qui vtitur patriæ legibus.* Stob. ser. 48

Cauendum ne dici possit: *Vt multitudo mendicorum illum, sic me legum perdidit.*

Seruitiis exactis. *ij SERVITIIS à Personis, Coniunctis, Rebus subditorum aut importunè, aut turpiter exigēdo: vel omnia libidine fœda deformiaq; efficiendo, vagando cum uno aut altero comite per maritas domos*

Liuius li. 7. belli Punici

1. Reg. 8.

Lego quidem; *Hoc erit ius Regis, qui imperaturus est vobis. Filios vestros tollet, & ponet in curribus suis, facietque sibi equites & præcursores quadrigarum suarum, & constituet sibi tribunos & cēturiones, & aratores agrorum suorum, & messores segetum & fabros armorum & curruum suorum. Filias quoque vestras faciet sibi vnguentarias, & focarias, & panificas... Seruos etiam vestros & ancillas & iuuenes optimos, & asinos auferet, & ponet in opere suo.*

Cic off. *Sap.* Sed *summum illud ius, an non summa* sæpè *iniuria?*

Ius in armis Lex iustitiæ fortitudo nostra

Quicquid Principi placuit, lex est. Pro ratione voluntas.

Cum Mario, præ strepitu armorum, quidam legum edicta audire non posse videntur.

Tributis. *iij. TRIBVTIS.*
- *1. Superfluis;*
- *2. Sordidis;*
- *3. Crebris;*
- *4. Dissipatis.*

Vel superfluis. *1. SVPERFLVIS,* nullaque iusta causa indictis, neque ad arcendum hostem, neque ad Seditionem militarem sedandam, neque ad sarta tecta Templorum, Ædium publicarum, Murorum, Vallorumque; neque ad stipenda Iudicum, neque ad Redemptionem captiuorum ciuium, aut annonæ emtionem publica fame; neque ad Principis victu, Vestitu Honorariis, auroue coronario magnificentiā, in quæ tributa iustè posci solent, sed

aut

aut ad Libidinem, aut Auaritiam, aut (ex Machiauelli mente) ad populos adtenuandos, vt si secedere velint aut rebellare, non possint. *Machiauellus in Principe.*

* ij. *SORDIDIS* id est ex materia turpi elicitis. Vel sordidis.

Materia tributorum bipartita. { *1. Res;* *2. Persona.*

* *RES*, vt Aer, Aquæ, Agri, Fruges, Vehicula (vnde vectigalia) Armenta, Pecora, Casulæ, Fumibula, Mundus muliebris, & id genus mille.

Agros, vineas, oliueta, segetes, vinearum reditus addecimabit Rex, vt det Eunuchis & famulis suis. *1 Reg. 8.*

Mutianus in iudicio Christi quid aget, qui Vespasiano pecuniæ vndecunque conuiciendæ autor fuit?

Quid Vespasianus ipse Imperator, qui nummis filii naribus obiectatis, rogauit *an foeterent*, negantique *atqui ex lotio* (inquit) *collecti sunt*, non estimans fœdum quidquam, quod naribus ipsis non fœteret?

Quid illi fumi venditores? Aeris? Aquarum? & rerum æquè necessarium?

Non audient putas illud, *Quare adtriuistis populum meum; & facies pauperum commolitis?* *Isai 3.*

Non ad *Termeria mala* (putas) ac tenebras exteriores illi damnabuntur? *Vide Erasmũ in Chiliad. Termeria mala.*

Splendidissima, Iustissimaque omnium mihi tributa Vestiaria, Sumtuaria, Vsuraria, & Fornicaria, vt tributis etiam peccata compescantur.

* *PERSONAE* { 1. *Viua,* 2. *Mortua.*

* *1. VIVAE*, cum de lucro artificis, vel censu annuo locupletis, aliquid decerpitur: cum liberi, à parentibus Regi militaturi penduntur, vt à Christianis sub Turce iugo, cui ex Christianorum prole tributa

butaria raptaque, robur belli Ianitſeri.

Videbit hic Iudex an agri, lucri, eriſq; ditior plus pependerit, an contra, vt ſæpe.

Auricularine adligat pondus quale pollici, qui æquus in naturam?

Aut puello Herculis clauam, aut Milonis bouem humeris geſtandum, æquus Pater decernit?

Aut ab agno anniculo par vellus auellit æquus Paſtor?

Geneſ. Quàm Iacob piè timidus, ne ſi greges labore itineris grauet, *moriantur cuncti vna die*, tam ſit Princeps ne multitudini tributorum pondere cum pecunia vitam auferat.

Horat. in arte. Ex æquo bonoque *videndum quid ferre recuſent.*

Quid valeant humeri populorum.

Si hybernaturus, aut cibum alicubi capturus ſeu vrbitim, ſeu vicatim eſt miles, æquitate tribuendus eſt, ne vrbecula impleat, aut aliqua Iri caſa; Ciuitas verò potens, aut potentis domus excuſetur.

Et vide, vt quorũ familiæ aut vrbes, ſingulari beneficio, principẽ defenxere, iis tributum relaxes.

1. Reg. 17. Saul iſthic æquus: *Virum qui percuſſerit Goliath* (inquit) *ditabit Rex diuitiis magnis & filiam ſuam dabit ei. & domum patris eius faciet abſque tributo, in Iſrael.*

*2. MORTVAE, vt cum mortuo clienti Patronus, Dominuſue, aut manum amputari, aut quod optimum in ſupellectili, aut pecuniam parem pendi iubet. Crudelitas niſi mulctæ ſpecie fiat, vt cum Dominos ſubditi bello adpetierunt, Chriſtianiſmo explodenda.

Infamia valde iſta omnia.
- 1. *A mortuo tributum exigere.*
- 2. *Mortuo detrahere,*
- 3. *Mortuo inſultare,*

4. *Mor-*

4. *Mortuum irridere, lancinare,* &c.
5. *Mortuos refodere per crudelitatem,* &c.

* iij. *CREBRIS*, & sæpiùs, quam dies ipsa, recurrentibus. Vel crebris nimium.

Vti phlebotomia seu nimia, seu nimis frequentata corpori: ita tributa vel crebriora, vel grauiora, Reipub. nocentissima.

Sensim purganda corpora illa, non exhaurienda atque enecanda.

Virgis vtendum nonnunquam; sed scorpionibus illis Roboami explosis. 3. *Reg.*

Vt agricolis vna ex agro messis annua, pastoribus ex ouibus annuatim vnicum vellus auellitur aut detondetur, ita regna populosq; Regum agros & greges, raro, falce aut forcipe tributorum, meti decet aut tonderi.

Ouis Phrixea, quamlibet aurei fœcundique velleris, crebriori detonsione possit fatigari; vti & vberrima Flandriæ vacca frequentius emulgendo.

Mulgere cuique boues suas licet, sed absit dumtaxat crudelitas illa, eliciens sanguinem lactis vice.

Tiberius hac parte optimus, in Christi iudicio surget aduersus plerosque, qui Præsidibus, onerari tributis Prouincias suadentibus, rescripsit: *Pastoris est tondere pecus, non deglubere.* *Suet. Dion.*

* iiij. *DISSIPATIS*, non collocatis in
1. *Maiestatem regni;*
2. *Defensionem*, sed in vsus alienissimos.

Vel dissipatis.

1.Cor.4. *Quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur.*

Non in maiestatem imperii. 3.Reg.

* 1. *IN Maiestatem* regni Regisq; quam iuuat splendor

- *1. Palacij.*
- *2. Victus,*
- *3. Cultus,*
- *4. Ministrorum*; quæ omnia Sabæorum Regina in Salomone admirata.

Terent. in Andr. Regibus seu Sacrorum seu Murorum debentur digna Imperio, pro regni tamen modo, vt *ne quid nimis.*

Casis tamen præstet contineri Fabricios & animos magnos; quàm palatiis Nerones, aut mancipia voluptatum, velut caueis feras.

Cur formicæ in Capitoliis? Mulierculæ barbaræ in arcibus?

Malim domum ab incola, quam incolam à domo ornari.

Non indefensionem. Sed in luxum.

*2. *IN Defensionem*, in Muros, Arces, Exercitus, Machinas, Commeatus, &c.

Dissipat, qui in conuiuia illa portentosa, qualia Cleopatræ, atque Antonii fuere, collocat.

Qui in Colossos, Equos, canesque nimis multos, nam & his modus Regibus à Deo ipso decretus.

Deuter.17. *Cum fuerit constitutus Rex; non multiplicabit sibi equos, nec reducet populum in Aegyptum, equitatus numero subleuatus.*

Diomedis illi similes, qui equis suis hospites suos, id est subditos, propinant deuorandos.

Qui in parasitos, demouoros, Curiæ hirundines, Spongias, Herodiades ac meretrices, partem regni dimidiam locant.

1.Reg.8. Et luxus ministros. Cur *segetes, & vinearum reditus addecimabit Rex, vt det Eunuchis & famulis suis?*

Cur

Cur in prostitutæ sinum potius vectigalia, quàm in Ærarium congeruntur?

Cur fœmina sic baratrum regni totius?

Turpe pauperum Christi patrimonia ad bestias lupasque damnari. *D. Bern. de colloquio Simonis & Iesu.*

Res pauperum non pauperibus dare, par sacrilegij crimen esse dignoscitur.

Qui eiusmodi, non putes repetundarum à Christo accersendos, atque audituros. *Quid hoc audio de te?* *Luc. 16.*

Non ponet Rex ille rationem cum seruis, maximè cum debitore tot talentorum? *Matt. 18.*

Dicturus ille sanè, *Tu terram tuam disperdisti, tu populum occidisti*, qui sic pupillam Rempub. torseris. *Isai. 14.*

Cum Zimische Imperatore Constantinop. Christiano Christus exclamaturus, qui Basilii cubicularii esse videns, quæ, ipsus cum maioribus, imperio adiecisset, cum gemitu alto dixit: *Proh indignam rem (comites publicas insumi pecunias: Romanos exercitus ærumnas exanclare: Imperatores extra fines Imperij labores tolerare: quidquid aût tot laboribus atque molestiis adquiratur, in vnius Eunuchi commodum cedere!* *Michael Glycas p. 4. annalium.*

Alexandrum Seuerum contra ipse laudaturus, qui aurum argentumue rarò alii quam militi diuisit, *nefas* asserens, *dispensatorem publicum in suas suorumque voluptates illa vertere, quæ Prouinciales dedissent.* *Ex Lampridio.*

Si iure pupilli Respub. fruitur, Reges tutorum; quod latrocinium non tuentis, sed & bona Reip. dissipantis?

Si publicum æs sacrum, quod diripientis illud, sacrilegium?

Publica ex priuatis facere, quæ Tyrannis?

Paterne ille satis æquus, qui filiæ torques ac monilia de collo detraxit; collo prostitutæ illaturus?

Neque ille pop. Princeps, qui Patriam, ditandis indignis, spoliauit.

Psalm, 11. *Propter miseriam inopum, & gemitū pauperum, nunc exurgam dicit Dominus.*

Psal. *Molas leonum confringet Dominus.*

Vt Icarum currus Solaris rectorem imperitum, maria ac terras amburentem, Iupiter tandem fulmine vibrato de curru excussit in Eridanum.

Equumque & ascensorem proiecit in mare, ita tum Christus Reipublic. tales Magistros, fulmine sententiæ vltimæ in Tartarum est deiectarus.

Matth. 25. Et *super omnia bona sua constituet eum*, qui *fidelis in pauca.*

Cic ora. in L. Pisonem. Neque grauantes tolerando.

ij. *NEC grauari sinit.* à Publicanis, Quæstoribus, Milite. *Non multum interest, præsertim in Consule, vtrum ipse perniciosis legibus, improbis concionibus Rempub. vexet, an alios vexare patiatur,*

Tutelares enim sperarunt, qui Reges crearunt, primum contra vim exterorum ac vicinorum quidem; at deinde & domesticorum.

Sub Principe bono non auditur, *Regionem vestram coram vobis alieni deuorant*; quanto minus *domestici deuorant.*

Militem à malo arcendo dictum hùc habeat, non vt ipsus inferat malum, sed arceat inferendum.

Qui Numinibus Romanis olim ciuibusque iurati erant, non impugnabant quos Sacramento militiæ susceperant defendendos.

Nam, *Cum canes funguntur officiis luporum, cuinam præsidio pecuaria credemus?*

Autor. l. 4. ad Herennium. Si Pyrrhum suum, aut alium ex ægris commissum sibi, malefidus medicus toxico adpetit, quo se vertat spes ægrotorum?

Si Regum securigeri, sicis adpetant Reges ipsos quos stipant; quo se præsidio Reges tueantur?

Si

Si patronus clientem ſpoliat, aut cauſam ducat, quos imploret?

Tale aliquid eſt, cum à cuſtode milite non modo incuſtoditus eſt popellus, ſed & direptus.

Quo tributa tandem tribuuntur; quò ſceptrum & gladius velut malorum fuſtuarium datur? quo faſſes, velut virgæ? quo ſecures, apud Romanos? quo laquei, apud aliquas gentes, Magiſtratui aut Principi præferuntur?

Non ſine cauſa gladium portat, ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum; non vt ſemper nullos feriendo, ferietur, aut nunquam illum in vrbe nudum videamus. Turpe hic Ethnicos Chriſtianis anteire. Pet.

Catonis Comilitonibus. Præciſę olim dexteræ in furto deprehenſis. *Ex M. Cato*

Tamerlanes Scytharum Imp. militem gregarium interfici, apertiſque viſceribus lac illud refundere iuſſit, quod mulierculæ cuidam vi ablatum epotaſſe ferebatur. Cuius rei ab Ethnicis præclara ſunt exempla.

Liſander Lacedæmonins alium tantiſper tãtillumque de via digreſſum caſtigauit, negantiq; furti ſe gratia agmen deſeruiſſe, addidit: *Ne ſpeciem quidem rapturi præbeas volo*.

M. Scauro Duce, Romana acies arboris pomiferæ ipſis caſtris impendentis fructus intactos inuenta eſt reliquiſſe, concinentibus poſtero die æneatoribus. Imp. Cæſar Aug. Germanicus, quo bello Germanici cognomẽtum meruit, cum caſtella poneret, pro fructib. locorũ, quæ vallo claudebat, percium ſolui iuſſit.

Grauior profectò tributis omnibus miles infrænus, & ex tutore prædo. Principibus poſt tributorũ cæcam profuſionem, adtenuatis, neceſſario toleratus, ſed neceſſitate criminoſa, in quam ſci. aliud crimen adduxit.

Qua in re vti error biceps:
- 1. *Imperatoris soluendi stipendij incuriosi,*
- 2. *Militis, rursus duplex.*
  - 1. *Lautius viuentis rustici quadra, quam sua, si stipendia penderentur.*
  - 2. *Nihilque Imperatori de stipendio remittentis ob rustici alimenta.*

Ita incommodum rustico duplex:
- 1. *Tributi iusta pensio Principi;*
- 2. *Concussio iniquissima à Milite.*

1.Reg.12. Quàm pauci, in iudicio illo, erunt qui, in quo Samuel audet, audeant & ipsi! *Præsto sum*, ait, *loquimini de me coram Domino, & Christo eius, vtrum bouem cuiusquam tulerim, aut asinum: si quempiam calumniatus sum si obpreßi aliquem. si de manu cuiusquam munus accepi: & contemnam illud hodie restituamq́ hodie vobis.*

Act.20. Aut in quo Paulus: *Argentum & aurum aut vestem nullius concupiui, sicut ipsi scitis, quoniam ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt, ministrauerunt manus istæ.*

2.Cor.12. *Quid est quod minus habuistis præ cæteris Ecclesiis nisi quod ego ipse non grauaui vos? ... Ecce, tertio hoc paratus sum venire ad vos: & non ero grauis vobis.*

1.Reg.12. Quam pauci ex populis dicent Principibus suis, quod Israel olim Samueli! *Non es calumniatus nos, neque obpreßisti, neque tulisti de manu alicuius quippiam. Dixitq́ ad eos, Testis est Dominus aduersum vos, & testis Christus eius in die hac, quia non inueneritis in manu mea quippiam. Et dixerunt, Testis.*

Contrà.

Contrà. Quàm *stabunt* multi *in magna constantia aduersus eos, qui se angustiauerunt, & qui abstulerunt labores eorum!* Sap. 5.

---- quæq; ante profari Sil. Ital. l. 13

Non licitum viuis, tandem permissa quærentur!

Vidi cruentos carcere includi Duces, Senec in Herc. furẽte.

Et impotentis terga, plebeia manu, Scindi Tyranni.

Quidni? Ex Platonis enim mente monstrosum aliquid est subditorum obpressio, ac *perinde est, cũ subditos obprimit Magistratus, ac si caput corporis intumescat, vt à membris aut omnino, aut sine molestia ferri non possit.* Plato. Monstri. n. simile est. Magistratus subditorum obpressor.

Aut perinde, cum venter ita Hydropici, aut Rogerii Bonitempii instar intumuit, vt membra gemant sub pondere tam inepto.

Aut cum superstructæ ædificiorum moles ita graues, vt & fundamenta conterant, & ipsæ simul ruant.

Iacobi de bruto suo grege quam præclaræ voces! *Nosti, Domine mi Esau, quod paruulos habeam teneros, & oues & boues fœtas mecum, quas si plus in ambulando fecero laborare, morientur vna de cũctis greges. Ego sequar paulatim vestigia Domini mei sicut videro paruulos meos posse.* Genes. 33.

Vtinam res ista tam scribi late, quàm dici posset?

* 3 *VIGILANTER* quo etiam nomina Patris, Mariti, Tutoris, Pastoris Principes viros vocant. An vigilanter.

Quid ad filiorum bona sene Patre adtentius?

Quid maritis, de vxorum pudicicia solicitius?

Oculus *aurisq; zeli videt auditq;* omnia

Quid pastoribus? Quid tutoribus?

Iacob ita de se ad auunculum: *Die noctuque æstu vrgebar & gelu, fugiebatq; somnus ab oculis meis.* Genes. 31.

Vigi-

Luc. 20. Vigilias partiuntur militum planè instar; *Pastores erant in regione eadem vigilantes & custodientes vigilias noctis super gregem suum.*

Si tales ouibus excubiæ, quales commissis hominibus.

Hilar. canō. 27. in Matt. *Quanquam in commune nos ad indefessam vigilantiæ curam Dominus adhortetur, specialem tamē populi principib. id est Episcopis in expectatione aduentuq; suo solicitudinem mandat.* vnde & Episcopi græcis dicti.

Argocentoculo Iūs custode, aut dracone horti Hesperidum custode vigilantior sit Princeps, ne vel incuria leges semel fixæ refigantur, vt remissione iraque lentiore violentur.

D. Amb. l. 3. in Luc. Homeri sensu, Principem solidam dormire noctem dedecet, *ne quos spiritalium bestiarum per effusas noctium tenebras greges patiantur incursus.*

Vide Valer. Pierium l. 1. Hierogl. Gaudentiū Merulam l. 3. memorabilium. Significanter admodum non tantum Mycenarū portis, sed etiam reliquorum ædificiorum, præcipuè fanorum templorumque valuis, Leones vt diuinorum custodes statuebantur, & per Leonis caput Ægyptii Sacerdotes vigilantiam atque custodiam ostendebant, quod ex animalibus recuruos vngues habentibus solus Leo mox vt in lucem est editus, videt, (vnde & Plutarcho solare animal dicitur:) Idemque oculis patentibus & claris dormit, (vnde Manethonis relatu, insomnem omnino illum esse multi sunt opinati; etiam idcircò, quod caudam assidue inter quiescendum, motat:)

Manethon Aegyptius, li: quem dicauit Herodoto. Sane & Leoni nomen παρὰ τὸ λάω τὸ δέρκω video, speculor, & contemplor, inditum aiunt, qui etymologias sectantur.

Rex aliquis Presulne natus, aut creatus, ergo est? is mox oculos cum Leone aperiat, & corpore somnum capiente, animo toto excubet.

Regis

Regis est dicere: *Ego dormio, & cor meum vigilat: dicere* (inquam) *& facere.* Cant. 5.

Nam si *dum dormirent homines, venit inimicus homo, & superseminauit zizania,* non ita dicturum iudicem putas: *Simon dormis? Sic? non potuisti vna hora vigilare mecum?* Matt. 13. Matt. 26.

O pastor & idolum!

Portionemq; eius cum hypocritis in pœnæ æternitate, constituet ... quia præsentib studuerit, quia vita gentiū vixerit, quia desperatione iudicij commissam sibi familiam fame siti, cædē, vexauerit. Hilar. canone 27. in Matth.

* 4 *SEVERE.* Princeps enim *vindex in iram, his qui male agunt.* Denique an seuere.

Gladij ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis. Psalm. 148. Petr.

Gladium portat, ad vindictam malefactorum.

Ordo seueritatis vt feriat:
1. *Fortunas,* mulcta, frisco subhastatione, &c.
2. *Famam* Censuræ nota, catamidiatione, infamia, &c.
3. *Vitam,* laqueo, igni, ferro, &c.

Quos insanabiles Legislator esse senserit, vltimo supplicio hos afficiet. Nam *horum exemplo a peccato cæteri deterrentur.* Plato de Legib.

Cuncta autem *prius tentanda: sed immedicabile vulnus.* Ouid. l. 1. Metam.

Ense recidendum ne pars syncera trahatur.

Samaritanus oleo Clementiæ, vinoque iustitiæ seminecem medicatus est.

Tria hæc Lex, Manna, & Virga in arca fœderis inclusa, Principibus viris tria commendabant: Lex, statuendi Prudentiam; Manna, Clementiam; Virga seu Aaronis seu Moysi in siccitate summa reflorescens, Seueritatem temperatam, cuius adtactu, vti

irrigatione planta, viror regnorum, emortuus refloreſcit.

Impunita enim ſcelera ſubditorũ in Principum capita ruunt.

Impunitate ita vitia prouocantur, vti ingratitudine marceſcit Virtus.

An putas iuſtæ pœnæ parcis parciturum Deum?

Numer. 30.

Exemplum quam illuſtre! Fornicato olim Iſraele (etſi iam Phinees partim placarit iratum Deum, fornicatore vnò, cum Madianitide concubia, transfoſſo) ita ad Moyſen Dominus: *Tolle cunctos Principes populi, & ſuſpende eos contra Solem, in patibulis.*

Nulla ibi principum illorum fornicatio memorata; dant tamen neglectæ à ſuis, inultæ à ſe, diſciplinæ, pœnas. Crudeles (*in Cruce*:) Infames (*maledictus enim qui pendet in ligno*:(Publicas *ad Solem in meridie.*) Singuli ſingulis crucibus adfixi; Omnes, non vnum pro multis caput.

Non ſolum qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt.

Senec. in Throade.

Qui non vetat peccare, cum poßit, iubet.

Vnum pietatis genus eſt, apte in cauſis Dei *eſſe crudelem.*

Phinees, fornicarii ſcortique vna transfoſſor, Deo laudatus.

Et placauit Phinees, & ceſſauit quaſſatio.

Optimates igitur illi omnes, qui officiorum iſtorum nunc obliti, tunc *quam vellent nunquam ſceptris fulſiſſe ſuperbis!*

Sil. Italicus li. 13. aut 15.

Quàm multi tunc aient: *Quia de numero Epiſcoporum fui, de numero ſum damnatorum*, qui nunc illud Gaufredi Priori, Clareuallenſis oraculum occinentibus; *Si de numero Epiſcoporum fuiſſem, de numero damnatorum eſſem*, illud Pauli perperam intellectum, *Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat*, obiectant!

Quàm

Quàm multi magno mercentur, capita sua, ad Insulas potius, quam ad insulas fuisse damnati, & religata potius breuibus Gyaris, quam longis thyaris? in haris potius porcos cum prodigo, quam in aris cum Petro Christianos pauisse! *Luc.15.*

CONCIO XVI. *vel in ord.* XXXI.

Them. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum.* *2.Cor.5.*

FActa repetitione, ita propositum.

Dicendum hodie:
- *1. Cur maximè Potentes Dominus iudicabit.*
- *2. Quis ordo dicundæ sententiæ futurus, & cur talis.* AVE.

I.

Cur maximè Potentes Dominus iudicabit.

Vt plebeios iudiciū hoc non maneret, certè Reges tàm Sacrorum, quàm Murorum expectat. *Cum adcepero tempus, ego iustitias iudicabo*, id est (vt dixi) Iudices ipsos. *Psal.*

Potentes tandē maximè iudicatum iri à Deo.

Visi-

Isai. 24. *Visitabit Dominus super malitiam Cœli in excelso. & super Reges terræ ... & claudentur in carcere, quem vocamus infernum.*

Psalm. 81. *Deus stetit in Synagoga Deorum* (Magnatum) *in medio autem Deos* (Magnates) *diiudicat.*

Ibid. *Ego dixi, Dij estis, & filij Excelsi omnes: Vos autem sicut homines moriemini, & sicut vnus de principibus cadetis*, genibus in terram, pro Christi tribunali prouolutis.

Psal.
Psalm. 148. *Confregit in die iræ suæ Reges.*

Gladij ancipites in manibus, ad faciendam vindictam in nationibus, &c. Ad alligandos Reges in compedibus & nobiles in manicis ferreis: vt faciat in eis iudicium conscriptum.

Sap. 6. *Iudicium* (inquam) *durissimum his, qui præsunt, fiet.*

Causæ ita iudicandorum Magnatum
- *1. Impunitas qua hic fruuntur;*
- *2. Iniustitiarum reparatio;*
- *3. Exempli pessimi vltio;*
- *4. Blasphemiæ populorum pacandæ.*

1. Ob summam peccandi licentiam. * 1. *IMPVNITAS*, quæ Principibus hic maxima, aliquando vindicanda.

Populos enim castigat censura duplex
- *1. Sacra, Pontificum.*
- *2. Profana, Principum.*

Summas potestates potestas nulla castigat.

Censent illæ de omnibus, de illis nemo, nec enim ouium est pastorem corripere.

Summis fastigiis habentibus cætera omnia, vnus deest, qui verum dicat.

Aut abest qui possit, debeatque, aut qui velit, vel ausit.

Terent. in Andr. Magnatibus enim ferè veritatis ausa exosa; ac si vsquam maximè in Curiis, *Veritas odium parit.*

Rarus

Rarus, qui cum Dauide aiat, faciatque: *Et loquebar de testimoniis tuis, in conspectu Regum, & non confundebar.* *Psalm. 128.*

Aut cum Baptista: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui.* *Marc. 6.*

Aut cum Elia: *Tu es, qui turbas Israelem.*

Vt nō desint, qui carpant, vbi erunt, qui Magnos, si deinde plus libet quàm licet, nolentes cogant, in frenes mulctent, aut plectant?

Rex Magistratusque omnis aut *monitoribus asper*, aut *instar aspidis obturantis aures suas*, surdissimus. *Horat. in arte.* *Psalm. 57.*

Ex Magnatibus qui incuriosior, audire Prophetam contemnit; qui petulantior, auditum ridet, vt anilem fabulatorem; qui effrænior, silere iubet; qui Neronior aut Henricior, relegat, & Baptistas in mēsa, Thomas Cantuarienses in ara, *Zacharias, inter templum & altare*, &c. obtruncat. *Breu. Rom.*

Spargit voces: *Propter vnum Sacerdotem Thomam; Henricum Regem in regno pacem habere non posse, &c.*

Hinc mihi prima mali labes, hinc semper Vlysses, *Virg. 2. Aeneid.*
Criminibus terrere nouis.

Quis est Dominus: (aiunt cum Pharaone) *Exod.*

Nescio Dominum, & Israelem, aut Herodiadem meam, *non dimittam.*

Summa quoque Sacrorum *sedes* iure suo optimo omnia diiudicans *à nemine iudicatur.*

Sed vt errrare ac labi in via morum, humanum est, ita & Magnatum. Nam etsi dictum; *Ego dixi Dij estis*, non additum tamen & vos ab omni peccato mundi estis.

Dii sunt illi, Potestate Dei communicata, non imbecillitate humana peccandi sublata.

Neque ita omnes sapiunt vt aiant; *Cui plus licet, minus libeat*: regna metiuntur licentia.

Sed si sal euanuerit, in quo salietur?

D. Aug. l. 1. de sermone Domini in monte. c. 10. *Si Doctor* (Princepsue) *errauerit, quo alio Doctore* (aut Principe) *emendabitur? Qui erunt homines, per quos à vobis error auferatur, cum vos elegerit Deus per quos errorem auferat cæterorum.*

Ergò, quandoquidem & illi, vt homines, errant & labuntur, neque hominum quisquam in eos potestatem censendi exercere potest aut debet, iudici Christo, qui *in medio Deorum Deos dijudicet*, rectè sistuntur. Psal.

2. Ad iniuriarum reparationē. *2. INIVSTITIARVM reparatio*, quibus sæpe illa tribunalia, à quibus nefas prouocari, adficiunt suos.

Iure enim de illis in morte indicat Deus, qui in vita iudicant de vniuersis, meritoque supremorum illorum in terra tribunalium censuræ à diuino illo Christi, velut ad incudem reuocantur, ac retractantur, ne iustitia Dei cuiquam defuisse videatur.

D. Bern. in quibusdam dictis. D. Bernardus insinuat, ex psalmista: *Veniet qui mala iudicata reiudicabit: illicitè iurata confutabit, qui faciet iudicium iniuriam patientibus.*

Psalm. 71. *Iudicabit pauperes populi, & saluos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem.*

Liberabit pauperem à potente, & pauperem, cui non erat adiutor. Susannam Daniel iste Senum calumniis liberabit. Daniel.

3. Ad exempli pessimi vltionem. *3. EXEMPLI pessimi* vltio. Scandala enim ex peccatis potestatum omnium nocentissima.

Cic. 3. de Legibus. *Nec enim tantum mali est peccare principes (quanquam est hoc magnum per seipsum malum) quantum illud, quod permulti imitatores Principum existũt.*

Vt ex astris alia aliis potentius in inferiora hæc influunt; & ex membris ægris, alia aliis corpus magis debilitant; (Nam, *cum caput egrotat, cætera mēbra dolent.*) ita & ex hominib. vitiosis, Optimates Reipub. contagiosissimi. Incert. autor.

Pro aeris qualitate, vrbium valetudo bona ac mala.

Pro Nauarchi peritia (quicquid agat turba cætera) fœlix aut infœlix nauigatio.

Et pro Regum moribus, Reip. constitutio est. Vt magnes ferrum & succina paleas, ita Regũ vita plebeculam ad se trahit.

Claudianus verò verius: *Componitur orbis.* *Claud. 4. Consul. Honor.*

Regis ad exemplum vnum potius, quam ad edicta eiusdem mille.

Mobile mutatur semper cum Principe vulgus.

Et Plinius: *Vita Principis censura est, eaque perpetua: ad hanc dirigimur, ad hanc conuertimur.* *Plin. in Paneg.*

Dionysio Syracusano, apud Platonem aliquando philosophante, ex aulicis quislibet philosophaster effectus, libris, chartis, calamis emtis, philosophos audiebat. Eodem vero philosophiam repudiante, eandem iidem Hulici fastidinere.

Conuerso iam ad Fidem Rege Francorum Henrico 4. (Laus Superis:) quis ex Aulicis aliter, quàm ille nunc viuit?

Cytharisante Abbate, quis Monachorum non tripudiet?

Prudentes filij huius sæculi hoc satis vident qui vt in secessione à Deo ac Rege, constantiam populis subgerant, dant præfectos, desertionis suæ pertinacissimos, quam in iniquitate prudentiam, vtinam filii lucis in iustitiæ causa, optimos populis præficiendo, consectentur!

Sic enim (vt vt sentiar) populus quolibet aut amore sequitur, aut timore trahitur.

Imitationis illius hę causæ mihi potiores:
1. *Splendor, ac late potens fama factorum Principis;*
2. *Opinio bona de Principe;*
3. *Spes impunitatis;*
4. *Studium placenti magnis;*
5. *Naturæ nostræ corruptio.*

Quod sequũtur plerique.

Senec. in Agamen.

*j. *SPLENDOR*, &c. *Perlucet omne Regiæ vitium domus*, aiebat Clytennestra.

1. Quia publica sunt Magnatum crimina.

Non potest ciuitas abscondi supra montem posita.

Aures, Ora, oculique omnium conuersi in Principum actiones.

Senec l. 1. de Clementia.

Regum & iniuria latius patet & infamia atque odium sæculis traditur.

* ij. *OPINIO bona de Principe*, quem non ignorantia agere aut nequitia putant, sed prudentia

Iuuen. sat. 14.

--- --*velocius & citius nos.*

Corrumpunt vitiorum exempla domestica, magnis.

2. Et crimina non putantur.

Cum subeunt animos autoribus.

Quemadmodum placita magnorum intellectu nostro conniuente. recipimus, quia magnorum, ita acta Magnatum, Voluntate imitamur, quia Magnatum.

Cic l. 1 de Natura deorum.

Vt olim Pythagorei *ipse dixit*, sic Popellus, Rex aut Pastor *ipse fecit.*

Vt Cicero cum Platone, & (ni fallor) Hieronymus cum Origene errare, quam cum aliis vera dicere, malle se iactabant, magnitudine autorum illorum tracti, quos errare vix posse opinabantur: ita plerique cum Magnatibus Curiaque perire malunt. quàm cum Bonis benè viuendo seruari.

D. Aug l. 2. ciuit. c. 27. ex Terent in Eunucho.

Quod Iupiter cum Danae, quod Rex cum Herodiade fecit *ego homuncio hoc nou facerem? Ego vero ita feci, ac lubens*, ait cum adolescente comico populus insipiens.

3. Et impunitatē imitatoribus videntur promittere.

* iij. *SPE Simpunitatis*, quæ fax maxima delinquendi.

Iuuē. sat. 14

Ita enim argutamur; *Vnde tibi frontem libertatemq; parrentis Cum facias peiora senex?*

Adeo

Adeo indignum tibi videtur filius homo adolescens si habet vnam amicam, Tu vxores duas? Terent. in Phormione.

Nihil pudet quo ore illum obiurgabis?

Quis Imperator de prælio fugit, vt bene pugnaret exercitus. Non coercet vitia qui prouocat. Senec.

Vt capistris lupatisque depositis equi, ruptisque repaculis feræ, ac vincta mancipia diffugiunt; ita, spe ista impunitatis, cupiditates populorum antea pœnarum metu vinctæ, grassantur, Principe præeunte.

Quodammodo ad luxum ac licentiam, à Regibus malis præmittuntur, aut conuocantur.

* iiij. *STVDIVM placenti magnis*, quod ferè omnes tenet, & posse, laudem putant.

Placent autem similia similibus, & similia similibus adgregari, in procliui est. 4. Imò & gratiam magnorum cõciliare.

Ciceroni, Similitudo morum amicitiæ conciliatrix potentissima, & coniugiorum illex paritas. Cic in Leli.

Si qua voles aptè nubere, nube pari.

Ergo vt irrepant animis Regum nonnulli, etiam prauos illorum mores, gestusque, ac sæpè vitia corporis imitantur.

Fuere, qui Principum blesismos, capillaturam, claudum incessum consectarẽtur, & cum dicerent Reges, æstuo, algeo, sudarent & algerent.

O imitatores seruum pecus!

* v. *NATVRAE nostræ corruptio.* 5. Adde naturæ propensionem in mala.

--- - Dociles imitandis

Turpibus, ac prauis, omnes sumus. Iuuẽ sat. 14.

Ingenium hominum à natura procliue ad libidinem. Terent. in Andr. Act 1.

Cuncta cogitatio hominis intenta ad malum, omni tempore, ideoque facile seu Principis, seu cuiuslibet societate aut exemplo, in scelus ruit. Genes.

Itaque iure Simias Regum populos voces, aut Chamæleonte seu planta, seu (quod reor magis) animal: quod vt illud ad colores, quos videt, facillima conuersione variatur; ita populi, ad mores Regum.

Plin. l. 8. c. 33 *Ouid. li. 15. Metam.* Plinio Ouidioque testibus, ea illi colorum incõstantia. *Mutat colorem subinde & oculis, & cauda, & toto corpore.*

Protinus adsimulat, tetigit quoscunque colores.

Pharos etiam rectè Reges Probos adpelles, qui recta in partum populum ducunt: Improbos verò Nauplii faces, quæ in Caphardo Euboiæ mõte sublatæ, Græcorum classem plurimam scopulis adlisere.

Matth. 18. Ergò cum scandali autoribus decreta sit pœna mola asinaria, neque à quoquam alio, quàm à Deo sciatur, quam multos scandala Regum perdant, & vt sciatur satis, non sit qui Regibus pœnas decernat aut inferat, merito his maxime Christi tribunal tãdem dicit diem.

4. Ad quietandas populorum blasphemias.

* 4. *BLASPHEMIAE populorum* pacandæ, quæ de Principum nequitia frequentissimæ.

1 Reg. 12. Nathan ad Dauidem adulterum: *Quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini.*

Isai. 52. *Dominatores eius inique agunt dicit Dominus, & iugiter tota die nomen meum blasphematur.*

Iob. 31. *Aduersum me terra mea clamat.*

Populis quàm frequens in ore? An in cœlo Deus: An prouidus ille, qui Probis perditum: Prudentibus cœcum, Ouiculis Tyrannum præfecerit? Qui in tanta tempestate, inter tot artis nauticæ peritos, vni imperitissimo puppim, gubernaculumque tradiderit? An aliqua in cœlo pietas, quæ talia curet, aut Principis huius huiusque insolentias ferat?

Dixe-

Dixerunt: *quomodo scit Deus, & si est scientia in excelso? Circa cardines cœli perambulat, nec nostra considerat:* Psalm. Iob. 22.

Esse, aut curare terrena Deum; aut iustum esse qui credat, in tanta rerum turba, iniustitia?

Si est, quid agit? Otiatur? Si curat ista, quo Ordine, qua iustitia? Isne ordo, qui præficit malos probis? Eane iustitia, quæ ad tot scelera tamdudum silet?

In Cœlum scil. vox qualitercunque obpressorum potenter declamitat.

Et *propter hoc*(j. blasphemias populi) *sciet populus meus nomen meum in die illa, quia ego ipse qui loquebar, ecce adsum.* Isai. 52.

Intelligam in nouißimis eorum. Psal.

Ergo nunc, *Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram; Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Adprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, & pereatis.* Psalm. 2.

Si genus humanum, & mortalia temnitis arma:
At sperate Deos memores fandi atq; nefandi. Virg. 1. Aeneid.

II.

Quis ordo dicundæ sententiæ futurus, & cur talis.

Sententia non mox ferenda.

Examinatis ritè omnibus fassisque reis, moram ego suspicor aliquantulum fore, ante sententiæ dictionem, quæ pessimos quosque, pro factis pessimis, pessima quæque animis concipientes, mire cruciabit. Disce ex Simili. Finge animo Augustam Imperatori carissimam, ab Aulicis adeoq; Imperatore ipso factam mortis ream, imò ipsam scelera iam fassam sua. Finge Regem interim, hinc vxoris miserescentē; illhinc iustitiæ memorem imperare, forsi vt res tota credatur, qua (seu salutaris litera seu feralis, seu faba alba, seu nigra, prodierit ex vrna)

aut damnetur Augusta ad bestias, aut viro reddatur; An non interim posita misella inter sacrum & saxum, vel læta vel lethum præstolans Augusta miserrimè expectatione tam ancipiti discruciabitur? Seruolo deinde iusso, ex vrna paululum agitata, aut fabas, aut literas fatales depromere, Augustæq; offerre; non putas tu Augustam tunc tantum non mori, sibi à faba litera ue letifera, quam Conscientia teste se scit meruisse, metuentem? pallet profectò illa tum vultu toto,

Virg. 2. Aeneid.

gelidusq; per ima cucurrit
Ossa tremor, num fata parent, an se faba poscat.

Ouid. 1. Amorum.

Multa misella timet, *quia fecit multa proteruè.*

Quid tamen aliud hic ad mortem rapi, quam ludos facere, comparatè ad mortem illam æternam, quæ ex iudicio hoc pendet?

Ergò metus malè consciorum, fatum illud nouissimum expectantium, maximus, iudice licet nõdum pronunciante.

Quid decernet? quo relegabit? quamdiu? aut ad quam ille nos mortem petet? id genus multa illi secum.

D. Ber ser 8 ad vers. 8. psal. Qui habitat.

Quid tam pauendum, quid tam plenum anxietatis, & vehementissimæ solicitudinis, excogitari potest, quam iudicandum astare illi tam terrifico tribunali, & incertam adhuc expectare sub tam districto iudice sententiam?

Ordo autẽ pronũciandi talis, Euangelio autore. Probis principiò Cœlũ Iudex, verbis istis mellitissimis decernit, *Venite benedicti Patris mei percipite regnum, &c.* deinde Improbis æternos ignes, vultu verbisque terribilis, *Ite maledicti in ignem æternum,* &c.

Malac 3.

Feretur autem primũ de Probis.

Quis stabit ad videndum, aut audiendum *eum?*

Di-

Dicent montibus, operite nos, & collibus cadite super nos. Osee.10.

Chrysostomo autore. *Infinita satius fulmina sustinere, quam illam mitem faciem nos auersantem videre. & tranquillum oculum in nos respicere non sufferentem*, vix tantisper dum sententiam dixerit. D. Chrys. ho 47. ad Antioc.

Ordinis huius mihi triceps causa { 1. *Victis dolor*; 2. *Ignauis pudor*: 3. *Clementiæ iudicis splendor.* }

* 1. *VICTIS dolor*, id est, Improbos grauius cruciandi studium. *Quod non videt oculus, cor non dolet*, ait prou. Ad maius improborũ tomẽtum.

D. Bernardus in hac mente: *Prius benedicti vocabuntur in regnum, quam maledicti in caminum deijciantur ignis æterni; quo videlicet acrius doleat, videntes quid amiserint.* D. Ber. ser. 8 in Qui habitat. ver. 8

Qualis nobilium dolor, quos Princeps dedignatur adspectu, æqualibus tamen aut etiam inferioribus blandissimè exceptis; talis ille Improborum.

Qualis in chorea nuptiali pudor aut angor Virginum, quas nemo ad choream inuitat, cæteris tamen ad lassitudinem sæpe vsque prouocatis; talis (si grandia paruis fas adsimilari) reiectaneorum istorum à choris choreisque cœlestium nuptiarum.

Adde Improbos illos inuidia auctiore labore, quæ faciat illos Proborum rebus opimis macrescere.

Ringentur canum instar fame rabidorum, quibus impastis alii coram saginantur.

Peccator videbit & irascetur, dentibus suis fremet, & tabescet; Psalm.

Ibi erit fletus, & stridor dentium.

Ac pudorē.

* 2. *IGNAVIS pudor*, quem paritas facit, atque imparitas. Paritas Religionis, & virium per Naturam & gratiam; imparitas actionum, per Desidiam, imparitasque stipendiorum per Iustitiam.

Eliam similem nobis, passibilem commemorari nobis virtute superiorem, ignauiæ obiectæ speciem habet.

D. Chrysf. ho. 80. in Matt.

Chrysostomi ista censura. *Ne dicere possent* (immisericordes illi scilicet) *non habuisse sic ac conseruorum factis ora eorum obstruxit, vt & virgines à virginibus ac temulentum & ventri deditum seruum, à fideli seruo confudit: & eum, qui talentum in terra suffodit, ab his qui multiplicauerunt reprehendit: & singulos peccantium, ab his qui rectè vixerunt, reprimit.*

Ad Clemētiam iudicis manifestādam.

* 3. *CLEMENTIAE* iudicis Splendor, cuius pars aliqua, non præcipitare sententiam quamlibet iustam.

Tempus teret scilicet Christus primum Clementiæ operibus, quæ secundum Naturam eius, fugitans Rigoris, qui præter eius Naturam.

Isai. 28. Ouid. l. 2 de Ponto. eleg 3.

Sicut in monte diuisionum stabit Dominus, sicut in valle quæ est in Gabaon irascetur: vt faciat opus suum, alienum opus eius: & operetur opus suum, peregrinum est opus eius ab eo

Est piger ad pœnas princeps, ad præmia velox,
Quique dolet, quoties cogitur esse ferox, Deus noster.

Plutar. in problem.

Tyrii olim Deorum statuis vincula iniecere, huius rei significatione.

D. Chrysost. ho 54. op. imp. in Matth.

Aurei oris Orator sic ante nos: *Et quare illis ante qui sunt ad sinistram? Quia paratior est Deus semper ad benefaciendum, quam ad malefaciendum. Nam bona bonis secundum propositum suum*

præ-

præstat quia bonus est, malis aũt mala cõtra propositum suum facit inuitus, quia iudex est. Quicquid autem homo contra naturam suam agit, pigrius agit.

Lento gradu, ad vindictam sui, diuina procedit ira. *Valer. Max. li. 1. ca. 1.*

Tarditatem, supplicij grauitate compescat, hic quoque. Quã prolixã acerbitatẽ tormentorũ compensat.

Bonis æternis abdicat, (ibi, *ite:*) Malis deuouet: (ibi, *Maledicti:*) Pœnis certis destinat (ibi, *in ignem æternum.*)

Quo animo, & hos, & illos, tum futuros putas?

Senso meo:) Nullæ voluptates coniugum ipsorum inter se, etiam cum primum Zona recingitur, nullum gaudium par illi, quo Beati, ab illa benedictione Dei fatoque iudicis tam bono, imbuentur.

Nullus contra par mœror, illi qui Damnatis, à maledicto dirisque Dei sui, tunc adcidet.

Esau scilicet, benedictione Patris amissa, nullo etiam maledictionis fulmine percussus, irrúgierit: & infœlices istas creaturas inferni colonias nouas, sui rerumque omnium parentis Opt. Max. benedictione amissa, & irretractabili insuper maledictione accepta, ferre mœrorem suum posse, quisquam putet? *Genes.*

Quàm mœstus, à fato illo acerbissimo, sit futurus Damnatorum dolor, silere magis libet, quã tenuiter dicere, & ora vultusq; vlulantium, cum Timante pictore in Iphigenia sua, obuelare, aut cum Sacerdotibus AEgyptiis (qui, inter sacra, sonum tantum vocalium literarum decantabant, te- *Rodolph. Agric. orat. gratulatoria Innocẽt. 8 Pontif. Hierem.*

stati

ſtari plurimum velle ſe, ſed nihil poſſe) A, A, A, ô, ô, ô, dicere; quam pro re pauca loqui. *Ecce neſcio loqui.*

Finis Libri ſecundi de Finibus Bonorum & Malorum.

DEO OPT. MAX. ET COELORVM REGINAE VIRGINI CHRISTIPARAE HONOR ET GLORIA.



MALO
d posse) A.
ca loqui.

inibus B
m.

ELORVM
RISTIPA
GLO-





Conciones

De 4: [illegible]